BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. F. 4.
Pl. 2

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/cursustheologiae00sass

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ADM. REVERENDI, ET EXIMII PATRIS
P. REINERI SASSERATH
IN ALMA UBIORUM UNIVERSITATE
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS DE CONCILIO
ET PROFESSORIS PUBLICI, EXAMINATORIS
SYNOD. ORD. FR. MIN. S. P. FRANCISCI
CONVENT. EXPROVINCIALIS.

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS

IN QUATUOR PARTES DIVISUS
ADNEXIS CUIVIS TRACTATUI
CASIBUS PRACTICIS
SOLIDE, AC BREVITER RESOLUTIS.

PARS I.

COMPLECTENS
TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS, LEGIBUS, CONSCIENTIA, PECCATIS, CENSURIS, STATU RELIGIOSO ET BENEFICIIS.

EDITIO QUINTA
EMENDATIOR, ET SANIORIBUS PRINCIPIIS CONFORMIOR.

SUPERIORUM PERMISSU, ET APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER P. M. FILIORUM.
MDCCLXXX.

Lectori Benevolo.

Religioſæ obedientiæ fœtum tibi exhibeo, quisquis es, amice Lector! inſtiterunt ſæpius, efflagitarunt inſtantius plurimi, qui lectiones meas theologicas aut frequentabant aut frequentarunt olim, ut, quæ calamo excepiſſent, in typo ſine invidia communicarem, & quamvis ſervire ipſis voluerim etiam ideo, quod ad lectiones confluxerint copioſius, explicantem non ſine conſolatione mea auſcultarint avidius, non tamen ad id permoviſſent unquam, niſi eorum, quorum Juſſa declinare haud potui, acceſſiſſet voluntas. Judicabant hi conducturum id tum noſtris, iqui qua choro qua exercitiis ſpiritualibus aliis occupati opere hoc manuali uterentur in ſuam aliorumque eruditionem, tum exteris, qui ſcientiam tum ad Ss. Ordines, tum ad animarum curam præprimis neceſſariam ſibi inde acquirerent atque conſervarent.

Candidatorum profectus ſtudio indeſinenter accenſus non nova tradidi, ſed ſuſiore doctiſſimo-

3221

morum Virorum (quibus debitorem me agnoſco) calamo exarata in compendium perſtrinxi; brevitati conſulens non minus ac claritati, ſententias, quæ veritati magis conſonæ apparebant, ex aliis ſeligens, aliorum ſcientia & prudentia probatiſſimorum magis quam propriam animi ſententiam ſequens, atque caſus in praxi magis obvios cuique tractatui ſubnectens, tum ut conferentias in Diœceſi hac Colonienſi ſumma cum laude ſervari ſolitas facilitarem, tum, ut eorum, qui examen proxime ſubituri, memoriæ utiliter adminicularer, ſententias benigniores adduxi; non laxioris doctrinæ (quæ laqueus animarum in interitum non raro eſt) amore ſed veritatis ac eruditionis ſtudio, ut, quæ alii docuerint olim, & alii ex iis doceant modo, Juniores ex iis addiſcant, ex iis puſillorum infirmitatibus ſubveniant, memores tamen ubique viam latam (quæ multorum eſt) non raro ad perditionem, arctam vero (quæ paucorum eſt) perducere ad ſalutem. Saniora igitur ex illis & ſanctiora amplectens tuam tuorumque ſalutem operare, amice Lector! atque in ſacris memor mei vive & vale.

Licen-

Licentia

Eximii P. Provincialis.

Curſum Theologiæ Moralis opera & ſtudio A.R. & Eximii P. Magiſtri noſtri Reineri Sasserath Ordinis Minorum S.P. Franciſci Conventualium Exprovincialis, SS. Theologiæ in Alma Ubiorum Univerſitate Doctoris de Concilio, Profeſſoris publici & ordinarii obedientiæ etiam merito elaboratum, cum A. RR. & Eximiorum Patrum Theologorum noſtrorum, quibus illum examinandum commiſi, judicio nihil orthodoxæ fidei ac bonis moribus adverſum contineat, ſed doctrinam undequaque ſolidam, tutam & a nimio tum rigore, tum laxitate depuratam, variis conſcientiæ Caſibus illuſtratam docto compendio exhibeat, ut, in quorum gratiam concinnatus eſt, uſui utilitatique cedat, typis excudi concedo. Coloniæ 23. Decembris 1753.

Fr. FERRUTIUS MOLITOR,
Provinciæ Colonienſis p. t. Miniſter Provincialis ac Commiſſarius Generalis, mppr.

Approbatio.

Sedulo perlegi Curſum univerſæ Theologiæ Moralis cum Caſibus practicis ubique inſertis &c. ab Adm. Reverendo, & Eximio Patre Reinero Sasserath, in Univerſitate Colonienſi SS. Theologiæ Doctore, Profeſſore publico, & ordinario, Examinatore Synodali, & almæ Provinciæ Colonienſis FFr. Min. Conv. Diffinitore perpetuo, & Exprovinciali, &c. elucubratum, nihilque in eo deprehendi aut orthodoxæ fidei, aut bonis moribus contrarium, ſed doctrinam vere ſanam, perſpicuam, ac ſolidam, non tantum junioribus SS. Theologiæ Candidatis (quibus proficere Author præcipue intendit) ſed & provectioribus, imo omnibus curam animarum exercentibus, aut exercere volentibus utiliſſimam; proinde digniſſimum judico; ut mediante typo publici juris fiat. Datum Linnichii die 19. Decembris 1753.

Fr. FRIDERICUS ODEKIRCHEN,
in Univerſitate Colonienſi SS. Theologiæ Licentiatus, & fatæ Provinciæ Exprovincialis, mppr.

Appro-

Approbatio.

Curſum univerſæ Theologiæ Moralis A.R. ac Exim. P. Reineri Sasserath Ordinis noſtri SS. Theol. Doctoris ac Profeſſoris publici non curſim, ſed attente ſatis perlegi, in quo cum repererim plurima incipientibus SS. Theologiæ Candidatis ſcitu neceſſaria, proficientibus vero utilia, rigore ſuo conſcientias haud gravantia, minusque per exceſſum lenitatis frænum laxantia, ſed cuncta medium a ſacra non tantum fide orthodoxa, ſed & præcipuis Theologiæ Moralis Profeſſoribus præſcriptum tenentia, qui lucem publicam beneficio typi aſpiciat, digniſſimum cenſeo. Bannæ in Conventu noſtro S. Ludovici Epiſcopi Toloſani, die 18. Decembris 1753.

Fr. ADAMUS PUTZ,
SS. Theol. in Alma Ubiorum Univerſitate Doctor ac Profeſſor publicus, Ordinis FF. Min. Con. Exprovincialis ac Guardianus Bonnenſis, mppr.

Cenſura Ordinarii.

Curſum Theologiæ Moralis, quem Eximius P. Reinerus Sasserath Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium Exprovincialis SS. Theologiæ Doctor, & Profeſſor publicus, Examinator ſynodalis ſolertiſſimo ſtudio elucubravit utilitati eorum, qui breviore viæ compendio aditum ad ſcientiam animarum curatoribus neceſſariam ſibi parare cupiunt, a plurimis diu, & cupide exſpectatum orthodoxia, & brevitas pro merito commendat, ideo imprimendi facultas Archi-Epiſcopali Authoritate cenſoria conceditur.

In Seminario Archi-Epiſc. 4. *Jan.* 1754.

JOANNES GODEFRIDUS KAUFFMANS,
Congr. Oratorii Neriani Presbyter Theol. Doctor, Libror. Cenſor Ordin. mppr.

 Expli-

Explicatio Abbreviationum per Decurſum identidem recurrentium.

a.	antecedens
aff.	affirmative
aſſ.	aſſumptum
c.	concedo
C.	conſequens
c.	conſequentia
can.	canon
cap.	caput
d.	diſtinguo
D.	dico
diſp.	diſparitas
dr.	dicitur
J. J.	Juriſtæ
Inſt.	Inſtabis
L.	Lex
m.	minor
M.	major
n.	nego
N.	Nota
Ob.	objicies
Obſ.	obſerva
prob.	probatur
Q.	Quæres vel quæritur
℞.	reſpondeo
Reſ.	Reſolves
R. J.	Regula Juris
ſ.	ſequela
t.	tranſeat
V. G.	Verbi Gratia
§.	Paragraphus

Num. 1. primo, primus, prima &c. ac ſic conſequenter de aliis numeris.

INDEX

INDEX
TRACTATUUM,
DISSERTATIONUM, QUÆSTIONUM, CASUUM,
IN HAC PRIMA PARTE CONTENTORUM.

In quo numerus paginam denotat.

TRACTATUS I.

De Actibus humanis, eorumque duplici Regula, Lege ſcilicet & Conſcientia.

DISSERTATIO I.

De Actibus humanis, voluntario & involuntario.

Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit actus humanus, & qualis ad eum requiratur libertas? Pag. 1
Quæſt. II. Quid & quotuplex ſit voluntarium? 4
Quæſt. III. An & quomodo violentia & metus cauſent involuntarium? 4
Quæſt. IV. An & quomodo ignorantia cauſet involuntarium? 19
Quæſt. V. An concupiſcentia cauſet involuntarium? 25

DISSERTATIO II.

De Bonitate & Malitia actuum humanorum.

Quæſt. I. Quomodo bonitas & malitia ſumatur ex objecto? Pag. 28
Quæſt. II. An & quomodo Actus humanus ſit bonus vel malus ex circumſtantiis & fine? 31
Quæſt. III. An actus externus ſuperaddat bonitatem aut malitiam actui interno efficaci? 40
Quæſt. IV. An detur actus moralis indifferens? 45
Quæſt. V. Quænam requirantur, ut actus humani ſint meritorii & quid cadat ſub merito? 48

CASUS. *De Actibus humanis.*

I. De actu humano, & voluntario ut ſic. 52
II. De voluntario tacito, præſumpto, & indirecto. 53
III. Rurſus de indirecto. 54
IV. De eodem. 55
V. De Violentia. 56
VI. De metu. 57
VII. De Ignorantia. 58
VIII. De Conſuetudinario. 59
IX. De Circumſtantiis. 60
X. De eisdem. ibid.
XI. De iisdem. 61
XII. De iisdem. ibid.
XIII. De iisdem. 62

DISSERTATIO III.

De Legibus.

Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit lex? Pag. 63

Quæſt. II. Quomodo ad legem requiratur promulgatio & acceptatio? 65

Quæſt. III. Penes quos ſit poteſtas condendi leges? 72

Quæſt. IV. Quinam obligentur humanis? 75

Quæſt. V. An & quomodo legibus particularium locorum obligentur Peregrini & Vagi? 80

Quæſt. VI. Quænam ſit materia legis præſertim humanæ? 89

Quæſt. VII. An & quomodo Legislator humanus poſſit obligare in Conſcientia ſub peccato mortali, & quando cenſeatur ſic obligare? 93

Quæſt. VIII. Quomodo, & ex qua intentione impleri debeat lex? 98

Quæſt. IX. An & quomodo obliget lex pœnalis? 104

Quæſt. X. Ad quid obliget lex irritans? 109

Quæſt. XI. An dari poſſit ignorantia legis naturalis, & conſequenter an hæc excuſet a peccato? 115

Quæſt. XII. An & quomodo ab obligatione legis excuſet impotentia? 119

Quæſt. XIII. An lex ceſſet, dum ceſſat cauſa finalis? 123

Quæſt. XIV. Quid ſit diſpenſatio, quis, & qualiter diſpenſare poſſit in lege? 126

Quæſt. XV. De interpretatione legis & Epikia? 136

Quæſt. XVI. Quid de Conſuetudine? 141

APPENDIX.
De quinque Præceptis Eccleſiæ.

Quæſt. I. Quid requirat primum Eccleſiæ præceptum: *Statutos* &c. Pag. 148

Quæſt. II. Ad quid obliget ſecundum Eccleſiæ præceptum: *Sacrum Miſſæ* &c. 152

Quæſt. III. Quid de tertio Eccleſiæ præcepto, *indicta* &c. 158

§. I. In quo examinatur obligatio jejunii? ibid.

§. II. Adducuntur cauſæ a jejunio excuſantes? 162

Quæſt. IV. Quid de 4to Eccleſiæ præcepto? *peccata tua* &c. 166

Quæſt. V. Quid de quinto Eccleſiæ præcepto: *Sacroſanctam Euchariſtiam* &c. 169

Decalogus breviter explicatus. 172

CASUS. *De Legibus.*

I. De eſſentia legis. 176

II. De promulgatione ejusdem. 178

III. De Subjecto legis. 179

IV. De eodem. ibid.

V. De eodem. 180

VI. De Peregrinorum obligationibus. ibid.

VII. De materia legis humanæ. 181

VIII. De modo implendi legem. 182

IX. De lege pœnali. 183

X. De impotentia excuſante. 184

XI. De Diſpenſatione. 185

XII. De eodem. Pag. 186
XIII. De Conſuetudine. 187
XIV. De primo præcepto Eccleſiæ. 188
XV. De ſecundo præcepto Eccleſiæ. 189
XVI. De cauſis excuſantibus ab Auditione Miſſæ. 190
XVII. De tertio præcepto Eccleſiæ. 191
XVIII. De cauſis excuſantibus a jejunio. 192
XIX. De quarto Eccleſiæ præcepto. 193
XX. De quinto Eccleſiæ præcepto. 194

DISSERTATIO IV.
De Conſcientia.

Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit conſcientia? 195
Quæſt. II. An & quomodo obliget conſcientia? 199
Quæſt. III. Quid agendum Confeſſario habenti pœnitentem laborantem Conſcientia erronea 208
Quæſt. IV. An & qualiter obliget conſcientia dubia? 211
Quæſt. V. Quid de Conſcientia probabili? 216
Quæſt. Ult. Quid ſit Conſcientia ſcrupuloſa? Quis ſcrupuloſus & quomodo Juvandus? 222

CASUS. *De Conſcientia.*

I. De obligatione Conſcientiæ. 234
II. De eadem. 235
III. Rurſus de eadem. 236
IV. De Conſcientia perplexa & erronea. 237
V. Iterum de erronea. 238
VI. De eadem. 239

VII. De

VII. De conſcientia dubia. Pag. 240
VIII. De eadem. 241
IX. De poſſeſſione libertatis aut legis. 241
X. De eadem. 242
XI. De obligatione ſequendi partem tutiorem. 243
XII. De opinione probabili. 244
XIII. De eadem in concurſu probabilioris. ibid.
XIV. De eadem. 245
XV. De conſcientia ſcrupuloſa. 246
XVI. De eadem. 247

TRACTATUS II.

De Peccatis & Cenſuris.

DISSERTATIO I.

De Natura Peccati ſecundum ſe.

Quæſt. I. Quid & quotuplex peccatum? 249
Quæſt. II. Unde deſumatur diſtinctio peccatorum ſpecifica? 254
Quæſt. III. Unde deſumatur diſtinctio peccatorum Numerica? 258
Quæſt. IV. Unde deſumatur inæqualitas & gravitas peccatorum? 269
Quæſt. V. An actus omiſſioni peccaminoſæ conjunctus ſit peccatum? 271
Quæſt. VI. An omittens ex cauſa voluntaria peccet etiam, quando actu omittit? 273

DIS-

DISSERTATIO II.

De Peccatis mortali & veniali in ſpecie.

Quæſt. I. Quænam requirantur ad peccatum mortale? Pag. 276
Quæſt. II. Quomodo peccatum ex genere ſuo mortale poſſit fieri veniale? 278
Quæſt. III. Quomodo peccatum ex genere ſuo veniale fiat per accidens mortale. 282
Quæſt. IV. An veniale fiat quandoque mortale ratione numeri multiplicati? 284

DISSERTATIO III.

De Peccatis internis.

Quæſt. I. An & quale peccatum ſit delectatio moroſa? 287
Quæſt. II. Quid ulterius reſolvendum in materia turpi? 290

DISSERTATIO IV.

De Peccatis Capitalibus.

Quæſt. I. Quale peccatum ſit ſuperbia, & quale Avaritia? 295
Quæſt. II. Quid & quotuplex ſit Luxuria? 300
Art. I. Quid & quale peccatum ſit fornicatio? ibid.
Art. II. Quid ſit ſtuprum & raptus? 302
Art. III. Quid ſit adulterium & inceſtus? 304

Art.

Art. IV. Quid ſit ſacrilegium Carnale & quale peccatum? Pag. 306
Art. V. De peccatis contra naturam? 308
Art. VI. De impudicitia inchoata? 311
Quæſt. III. Quid ſit invidia & quale peccatum? 317
Quæſt. IV. Quid & quale peccatum ſit gula? 319
Quæſt. V. Quid ſit ebrietas & quale peccatum? 320
Quæſt. Ult. Quid ſit ira & acedia & quale peccatum? 325

CASUS. *De Peccatis.*

I. De peccatis & imperfectionibus. 328
II. De diſtinctione peccatorum ſpecifica. 329
III. De numerica. ibid.
IV. De eadem. 330
V. De cauſa vel occaſione omiſſionis peccaminoſæ. 331
VI. De requiſitis ad peccatum mortale, & mutatione ejusdem in veniale. 332
VII. De quantitate materiæ gravis ad peccatum mortale requiſitæ. 333
VIII. De mutatione venialis in mortale. 334
IX. De delectatione moroſa. 335
X. De eadem. 336
XI. De ſuperbia & avaritia. 337
XII. De ſpeciebus Luxuriæ. 338
XIII. De pollutione. 339
XIV. De invidia. 340

XV

XV. De eadem. Pag. 340
XVI. De Ebrietate. 341

DISSERTATIO V.

De Cenſuris, Irregularitate, & Sepultura Eccleſiaſtica.

Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit cenſura, & quænam ab illa excuſent ? 343
Quæſt. II. Quis poſſit cenſuram ferre, & quis abſolvere ? 349
Quæſt. III. Quid & quotuplex Excommunicatio, & quinam effectus ? 351
Quæſt. IV. Quomodo excommunicationem majorem incurrant Hæretici, & legentes libros hæreticos ? 357
Quæſt. V. Quomodo incurratur excommunicatio Canonis ob Clerici percuſſionem? 361
Quæſt. VI. Quid de ſuſpenſione & interdicto? 364
Quæſt. VII. Quid & quotuplex ſit irregularitas ? 369
Quæſt. VIII. Quinam priventur Eccleſiaſtica ſepultura ? 378

CASUS. *De Cenſuris, Irregularitate & Sepultura Eccleſiaſtica.*

I. De Cenſura in genere. 381
II. De percuſſione Clerici. 382
III. De Excommunicatione. 383

IV. De eadem. Pag. 383
V. De abſolutione a cenſuris. ibid.
VI. De legente libros Hæreticos. 384
VII. De ſuſpenſione. 385
VIII. De Irregularitate. 386
IX. De Irregularitate ob homicidium. ibid.
X. De Irregularitate ob Infamiam. 387
XI. De Loco Sepulturæ. 388
XII. De eadem. ibid.

TRACTATUS III.

De Statu religioſo, Beneficiis, & Immunitate Eccleſiaſtica.

DISSERTATIO I.

De Statu religioſo.

Quæſt. I. Quid ſit Status religioſus & quæ conditiones ad validam profeſſionem requirantur? 390
Quæſt. II. Quomodo Religioſum obligent tria vota? 397
Quæſt. III. Quid & qualis ſit obligatio Clauſuræ apud Regulares? 402

CASUS.

CASUS. *De Statu Religioſo.*

I. De paupertate religioſa. Pag. 409
II. De eadem. 410
III. De eadem. ibid.
IV. De obedientia. 411

DISSERTATIO II.

De Beneficiis Simonia, & Immunitate Eccleſiaſtica.

Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit beneficium & quomodo acquiratur? 412
Quæſt. II. Quid circa reſignationem & permutationem? 422
Quæſt. III. Quibus Beneficia ſint conferenda? 428
Quæſt. IV. Quid de Reſidentia & aliis Beneficiatorum obligationibus? 434
Quæſt. V. Quid & quotuplex ſit Simonia & quale peccatum? 442
Quæſt. VI. Quando contingat Simonia? 445
Quæſt. VII. De Immunitate Eccleſiaſtica? 453

CASUS. *De Beneficiis.*

I. De promiſſione & Collatione beneficii. 459
II. De promoto ad beneficium non habente competentem Scientiam. 460

III. De

III. De pluralitate beneficiorum. Pag. 460
IV. De Simonia. 461
V. De eadem. 462
VI. De eadem. ibid.
VII. De eadem. 463
VIII. De eadem. 464
IX. De eadem. ibid.
X. De immunitate Eccleſiaſtica. 465
XI. De Aſylo. 466

PARS PRIMA.

TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS, EORUMQUE DUPLICI REGULA, LEGE SCILICET, ET CONSCIENTIA.

DISSERTATIO I.

DE ACTIBUS HUMANIS, VOLUNTARIO, ET INVOLUNTARIO.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid, & quotuplex ſit Actus humanus, & qualis ad eum requiratur libertas?*

D. 1. *Actus humanus* eſt actio procedens ab homine, ut homo eſt, hoc eſt: voluntarie & libere; differt enim homo quoad modum operandi ab irrationalibus creaturis in hoc, quod ſit ſuarum actionum dominus per intellectum & voluntatem. Dr. *Actio procedens*, præſcindendo, an procedat poſitive, an privative; vel interpretative, ut comprehendatur omiſſio actus, quæ ſuo modo actus humanus dici poteſt. Dr. *ab homine;* hinc actus proce-

dentes ab Angelis & anima ſeparata etiam liberi non ſunt actus humanus.

Obſ. Actus humanus etiam dicitur *moralis*, quatenus eſt conformis, vel difformis rectæ rationi & regulis morum; hinc

(2) *D.* 2. Actus humanus magis *proprie acceptus* eſt actus liber procedens a voluntate cum advertentia rationis ad regulam morum, vel approbantem, vel prohibentem, vel ſaltem permittentem. Ratio eſt: quia actus humanus ſtricte dictus facit operantem laude vel vituperio dignum, ad quod requiritur, ut ſit liber, & ſimul fiat cum advertentia ad honeſtatem, vel malitiam objectivam.

Reſ. 1. Alia eſt actio *hominis*, alia *humana*; quidquid enim ab homine fit, eſt actio *hominis*, non tamen actio *humana*: ſic motus primo primi omnem rationis advertentiam prævenientes ſunt actus hominis, non humani; quia non ſunt hominis, qua homo eſt, ſive cum libertate & cognitione agens; ſic nec actiones homini, ut rationalis eſt, propriæ, V. G. ridere, intelligere &c. ſunt actiones humanæ, ſi non fiant ex imperio voluntatis.

Reſ. 2. Econtra comedere, bibere, ambulare, dum fiunt cum deliberatione rationis, quamvis ſint actus homini & brutis communes quoad ſubſtantiam, ſunt tamen proprie actus humani; quia quoad modum ſunt proprii homini, ut homo eſt.

Reſ. 3. Actio humana eſt duplex: alia videlicet *elicita* (quæ immediate ab ipſa voluntate procedit, V. G. amare, odiſſe) alia *imperata*, quæ elicitur ab aliis potentiis in- aut exterioribus, attamen fit ex imperio voluntatis; talis eſt V. G. motus progreſſivus ad Eccleſiam die feſto. Rurſus alia eſt *naturalis*, quæ ſolis naturæ viribus produci poteſt; alia eſt *ſupernaturalis*, quæ nonniſi cum ſpeciali gratiæ auxilio produci poteſt,

ut

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ut actus ſupernaturales fidei divinæ. Iterum alia eſt mere *interna*, quæ nullo externo ſigno manifeſtatur, ut actus fidei internæ; alia *externa*, quæ aliquo ſigno externo manifeſtatur, quamvis per accidens a nemine percipiatur.

Reſ. 4. Si puer ante moralem uſum rationis ponat actum liberum ſine advertentia ad honeſtatem moralem, vel malitiam, non eſt actus ſtricte humanus.

Reſ. 5. Actus indifferens in individuo (qualem *infra diſſert.* 2. *q.* 4. admittemus) adhuc eſt actus humanus & moralis; quia fit cum advertentia ad regulam morum permittentem, illique conformis eſt, & ex modo procedendi eſt capax laudis & vituperii, etſi poſitive neutro dignus ſit.

(3) *D.* 3. *Libertas* alia eſt *a coactione*, qua aliquis operatur ſine vi aut violentia ab extrinſeco ſibi illata; hac libertate Beati amant Deum, licet neceſſario; ſic & infantes liberi ſunt, imo & bruta, V. G. canis non invitus comedit, & ideo hæc libertas non ſufficit ad actum humanum, & ad merendum, vel demerendum, ut patet ex variis propoſitionibus damnatis, V. G. hac Janſenii: (a) *Ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* Alia eſt *libertas a neceſſitate vel contingentiæ*, qua agens eſt ita indifferens ad agendum, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere, vel non agere, (diciturque *libertas contradictionis* vel *exercitii*) vel agere hoc aut ejus oppoſitum, V. G. amare vel odiſſe, diciturque libertas *contrarietatis* vel *ſpecificationis;* & talis requiritur ad actus meritorios & demeritorios; cum nemo ſit laude dignus aut præmio ob actum, quem non poſſit omittere, vel vituperio aut pœna ob actum, quem non poſſit non ponere.

A 2 *Obſ.*

(a) 3. *Propoſ.*

Obſ. 1. Sufficit ſola libertas *exercitii*, quia hæc ſola facit, ut actus dicatur plene eſſe ſub dominio agentis; nec libertas *contrarietatis* requiritur: quod enim homo ſit liber ad bonum & malum, eſt imperfectio.

Obſ. 2. Liberum arbitrium eſt voluntas cum hac indifferentia contradictionis vel contrarietatis.

Obj. *S. Auguſtinus* in Enchirid. Cap. 20. dicit: *Libero arbitrio male utens homo & ſe perdidit & ipſum. Alibi* docet: *Inducta eſt peccandi dura neceſſitas.* Ergo per lapſum Adami ſublata eſt libertas a neceſſitate. ℞. ad 1. Perdidit liberum arbitrium quoad facultatem agendi & non agendi N. quoad facilitatem, qua antea poterat operari bonum C. Per peccatum liberum arbitrium evaſit infirmum: ideo eget Gratia Dei ſanante, & majore, quam in ſtatu innocentiæ. *Ad* 2. *Neceſſitas* phyſica N. moralis C. Moraliter fieri nequit, ut homo lapſus inter tot tentationes non peccet, quamvis nullum in particulari ſit peccatum, quod vitare libere non poſſit. Sic etiam, dum dicit, Conſuetudinem peccandi inducere neceſſitatem, loquitur de neceſſitate morali; quia aſſuetus certis peccatis difficulter ab illis abſtinet.

QUÆSTIO II.

(4) *Quid, & quotuplex ſit Voluntarium?*

D. 1. Voluntarium ex Ariſt. (a) eſt id, *cujus principium eſt in ipſo agente cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio.* Clarius & ſtricte definitur: eſt id, *quod procedit affective a voluntate ex prævia cognitione intellectus*, ſive jam a voluntate procedat elicitive, vel imperative, poſitive vel privative aut interpretative. Additur: *affective*; quia voluntarium proprie non eſt, quod non eſt a voluntate ſecundum ejus inclinationem ſaltem interpretativam; ſic peccata quamvis ſint permiſſive a Deo, ipſi tamen proprie voluntaria non ſunt.

(a) 3. *Eth.* 1.

Reſ. 1. Prima cogitatio de aliquo objecto non eſt homini voluntaria, ideoque nec peccaminoſa: quia non procedit a voluntate. Hinc voluntarii non ſunt motus primo primi, nec perfecte voluntarii ſunt motus ſemideliberati, qui dicuntur ſecundo primi; quia non procedunt a voluntate cum perfecta cognitione.

Reſ. 2. Ut Actus ſit ſimpliciter voluntarius, ſufficit, quod procedat a voluntate cum cognitione objecti, & ſi aliqua ex his ab operante ignoretur inculpabiliter, actus ex ea parte non eſt voluntarius, & de tali intelligitur definitio Ariſt. Hinc

Reſ. 3. Aliquid poteſt eſſe voluntarium ſub una ratione, non ſub altera, V. G. homicidium Clerici poteſt eſſe voluntarium in ratione homicidii, non tamen voluntarium in ratione talis homicidii; quia poteſt hic & nunc haberi cognitio hominis, quæ ſufficit ad homicidium, & tamen ignorari inculpabiliter qualitas perſonæ, cujus cognitio requiritur ad contrahendam malitiam ſacrilegii; quo caſu incurritur irregularitas, non excommunicatio.

Reſ. 4. Non eſt idem volitum, quod voluntarium; volitum enim eſt omne id, in quod proſecutive voluntas tendit velut objectum; voluntarium autem debet procedere a voluntate tanquam cauſa: ſic aura ſerena eſt volita, ſed non voluntaria; ſic mors inimico meo illata poteſt eſſe a me volita, aſt non eſt mihi voluntaria, niſi vel phyſice vel moraliter V. G. ſuadendo ad illam concurram.

(5) *D.* 2. Voluntarium aliud eſt tale *voluntate propria*, quod a propria operantis voluntate procedit; aliud *voluntate aliena*, quod ab alterius quidem voluntate procedit, noſtræ tamen imputatur ob ſubordinationem, vel ſubjectionem, aut pactum legitimi ſuperioris, vel partium inter ſe: ſic peccatum Adami fuit nobis

bis voluntarium, ſic in multis voluntas patris cenſetur voluntas filii impuberis &c. 2. Voluntarium aliud eſt *neceſſarium*, quod procedit a voluntate cum & ex inclinatione appetitus, quia voluntas ſe ipſam complacenter determinat, ſed ſine proxima potentia ad oppoſitum, ut eſt amor beatificus; aliud eſt *liberum*, vel *contingens*, quod procedit a voluntate indifferente ad oppoſitum. 3. Aliud eſt *poſitivum*, eſtque actus poſitivus a voluntate vel elicitus, vel imperatus; poteſt enim unus actus voluntatis alium imperare: aliud *privativum*, & eſt omiſſio libera alicujus actionis. 4. Aliud eſt *perfectum*, quod procedit ex plena deliberatione ſeu advertentia intellectus, & ex pleno conſenſu voluntatis: aliud *imperfectum*, quod ex ſemiplena advertentia, vel ſemipleno conſenſu. Titius dubitat, an actio mala, quam poſuit, fuerit plene voluntaria: quid judicabit?

℞. Si timoratæ ſit conſcientiæ, & ſoleat in illa materia non plene conſentire, judicet non fuiſſe; in dubiis enim fortiſſima præſumptio ſumitur ab aſſuetis. Cajus fuit valde tentatus, ut furaretur rem Titii ſibi valde arridentem, dubitat an interne in furtum plene conſenſerit?

℞. Si adfuit occaſio, nec ratio aliqua humana, vel reſpectus, vel timor ab opere externo deterruerit, judicet ſe non plene conſenſiſſe. Idem eſt de Conſenſu in turpem tactum puellæ, & ſimilibus; quia cum conſenſu deliberate præſtito facile fit proceſſus ad opus, niſi ratio aliqua humana deterreat V. G. pudor, prout ſæpe contingit. 5. Aliud eſt voluntarium *actuale*, & eſt actus in præſenti procedens a voluntate, vel perceptibiliter, & eſt *formale*, vel imperceptibiliter, & eſt *virtuale*. (a) Aliud eſt *habituale*, & eſt talis actus præteritus moraliter perſeverans vel in negatione retractationis, vel in obligatione inducta, aut acceptatione

(a) *Vid. ubi de intentione Tr. de Sacram.*

tione Dei; ſic ſiquis ſemel voluit ſuſcipere Baptismum, & non retractavit, ſi votum emiſit &c. prior voluntas manet habitualiter. 6. Voluntarium aliud eſt *expreſſum*, quod verbis vel ſignis æquivalentibus vel intenditur, vel permittitur; ut ſi ſuperior expreſſe aliquid concedat: aliud *tacitum*, quando volitio alterius circa objectum expreſſe non declaratur, ſed ex quodam facto vel facti ommiſſione, conſideratis circumſtantiis prudenter colligitur actu exiſtere juxta regulam juris: *Qui tacet, conſentire videtur*, de qua mox infra. Aliud eſt *præſumptum*, quando volitio alterius circa objectum actu non exiſtit, datur tamen ratio prudenter præſumendi, quod habiturus eſſet volitionem circa ipſum, ſi ſciret, rogaretur &c. Sed hoc voluntarium non tam eſt a voluntate, quam futurum eſſet a voluntate, & quandoque honeſtat actum, dum de ſola liceitate agitur; ſic ſæpe ſubditus, famulus, amicus honeſte agit, dum judicat approbaturum eſſe ſuperiorem, amicum, ſi ſciret, etſi revera forte approbaturus non ſit; ſic ex voluntate rationabiliter præſumpta Parochi licite do infirmo extremam Unctionem. Sæpe non honeſtat actionem, præſertim dum de valore actus agitur, quia tunc requiritur, ut alterius voluntas aut exiſtat revera, aut extiterit, & revocata non ſit: ſic honeſtum non eſt contrahere Matrimonium nomine alterius, eo quod judices alteri hoc placiturum, cum hic requiratur expreſſa commiſſio; non potes aliquem abſolvere ſacramentaliter, ſi confidas ſuperiorem in jurisdictionem conſenſurum, ſi peteres; quia requiritur jurisdictio actualiter habita, & ſic de aliis. Attamen licite abſolvis pœnitentem ex aliena diœceſi ex tacito conſenſu Epiſcopi, vel Papæ.

(6) Q. Quid de vulgari illo: (a) *Qui tacet, conſentire videtur?*

℟. 1. Regula hæc non tenet univerſaliter; nam taciturnitas de ſe nec aſſenſum, nec diſſenſum ſignificat,

(a) *R. J.* 43. *in* 6.

 ut

ut conſtat ex R. J. (a) *Qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur.*

℞. 2. Tacens conſentire videtur. 1. Si juris diſpoſitione taciturnitas habeatur pro conſenſu; ſic filius vel filia præſens & tacens obligatur ſponſalibus per parentes contractis. (b) *Can. Sufficiat.* 2. Si agatur de ejus favore & commodo, non ſi de gravamine, incommodo vel præjudicio; hinc ſi quis tibi promittat vel donet aliquid, cenſeris tacendo conſentire, non ſi a te petatur aliquid V. G. pecunia. 3. Si conſentire nolens contradicere deberet, non ſi reſpondere aut contradicere non teneatur; ſic reus in judicio ad objectum crimen reſpondere juſſus, ſi taceat, cenſetur fateri; ſic ſedens in capitulo, comitiis, ſenatu, ſi iniquæ electioni, conſtitutioni, tributo non reclamet, dum utiliter poteſt, cenſetur conſentire in ordine ad peccatum incurrendum & pœnam, non quoad valorem electionis; quia in re gravi & communitati præjudicante taciturnitas non debet haberi pro conſenſu. 4. Si quis ex duobus ſibi objectis unum neget, & ad alterum taceat, hoc cenſetur fateri; econtra ſi unum affirmet, de altero taceat, hoc negare cenſetur: ſic S. Gregorius de Chriſto dicit: (c) *Unum negavit, alterum tacendo conſenſit*, intellige: niſi adſint tales circumſtantiæ, quæ vim iſtius præſumptionis elidunt. Denique Superior tacens, quando citra periculum incommodi vel ſcandali contradicere poſſet, cenſetur conſentire: ſic ſuperior ſciens aliquid fieri, quod absque licentia ſua fieri non poſſet, ſi taceat, dum commode contradicere poteſt, cenſetur dare licentiam; aliud eſt, ſi facile impedire nequeat, vel non expediat, niſi opportuno tempore; ſic non omnia, quæ ſummi Pontifices ſciunt & tolerant,

(a) 44. *in 6.*

(b) *Can. 27. q. 2. c. fin. de ſponſa duorum.*

(c) *Hom 18. in Evang.*

tolerant, approbare cenſentur. Unde reſolvimus caſum ſequentem: Parochus, ut impediret peccata gravia, copulavit matrimonialiter Titium cum Caja ex aliena parochia de licentia Ordinarii præſumpta, & tacita Parochi; dum enim eam nuper *a Parocho* peteret, ipſe tacuit; interim pro tollendo omni ſcrupulo petit factum ratum haberi a proprio Parocho, quod ipſe facit. Q. *An in his bene?*

℞. Minime: nam primo non ſufficit licentia tantum præſumpta; nec ſecundo ratihabitio; quia, quod ad valorem requiritur, debet actu præcedere.

Aliud eſt, ſi de ſola liceitate agatur, aut jure Parochi, V. G. in dando Viatico. Tertio, ſufficit quidem tacita, ſed talis non erat in caſu; quod enim Parochus taceret, eſt ſignum mere æquivocum, nec ideo cenſebatur conſentire.

Voluntarium aliud eſt *directum* ſive in ſe, & eſt actio vel ommiſſio in ſe volita, vel poſitive admiſſa a voluntate, vel intenta mediante cauſa: ut ſi ſciens volens ambules, ſi complaceas in motu turpi naturaliter orto, ſi loquaris turpia, ut alter in peccatum inducatur &c. Aliud *indirectum*, & eſt actio vel ommiſſio procedens a voluntate non intenta in ſe, ſed prævisa ſecutura ex alio intento in ſe, vocaturque etiam voluntarium *in cauſa*, vel voluntarium *interpretativum;* ſicut autem cauſa eſt duplex, poſitiva & negativa, ita & hoc voluntarium. Igitur voluntarium in cauſa poſitiva eſt, quod ex actione aliqua poſita ſequi prævidetur, V. G. Motus turpis ex colloquio obſcæno; voluntarium in cauſa negativa eſt, quod ſequitur ex omiſſione actionis V. G. error in officio Confeſſarii admiſſus ex omiſſione debiti ſtudii, vel circumſpectionis. Aliæ diviſiones voluntarii patebunt per decurſum.

(7) Q. 1. Quid requiratur, ut ommiſſio alicujus ſit voluntaria?

℟. 1. Requiritur actus intellectus ſaltem confuſus ad ipſam terminatus; quia nihil volitum, niſi aliquo ſaltem modo præcognitum. 2. Requiritur potentia proxime expedita ad ponendum oppoſitum; alias enim, quod omittitur, non eſt in poteſtate omittentis; hinc incluſus V. G. carceri non omittit voluntarie Miſſam, ergo nec omittendo peccat, licet ſe peccare arbitretur. 3. Contra aliquos Thomiſtas, ut omiſſio ſit voluntaria, non requiritur obligatio ponendi actum, bene tamen, ut ſit culpabilis. *Ratio 1mi eſt.* quia ad voluntarium plus non requiritur, quam quod ſit ſuo modo a voluntate cum cognitione; ſed hoc totum habetur in omiſſione, ſecluſa obligatione ponendi actum, cum ſit altera pars exercitii libertatis. Deinde, quis dicet, me non tam voluntarie omittere Miſſam die feriali, quam feſto? Non tamen ideo ſunt voluntariæ omnes omiſſiones voluntarie dormienti cum dormitione incompoſſibiles, ſed illæ tantum, quarum adeſt confuſa notitia & advertentia. *Ratio 2di eſt:* quia culpa oritur ex transgreſſione legis; ergo ut omiſſio ſit culpabilis, requiritur lex & obligatio ad ponendum oppoſitum.

(8) Q. 2. Quid requiratur, ut effectus ex omiſſione, vel cauſa poſitiva ſecutus ſit voluntarius?

℟. 1. Requiritur aliqua ejus ut certo vel probabiliter ſecuturi cognitio ſaltem imperfecta aut confuſa; voluntarium enim eſt eſſentialiter ex cognitione prævia. 2. Si effectus ex cauſa vel omiſſione ſequatur per ſe V. G. ex applicatione ignis incendium, ex omiſſione ſumptionis cibi debilitas, non requiritur obligatio impediendi illum, ut ſit voluntarius; qui enim vult cauſam, ſive poſitivam, ſive privativam, hoc ipſo ſaltem indirecte vult omnem effectum cum ea per ſe connexum. 3. Si effectus ſolum ſequatur per accidens, ut ſubmerſio navis V. G. ex eo, quod Angelus ei non ſuccurrat, cum poſſit, requiritur obligatio impediendi effectum,

fectum, vel non ponendi cauſam, ut ſit proprie voluntarius; quia hac ſecluſa obligatione, talis ſubmerſio non pendet a voluntate Angeli phyſice; ſic enim pendet a tempeſtate: nec moraliter; cum nihil ſit, in quo fundetur connexio hujus effectus cum omiſſione. Aliud igitur eſt, quod omiſſio ſit voluntaria, aliud, quod effectus; alioquin peccata noſtra Deo eſſent voluntaria, quod male ſonat; poſſet enim impedire, ſi vellet. Non dicuntur autem ipſi voluntaria, quia impedire non tenetur; nec per ſe ſequuntur ex eo, quod impedire omittat, ſed ex noſtra fragilitate aut malitia. *Dixi proprie voluntarius;* quia dici poteſt voluntarius minus proprie, ſive voluntarie permiſſus, quod eſt fundamentum ſufficiens ad culpam, ſi ſit obligatio impediendi, quæ obligatio impediendi, vel non ponendi cauſam facit effectum moraliter connecti cum actu vel omiſſione, V. G. naufragium cum ommiſſione gubernandi navem in nauclero, cui cura ommiſſa eſt. 4. Ut effectus quiscunque ſit indirecte & in cauſa voluntarius, requiritur, ut quis libere potuerit non ponere talem cauſam; & ut imputari poſſit ad culpam, inſuper requiritur, ut fuerit obligatio non ponendi; alias ſicut ad culpam non imputatur cauſa, ſic nec effectus, qui non intenditur; *quod addo;* ſi enim intendatur, jam eſt in ſe volitus. Ex his

Reſ. 1. Petrus inebriatus eſt ex eo, quod non cognoverit generoſitatem vini, vel particularem debilitatem ſtomachi, ebrietas licet ſequatur naturaliter ex vino ſumpto, non tamen eſt voluntaria; quia periculum ejus non eſt prævifum, nec prævideri humano modo potuit, aut debuit.

Reſ. 2. Paulus per experientiam novit ſe in ebrietate rixis, blasphemiis, aliisque illicitis eſſe obnoxium, licet hæc in plena ebrietate fiant, ſunt tamen illi voluntaria in cauſa, & imputantur ad culpam.

Reſ.

Reſ. 3. Non peccat, qui urgente neceſſitate pecuniam, quam aliunde habere non poteſt, petit mutuo ab eo, quem prævidet non daturum niſi ſub uſura; quia petitio pecuniæ non eſt cauſa per ſe voluntatis habendi uſuras, ſed tendit tantum eo, ut velit dare mutuo pecuniam. Idem eſt, ſi petas Sacramenta a miniſtro ſacrilego, dum urget neceſſitas, & deeſt alius, &c.

Reſ. 4. Confeſſarius excipit confeſſiones fæminarum, audit valde obſcœna, Theologus legit libros de tali materia pro neceſſaria inſtructione; Chirurgus medetur in partibus verecundis, alter etiam tantum commoditatis gratia equitat; ſi inde oriantur motus turpes, imo ipſa Pollutio, poſſunt quidem dici voluntaria phyſice in cauſa, non tamen moraliter & imputative ad culpam, ſecluſo ſemper conſenſu interno, vel ejus morali periculo, aut intentione, qua hæc intenderet. *Ratio eſt:* Quia nulla lege obligor ad tollendas has cauſas vel ommittendos hos actus; ad actus enim honeſtos quilibet per ſe jus habet. Econtra ſi per experientiam ſcirem, me hac occaſione frequenter conſenſiſſe in delectationem vel actus turpes, eſſent voluntarii moraliter in cauſa; quia obligor ſaltem ex charitate erga me ipſum ad abſtinendum ab his cauſis, quæ mihi ſunt periculum proximum conſenſus.

Reſ. 5. Video rixantes, quos abſolute ſeparare poſſem, ſed non ſine gravi vitæ periculo, mors inde ſecuta non eſt mihi voluntaria: quia non tenebar cum tanto incommodo ſeparare; aliud eſt, ſi commode impedire poſſim; tunc enim ex charitate teneor.

Reſ. 6. Effectus malus, quem etiam per accidens vides ſecuturum, eſt culpabilis, ſi abſit juſta cauſa ponendi actionem; cum ipſa ratio dictet, vitandum eſſe effectum malum, ſi absque incommodo poſſis, & non ſit, cur non vites: ſecus ſi adſit juſta cauſa, quia hæc facit, ut poſſis permittere effectum per accidens ſequentem;

tem; alias male egiſſet Chriſtus prædicando Judæis, quos ſciebat prædicatione abuſuros ad damnationem.

Reſ. 7. Cauſa debet eſſe major, quo pejor eſt effectus; quia eo magis eſt vitandus; ergo cauſa, cur non vitetur, præponderare debet. Hinc cauſa major requiritur, ſi effectus conjungatur cum damno tertii: ſi ſequatur certo vel proxime, vel ſine alterius libertate; minor eſſe poteſt, ſi ſequatur ex arbitrio alterius, ſi remote, ſi probabiliter tantum.

Reſ. 8. Rea eſt abortus fæmina, quæ a quatuor menſibus gravida in nuptiis exceſſive ſaltat, putans quidem ſe non nocituram proli, angitur tamen, & poſt aliquot dies parit prolem mortuam. *Ratio hujus eſt*; quia ſaltus ſaltem exceſſivus erat ipſi tunc graviter illicitus; cum enim abortus præſertim fætus animati ſit graviſſimum malum, cavenda etiam eſt cauſa, ex qua raro oritur.

Reſ. 9. Caupo pluries eſt expertus, quod duo homines inebrientur, dum bibunt quatuor lagenas vini, ne tamen lucro privetur, ad eorum inſtantiam promit quartam. *An peccat?*

℟. Peccat graviter, & ebrietas illorum eſt ipſi indirecte, ac interpretative voluntaria. *De quo vide, ubi de ſcandalo.*

Caja puella valde formoſa; ſed decenter ornata novit, quod a Cajo juvene turpiter ametur, ac quoties in publicum procedit, adeſt juvenis concupiſcentiæ ſtimulis agitatus. *Quid faciet?*

℟. Non tenetur ideo manere domi, ſed poteſt etiam honeſtæ recreationis cauſa exire: ad hoc enim habet jus; ideo ipſi non cenſetur voluntarius effectus malus ex aliena malitia per accidens ſecuturus.

Berta nobilis fæmina, ut ſe conformet aliis ſuæ conditionis, & ſuo marito placeat, veſtes defert circa collum ita ſubtiles, ut pectus quaſi nudum oſtendat. *Qualiter peccat?* ℟. In-

℟. Indirecte voluntaria ſunt peccata, in quæ puſilli ideo labuntur; non enim habet cauſam ſufficientem, quæ compenſet peccata illa, quæ prudenter timere debet; eſtque hæc oſtentatio de ſe inductiva, conſiderata præſertim ſæculi præſentis corruptione. Confeſſarius facillimus eſt in danda abſolutione, quamvis pœnitentes ſæpe relapſi ſint in idem grave peccatum, ac leviſſimam pœnitentiam injungit. *An peccat?*

℟. Indirecte voluntaria ſunt illi ſuorum pœnitentum peccata. Ob indulgentiorem illam praxin teſte S. Saleſio perit multitudo infinita: medium tenere oportet.

QUÆSTIO III.

(9) *An, & quomodo violentia, & metus cauſent involuntarium?*

N. 1. *Violentum eſt*, quod ab extrinſeco eſt renitente paſſo; ſi reſiſtat per voluntatem vel appetitum ſenſitivum, dicitur ſimul *coactum*, prout eſt in homine & bruto: ſi tantum renitatur per naturalem inclinationem, dicitur tantum *violentum*; ſic projectio lapidis ſurſum eſt lapidi violenta, non coacta.

N. 2. *Neceſſarium* eſt, quod procedit a principio determinato ad unum. *Involuntarium* eſt, quod non procedit a voluntate, vel *negative* (quod ſimpliciter non eſt a voluntate) vel *poſitive* ſive *contrarie*, quod non eſt a voluntate cum renitentia, quantum eſt de ſe, efficaci appetitus eliciti.

N. 3. Involuntarium aliud eſt *ſimpliciter tale*, quod eſt contra voluntatem omnibus conſideratis repugnantem: aliud *ſecundum quid tale*, quod quidem eſt contra voluntatem, ſed ſpectatis omnibus volentem V. G. projectio mercium in mare eſt nautæ involuntaria ſecundum quid; vellet enim libenter eas retinere, habetque inefficacem affectum ad eas; ne tamen conſiderata

rata tempeſtate mergatur, eligit projectionem, quæ ideo eſt voluntaria ſimpliciter.

N. 4. *Violentia* eſt vis ab extrinſeco illata cogens ad aliquid agendum, vel patiendum contra naturalem paſſi inclinationem.

(10) *D.* 1. Violentia abſoluta & efficax, cui reſiſti non poteſt, cauſat involuntarium ſimpliciter; ſive actus ex tali violentia factus eſt ſimpliciter involuntarius; quia facit actum non procedere ab intrinſeco, quod requiritur ad voluntarium, ſed ab extrinſeco, & quidem renitente voluntate. Hinc qui violenter arreptis manibus obſcœna attrectaret, non peccaret ob defectum voluntarii. Dixi: *Cui reſiſti non poteſt;* quia ſi poſſit reſiſti, neque omnibus moraliter modis reſiſtatur, id, quod per violentiam fit, eſt indirecte voluntarium in ommiſſione illius reſiſtentiæ. Hinc ad evitandum peccatum requiruntur duo: 1. Ut violentiam patiens habeat conſtantem voluntatem internam reluctantem; dum enim conſentire incipit, eſt peccatum, quia voluntarium. 2. Ut exterius reſiſtat omni meliori modo, reluctando, fugiendo &c. ideoque non ſufficit nuda interna diſplicentia. Quantum autem reſiſti debeat, menſurari debet ex obligatione præcepti ad actum vel ejus omiſſionem; ſi enim hoc ſit naturale negativum V. G. de fornicatione vitanda, adhibenda eſt omnis poſſibilis reſiſtentia: ſi tantum affirmativum poſitivum V. G. de audienda miſſa, non requiritur omnis reſiſtentia poſſibilis, quia hæc ordinarie non obligant cum gravi incommodo.

Reſ. Mulier vi oppreſſa non tantum tenetur omni poſſibili modo exterius reſiſtere, ſed & clamando aliorum opem implorare, ſi utiliter poſſit; tum quia exponit ſe evidenti periculo conſentiendi in delectationem; tum quia non clamando, dum per hoc eſt ſpes impediendi, cenſetur conſentire, aut ſaltem cooperari pec-

cato

cato alterius. Hinc frivola eſt excuſatio, qua dicit noluiſſe alium, aut ſe ipſam infamare, quia alter non habet jus ad famam, & ſuæ malitiæ imputet; ipſa vero laudem meretur ex tali clamore. Sed quid ſi ſtuprator ſtricto pugione minetur mortem puellæ, ſi clamet? ℞. Vel mulier moraliter certo prævidet ſe conſenſuram turpi delectationi? & clamare tenetur, non obſtante evidente periculo mortis; quia conſentire eſt intrinſece malum. Vel prudenter prævidet ſe non conſenſuram? & adhuc tenetur repugnare, quantum poteſt, ſed non clamare; quia non tenetur cum tanto periculo cuſtodire corporis ſui integritatem; aſt quia raro erit mulier tam fortis, quæ licet ab initio reluctetur, poſtea non conſentiat in delectationem, hinc raro evadit ſine peccato mortali. *Pro altera parte.*

N. 1. Metus deſcribitur inſtantis vel futuri mali cauſa mentis trepidatio, ideoque ex metu agere eſt ex formidine mali imminentis vel futuri aliquid facere, vel omittere.

N. 2. Metus oriri poteſt vel *ab intrinſeco* V. G. a morbo: vel *ab extrinſeco naturali* V. G. a beſtia: vel *ab extrinſeco libero juſte*, ſi incutiens habeat poteſtatem & juſtam cauſam incutiendi V. G Judex reſpectu delinquentis: vel *ab extrinſeco libero injuſte metum incutiente*, ſi juſtam cauſam non habeat V. G. latro minatur mortem, niſi des pecuniam.

N. 3. Metus dividitur in *gravem*, *levem*, & *reverentialem*. *Gravis* (qui etiam dicitur juſtus cadens in conſtantem virum) eſt, quo timetur malum vel abſolute vel reſpective grave, probabiliter imminens, & difficulter evitabile. V. G. mors, mutilatio, infamia gravis, notabilis amiſſio bonorum &c. *Levis* eſt, qui vel de malo reſpective levi, vel de gravi probabiliter non futuro, aut facile evitabili concipitur. *Reverentialis* eſt, quo ſubditus timet offenſam Superioris V. G. Filius

Filius parentum, uxor mariti &c. Hic metus de ſe videtur levis, ſæpe tamen eſt gravis, præſertim ſi accedant diuturnæ offenſæ, preces valde importunæ a Superiore duro, ejus minæ, &c.; hæc enim virum cordatum rationabiliter concutiunt.

N. 4. Malum *abſolute grave* eſt, quod reſpectu cujuscunque eſt grave, ſive immineat nobismet ipſis, ſive proxime conjunctis. *Reſpective grave* eſt, quod viro conſtanti non eſt formidabile, merito tamen aliquam perſonam commovet attenta ejus conditione. V. G. Fæminam, aut puerum citius aliqua movent.

(11) *D.* 2. Quæ fiunt ex metu quocunque non perturbante rationem, ſunt voluntaria ſimpliciter, ſæpe tamen involuntaria ſecundum quid. *P.* 1. *pars.* Quod procedit efficaciter ab intrinſeco cum cognitione, hoc ſimpliciter eſt voluntarium; ſed projectio V. G. mercium ex metu naufragii ita procedit; deliberate enim eligitur a voluntate tanquam medium: ergo. Metus itaque impellit, non tamen neceſſitat voluntatem. *p.* 2. *Pars.* Involuntarium ſecundum quid eſt, quod fit cum aliqua nolitione inefficaci, eoquod voluntas retineat affectum conditionatum non faciendi hoc, quod facit ex metu, ſi metus non adeſſet; ſed ſic eſt; ergo. Igitur, quæ ex metu fiunt, voluntate efficaci ſunt volita, & tantum inefficaciter nolita... Dixi 1. *Non perturbante rationem;* quandoque enim malum imminens ita turbat rationem & ejus advertentiam, ut tollat voluntarium. . . Dixi 2. *Sæpe ſecundum quid;* quia quando ſcilicet metus non eſt totale motivum operis; item quando ipſa voluntas conditionata eſt inductiva mali, quod ex metu deſideramus evadere; ſic qui ex metu gehennæ abſtinet a peccato, non debet habere voluntatem iſtam conditionatam, qua abſtinere nollet, ſi non daretur gehenna: quia hæc ipſa voluntas eſt mortaliter mala, adeoque inductiva gehennæ; non ſic vo-

luntas conditionata projicientis merces eſt inductiva naufragii.

(12) *D.* 3. Metus gravis mali poteſt excuſare totaliter a peccato, non ex eo, quod tollat voluntarium ad peccatum requiſitum, ſed indirecte, quatenus tali caſu lex obligare ceſſat. Pro quo

Reſ. 1. Nullus metus excuſat a peccato contra legem naturalem negativam in actibus intrinſece malis, ut ſunt adoratio idoli, abnegatio fidei, adulterium, fornicatio, mendacium etiam leviſſimum &c. quia actus intrinſece malus ſcienter nunquam licite fit; quamvis igitur metus in his voluntarium minuat, ideoque & culpam, ſuppoſita tamen ſufficienti advertentia, quæ raro abeſt, ad venialem usque non minuit.

Reſ. 2. Metus gravis excuſat a peccato contra legem naturalem in actibus, qui aliqua ratione cohoneſtari, & in certo caſu licite fieri poſſunt. V. G. homicidium injuſti invaſoris, non reſtitutio rei alienæ: ſic non teneor cum periculo mortis ſubvenire proximo in neceſſitate corporali conſtituto, negare enſem depoſitum, dum vult eo abuti ad occidentem innocentem &c.

Reſ. 3. Metus gravis excuſat a peccato in actibus legis divinæ poſitivæ, reſpicientis bonum particulare operantis, vel privatorum, ut ſunt de integritate confeſſionis, obſervatione certorum votorum, juramentorum, dierum feſtorum &c.; cum enim hæ leges ſint propter bonum operantis, non videtur bonus Deus cum tanto operantis periculo obligaſſe. Econtra ſi hæ leges principaliter reſpiciant bonum commune, ut ſunt omnia præcepta de adminiſtratione Sacramentorum in debita materia & forma, de ſigillo confeſſionis &c. non excuſat metus; bonum enim publicum præferendum eſt privato.

Reſ. 4. Metus vere gravis per ſe ſemper excuſat a transgreſſione legis humanæ. *Ratio eſt* præſumpta intentio

tentio legislatorum nolentium cum tanto periculo obligare; quod nec poſſunt, ne leges fiant irrationabiles. Dixi: *Per ſe;* quia per accidens etiam obligant cum certo vitæ periculo, quandocunque lex ſuperior ita obligans concurrit, ut 1. quando ex obſervatione legis humanæ major utilitas boni communis ſperatur, & ex neglectu majus malum timetur, quam ſit bonum vel malum privati. Hinc miſſionarius a ſuperiore legitimo conſtitutus tenetur miſſionem aggredi, miles ſtationem ſervare, Parochus Sacramenta adminiſtrare cum evidenti periculo vitæ. 2. Quando transgreſſio cedit in contemptum poteſtatis legislativæ, fidei, Dei, Religionis, in ruinam ſpiritualem propriam, vel proximi; tunc enim concurrit lex naturalis negativa obligans, & transgreſſio eſt intrinſece mala. *Denique* ſi reſpiciat bonum ſpirituale proximi, poteſt lex obligare cum periculo vitæ; ut de Baptismo conferendo infanti moribundo.

Quid operetur metus circa contractus, vota, matrimonium, dicetur ſuis locis.

QUÆSTIO IV.

(13) *An, & quomodo ignorantia cauſet involuntarium?*

N. 1. Ignorantia, quæ eſt carentia notitiæ vel cognitionis circa aliquod objectum, ex parte ſubjecti triplex eſt: *negativa,* (& eſt carentia in ſubjecto ſaltem pro tali ſtatu inepto V. G. infante) *privativa,* (& eſt carentia in ſubjecto apto habere illam notitiam; ut ignorantia ſcitu neceſſariorum in adulto) & *poſitiva,* & eſt carentia in ſubjecto apto cum errore veritati ignoratæ oppoſito: talis eſt V. G. in ignorante Chriſtum eſſe Deum, & judicante eſſe purum hominem. Nomine ignorantiæ etiam hic venit oblivio, inadvertentia, inconſideratio.

N. 2. Ex parte objecti alia eſt *juris* (qua ignoratur lex, & ejus obligatio) alia *facti*, qua ignoratur factum aliquod vel non factum V. G. ſi ignores hodie eſſe legem abſtinentiæ, eſt ignorantia juris; ſi ignores, quod hoc, quod manducas, ſit caro, eſt ignorantia facti. Alia adhuc eſt ignorantia *pœnæ*, qua ignoratur pœna huic vel illi actioni annexa. V. G. excommunicatio percuſſioni Clerici.

N. 3. Ignorantia alia eſt *antecedens*, & eſt carentia notitiæ præcedens omnem actum voluntatis circa objectum ignoratum, eoquod nulla ſuſpicio vel dubitatio inciderit de obligatione inquirendi, eſtque cauſa operis, in quantum removet ſcientiam, qua habita opus non fieret: alia eſt *concomitans*, quæ antecedit omnem actum voluntatis circa objectum ignoratum, nec eſt cauſa operis, nec non cauſa poſitive; hoc eſt, quod nec moveat ad operandum, nec removeat; talis ignorantia eſt in illo, qui ignorans eſſe diem Jejunii carnes comedit, quod absque eo faceret, ſi ſciret: alia eſt ignorantia *conſequens*, quæ aliquo modo ſequitur actum voluntatis nolentis vel negligentis inquirere; eſtque directe vel indirecte volita; hæc dicitur *vincibilis*, antecedens *invincibilis*. Male autem confunditur ignorantia *vincibilis* cum *culpabili*; nam *culpabilis* eſt, quæ adhibita morali diligentia tolli & potuit & debuit: *inculpabilis* econtra, quæ vel non potuit, vel non debuit tolli; ideoque ad culpabilem non ſufficit, quod poſſit, ſed & requiritur, quod debeat vinci. Igitur requiritur 1. ut ſit de re, cujus notitia in tali perſona & circumſtantiis haberi poſſit; quod enim non eſt in mea poteſtate, nequit mihi ad culpam imputari. 2. ut venerit in mentem cogitare vel dubitare de oppoſito; ſi enim nulla cogitatio etiam confuſa venerit in mentem, qua voluntas ad inquiſitionem excitaretur, non poteſt vinci. 3. ut non adhibuerit ſufficientem diligentiam

gentiam in inquirenda veritate, dum de obligatione inquirendi incidit cogitatio. *Denique* ut ignorans teneatur ſcire, quod ignorat, utpote concernens ſuum ſtatum vel officium: alias erit vincibilis, aſt non culpabilis.

N. 4. Ignorantia conſequens alia eſt *affectata*, quæ directe eſt volita; ut dum quis non vult inquirere, ſive ob tædium, ſive ut liberius peccet: alia *non affectata*, quæ tantum indirecte volita eſt in omiſſione ſufficientis diligentiæ; & hæc vel dicitur *craſſa* aut *ſupina* (ad quam tollendam nulla diligentia eſt adhibita) alia *non craſſa*, ad quam tollendam adhibita quidem eſt aliqua diligentia, ſed non ſufficiens. Quanta autem diligentia adhiberi debeat, ut quis excuſetur a mortali vel etiam omni peccato, difficillimum eſt judicare in praxi, ſuntque penſandæ omnes circumſtantiæ; ſi enim agatur de præcepto naturali, major requiritur. Penſanda eſt qualitas perſonæ; nam homo doctus bene educatus ad majorem tenetur, quam homo ſimplex & plebejus: penſanda eſt ipſa operatio; ſi enim hæc poſſit graviter nocere proximo, major requiritur; ideoque major, ubi de vita, quam de fortunæ bonis agitur; & ſic de aliis. Penſanda inſuper eſt ratio temporis, loci &c. nam in eodem negotio uno tempore & loco majorem teneor adhibere diligentiam, quam alio. Generaliter tamen dici poteſt non eſſe neceſſarium, quod quis adhibeat diligentiam ſummam; hoc eſt, quod faciat totum, quod in ſe eſt, ſed ſufficit adhibere diligentiam moralem, communem ordinariam; hoc eſt: eam, quam viri prudentes & timorati ſolent adhibere in ſimili negotio.

(14) Quæ fiunt ex ignorantia ſimpliciter antecedente, ſunt ſimpliciter involuntaria quoad ignorata, ideoque quoad hæc a peccato excuſantur. Idem eſt de oblivione naturali, inadvertentia; quia actus,

 qui

qui ex illa fit, nec directe, nec indirecte eſt voluntarius, imo eſt contra habitualem inclinationem voluntatis; ſi enim adeſſet notitia, actus non poneretur; ideoque ſunt ſuo modo poſitive involuntaria. Quæ fiunt ex ignorantia conſequente, ſunt voluntaria ſimpliciter, ſique ignorantia ſit culpabilis, imputantur ad culpam; hæc enim eſt directe vel indirecte voluntaria in omiſſione diligentiæ debitæ, ergo & effectus ex illa ſecutus eſt voluntarius ſimpliciter, licet quandoque involuntarius ſecundum quid: ut ſi quis ex vincibili ignorantia occidat amicum. Quæ fiunt ex ignorantia concomitante, ſunt involuntaria quoad ignorata, ſed negative tantum, ſive non voluntaria V. G. venator facta debita diligentia putans ſe occidere cervum, occidit inimicum ſuum ad necem quæſitum, hoc homicidium non eſt illi actu voluntarium; non enim eſt cognitum etiam invincibiliter: nec eſt poſitive involuntarium; quia non eſt contra inclinationem voluntatis; gaudet enim, dum advertit: ergo eſt tantum non voluntarium. Nec obſtat, quod homo ille ita ſit affectus, ut ſi adverteret, occideret; quia non imputatur ad culpam, quod quis faceret, ſed quod voluntarie facit. Imo talis actualis animi comparatio, licet ſit voluntaria & peccatum, actus tamen externus ideo non eſt voluntarius, quamvis ſit volitus; hinc ſi ex tali ignorantia occideret Clericum inimicum, non incurreret excommunicationem, irregularitatem, onus reſtitutionis &c. quia actus externus non eſt voluntarius, & internus non inducit has pœnas, ſed externus voluntarie poſitus. Ex his pro clariori.

Reſ. 1. Titius antehac fecit aliquid graviter illicitum, aſt ſine omni remorſu conſcientiæ, vel ſuſpicione malitiæ, quod modo audit eſſe peccatum, non tenetur illud confiteri; quia ob ignorantiam invincibilem non peccavit: ſi vero tunc adfuerit aliqua ſuſpi-

cio malitiæ, & tamen non adhibuerit debitam diligentiam in inquirendo, ignorantia fuit culpabilis, adeoque peccavit, & confiteri tenetur; & talis eſt ordinarie in peccato mollitiei, vel ſaltem ad breve tempus non eſt inculpabilis.

Reſ. 2. Ea, quæ ſpectant ſpecialiter ad proprium ſtatum vel officium, raro ignorantur invincibiliter, quia quisque per ſe loquendo tenetur & poteſt ſcire, quæ ſunt ſui officii; alias ſi non poſſit ſcire V. G. præ hebetudine, debet officium abdicare, & de his verum eſt illud vulgatum juris: *Scire & debere ſcire æquiparantur.* Dixi: *Per ſe;* quia per accidens poſſunt ignorari invincibiliter: quando quis juxta officii & perſonæ qualitatem adhibuit moralem diligentiam ad ſciendum, multa ſcit, aliqua autem vel difficillima, vel raro contingentia, vel de quibus nil venit in mentem, ignorat; alias quis vellet aſſumere officium Judicis, Advocati, Confeſſarii, Medici &c.?

Reſ. 3. Ut Judex peccet, dum poſtea injuſtam fert ſententiam circa teſtamentum, V. G. non eſt neceſſe, ut determinate agnoſcat ſe neſcire materiam de teſtamentis, ſed ſatis eſt, ſi agnoſcat ſe non ſatis ſcire, quæ ad ſuum officium pertinent, & ideo poſſe gravia mala cauſari reipublicæ, vel damna proximo. Idem eſt de Confeſſario, Parocho, & ſimilibus. Igitur

Reſ. 4. Si ſimiles, advertant deeſſe ſibi ſufficientem ſcientiam, & negligant acquirere (prout proh dolor! faciunt Confeſſarii multi) aut ante acquiſitam pergant, errores, quos committunt, imputantur ad culpam; quia ſunt illis voluntarii in cauſa, quam libere continuando peccant formaliter.

Reſ. 5. Simplices ſi ordinariam juxta muneris ſui conditionem diligentiam adhibuerint, ac juxta gravitatem negotii hic & nunc occurrentis requiſitam adhibeant circumſpectionem, ſunt tuti in conſcientia. Sim-

plici ſufficit, ſi ſequatur ſuum Parochum vel Confeſſarium, quem ſufficienter inſtructum exiſtimat: ſic & excuſatur a culpa ruſticus non ſervans Jejunium in hebdomada occurrens, ſi dubitans veritatem inquiſiverit ab iis, qui interfuere concioni vel miſſæ majori, in qua hæc ſolent promulgari: quia adhibuit diligentiam, quam prudentes in ſimili negotio juxta facti qualitatem & circumſtantias ſolent adhibere.

Reſ. 6. Si negligentia ſit tantum venialiter culpabilis, opus ex ea ſequens eſt veniale tantum; culpa enim commenſuratur negligentiæ culpabili habendi ſcientiam: unde non incurrit irregularitatem, cenſuram, & probabiliter aliquod onus reſtitutionis &c.

Reſ. 7. Ignorantia non affectata minuit voluntarium; quia per ſe loquendo minus voluntarium eſt, quod eſt tantum indirecte tale, ideoque & minuit culpam.

Reſ. 8. Ignorantia vincibilis rei, cujus notitia per ſe eſt præcepta, V. G. negligentia in ſciendis myſteriis fidei, eſt ſpeciale peccatum contra fidem: ſi autem cognitio tantum præcipiatur in ordine ad opus, V. G. Jejunium, quod præcipitur, non eſt ſpeciale peccatum; ex eodem enim præcepto, quo teneor jejunare, teneor & inquirere: unde ſi negligens inquirere non jejunem, ſatis eſt, ſi confitear: violavi jejunium.

Obſ. Ignorantia eſt vincibilis primo in ſe ipſa, dum agens advertit, opus, quod aggreditur, mereri plus conſiderationis, nec tamen majorem adhibet. Secundo in alio, dum agens vult aliud, quod cum ſeria rei faciendæ conſideratione cohærere non poteſt: V.G. ſequi paſſionem, vel dum non emendat defectum aliquem, qui advertentiam tollit: V. G. præcipitationem in agendo, negligentiam in advertendo.

Confeſſarius cum ignorantia eorum, quæ ad ſuum officium pertinent, audit confeſſiones non ſine periculo errandi.

errandi. Q. 1mo, *An hæc ignorantia ſit ſpeciale peccatum.* 2do, *Quoties peccet peccato ignorantiæ.* 3tio, *Quot peccata inde orta ei imputentur.*

℞. Ad 1. Eſt: Vide ſupra. Reſ. 8. Ad 2. Toties, quoties adeſt tempus vel occaſio acquirendi ſcientiam, & negligit: *item* quoties hic & nunc cum dubio vel ſuſpicione malitiæ operatur; ſi vero errores comittat nil cogitando de malitia, non peccat tunc formaliter, licet peccaverit non amovendo ignorantiam; quia, ut quis formaliter peccet, debet hic & nunc adeſſe libertas. *Vide de peccatis Q. VI.* Ad 3. Illa imputantur ad culpam, quorum probabile periculum prævidit, & ſe exponit: hoc autem debet colligi ex loco, tempore, & perſonarum, quæ confitentur, qualitate; cum enim Confeſſarius de omnium conſcientiis judicare debeat, omnium reſpective ſtatuum fraudes & errores ſcire debet, ut diſcernat, quæ agenda & fugienda ſunt ab unoquoque: hinc quot peccata mortalia multi Confeſſarii ideo committant, vix ſciri poteſt. *Plura de ignorantia, ubi de Conſcientia & Legibus.*

QUÆSTIO V.

(15) *An Concupiſcentia cauſet involuntarium?*

N. 1. Concupiſcentia eſt motus appetitus ſenſitivi bonum delectabile proſequentis, & malum oppoſitum fugientis, eſtque duplex; *antecedens* & *conſequens.* 1ma eſt, quæ ex ſola apprehenſione objecti delectabilis vel contrarii absque ulla deliberatione voluntatis aut conſenſu exſurgit, vel durat in parte ſenſitiva; ut cum viſa formoſa muliere accenditur libido, & movetur voluntas ad delectationem circa illam. 2da eſt, quæ deliberato arbitrio & conſenſu voluntatis vel

jam excitata admittitur, vel etiam excitatur ad intenſiorem operationem producendam.

N. 2. Voluntas per eundem actum ſæpe fertur in diverſa objecta, in unum directe, in alterum indirecte & interpretative. V. G. qui dat oſculum laſcivum, hoc & ejus delectabilitatem directe intendit, peccatum vero indirecte & interpretative; vix enim aliquis hoc directe intendit, imo potius abeſſe vellet.

D. 1. Concupiſcentia antecedens reſpectu objecti, ad quod directe movet voluntatem, auget voluntarium in ratione voluntarii; quia ſuppoſita cognitione eo magis voluntarius eſt actus, quo fit cum majori voluntatis inclinatione; ſed concupiſcentia ita ſuaviter trahit voluntatem, ut toto impetu feratur in objectum; quod patet in hominibus iracundis, libidinoſis &c. ergo. Reſpectu vero objecti indirecti ſæpe minuit voluntarium; minuit enim cognitionem hujus objecti; nam forti concupiſcentia illectus ita ſæpe inhæret objecto delectabili, ut nonniſi confuſe ad turpitudinem actus & offenſam Dei advertat; ergo reſpectu horum minuit voluntarium; hinc & minuit peccatum: non tamen regulariter tollit; quia cognitio etiam valde confuſa hic ſufficit ad peccatum etiam grave.

D. 2. Concupiſcentia antecedens minuit liberum contingens, imo quandoque tollit; quia concupiſcentia antecedens vel tollit vel minuit deliberationem rationis; nec ſinit intellectum ſatis conſiderare circumſtantias, motivaque in utramque partem; ergo minuit voluntarium in eſſe liberi; quinimo experientia teſte tanta quandoque eſt vehementia concupiſcentiæ, V. G. iræ, ut ceſſet indifferentia rationis, & libertas ad peccatum requiſita.

Reſ. 1. Motus vitioſi voluntatis ex paſſione concitati non ſunt peccaminoſi, quamdiu ratio illos non advertit; fiunt autem peccaminoſi, quamprimum ratio advertit,

advertit, & non mox contradicit; tunc enim adeſt libertas, & paſſio ipſa ex antecedente fit conſequens, ac voluntaria ſaltem interpretative.

Reſ. 2. Concupiſcentia conſequens qua talis nunquam cauſat involuntarium; quia ſequitur ipſum actum voluntatis: ſi autem concupiſcentia conſequens a voluntate excitata ipſam magis accendat, ut actum intenſius proſequatur, reſpectu hujus eſt antecedens.

(16) *Q.* Quid dicendum de conſuetudine?

Cum difficillimum ſit operari oppoſitum iis, qui prava conſuetudine laborant, hinc, quæ de concupiſcentia dicuntur, etiam ſuo modo tenent de conſuetudine & habitu pravo.

℟. 1. Qui voluntarie & advertenter frequentatis actibus contrahit conſuetudinem, V. G. blasphemandi, pejerandi, peccat dupliciter 1. in ipſo actu blasphemiæ, 2. Voluntarie ponendo cauſam ſecuturis blasphemiis, ideoque in confeſſione non tantum dicere debet: circiter trigeſies V. G. blasphemavi, ſed & ita continuo blasphemavi, ut conſuetudinem blasphemandi mihi quaſi naturalem induxerim, poſito, quod ad hoc adverterit, prout raro rudes advertunt.

℟. 2. Qui talem conſuetudinem malam contraxit, tenetur ſub mortali ſeriam operam dare, ut deſueſcat; alias cenſetur eam velle & approbare: ſicut qui ignem excitavit etiam inadvertenter, ex quo incendium oriturum prævidet, niſi extinquat; ideoque manet in continuo peccato mortali; eſtque tali neganda abſolutio, donec pro ea tollenda ſerio laboret.

℟. 3. Poſtquam quis conſuetudinem contractam efficaci propoſito retractavit, debitamque deſueſcendi diligentiam adhibet, jam actus blasphemiæ, V. G. ſequentes vi conſuetudinis & quaſi naturali impetu prorumpentes ad peccatum amplius imputari nequeunt;

quia non ſunt voluntarii nec in ſe & directe, ut ſupponitur, nec indirecte & in cauſa, quia hæc efficaciter retractata eſt.

DISSERTATIO II.

DE BONITATE ET MALITIA ACTUUM HUMANORUM.

QUÆSTIO I.

(17) *Quomodo Bonitas, & Malitia ſumatur ex objecto?*

N. 1. Honeſtas ſive *bonitas moralis* actionis humanæ eſt conformitas illius cum regulis morum; econtra *inhoneſtas* vel *malitia moralis* eſt difformitas cum iisdem regulis. Hinc actus moraliter bonus eſt, qui eſt conformis; malus, qui eſt difformis regulis morum; actus autem *moralis* eſt actus humanus liber cum advertentia ad rectam rationem vel regulas morum.

N. 2. Duæ ſunt regulæ moralitatis: una *extrinſeca & remota* in mente divina exiſtens, ſive lex vel voluntas æterna Dei præcipiens vel approbans, prohibens, conſulens vel mere permittens; alia *proxima & intrinſeca* & in homine reſidens, ſecundum quod prædictam legem participat, eique ſubordinatur, & eſt ipſa conſcientia noſtra, quæ eſt quaſi præco legis Dei æternæ.

N. 3. Licet aliqua dicantur mala, quia ſunt prohibita, qua mala, ut mendacium; omnia tamen ſunt moraliter mala & inhoneſta formaliter & complete, quia prohibita aliqua lege. Senſus igitur eſt: alia

eſſe

eſſe ſolum formaliter mala, quia prohibita, ita ut non exigant eſſentialiter prohiberi; alia vero eſſe prohibita, quia mala fundamentaliter & incomplete, ſeu quia eſſentialiter exigunt prohiberi, quia repugnant alicui perfectioni divinæ, ut eſt mendacium, odium Dei &c. Quod ſi igitur odium Dei nulla lege prohiberetur, eſſet quidem inchoative malum, non tamen ex obligatione fugiendum, & qui Deum odiſſet, in tali hypotheſi non eſſet dignus pœna æterna vel vituperio; cum non ſit dignus vituperio proprie vel pœna, qui non agit contra obligationem ſtrictam ex dominio & poteſtate Superioris. Sed de hoc ſpeculentur alii.

(18) *N.* 4. Actus humanus ſuam bonitatem vel malitiam moralem deſumit ex triplici capite: ex *objecto*, ex *fine*, & ex *circumſtantiis*; ſi vel in uno ex his deficiat, non eſt amplius conformis dictamini rectæ rationis, ideoque nec amplius honeſtus, bonus, & laudabilis, juxta illud receptum; *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu.*

N. 5. Per objectum hic intelligitur id, ad quod actus humanus ex natura ſua per ſe primo ordinatur. V. G. ſublevatio alienæ indigentiæ eſt objectum actus eleemoſynæ.

N. 6. *Finis* eſt id, cujus gratia aliquid fit, eſtque alius intrinſecus, ad quem opus ex natura ſua ordinatur; ſic finis intrinſecus eleemoſynæ eſt ſublevatio pauperis, qui etiam vocatur finis operis, & coincidit cum objecto: alius extrinſecus, quem operans ſibi præfigit, ideoque vocatur finis operantis; poteſtque eſſe bonus vel malus. V. G. das eleemoſynam ad obtinendam remiſſionem peccatorum, vel ex vana gloria.

N. 7. Objectum (idem eſt de circumſtantiis) non tribuit ſpeciem moralem actui, prout eſt in ſe, & a parte rei; ſic enim ſæpe eſt indifferens; nam eadem pecunia eſt objectum liberalitatis & avaritiæ; ſed prout

ſubſtat

ſubſtat legi & dictamini prudenti practico conſcientiæ; ſic exercet actum latriæ, qui adorat hoſtiam, quam prudenter credit eſſe conſecratam, licet re ipſa non ſit; & licet aliqua de ſe ſint mala vel bona, talia tamen non ſunt complete in ordine ad actus morales, niſi per legem. *Ut ſupra N. præced.*

D. 1. Actus humanus ab objecto deſumit bonitatem vel malitiam primariam ſpecificam, & ſuo modo eſſentialem. *Ratio eſt*: quia ſicut in naturalibus ſe habet forma in ordine ad compoſitum intrinſece ſpecificando, ita ſe habet objectum in ordine ad actum humanum extrinſece ſpecificando; ergo ſicut forma V. G. ignis dat compoſito ſpeciem primam & eſſentialem, ita objectum tribuit actui bonitatem vel malitiam in eſſe moris, & objectum eſt quaſi baſis & fundamentum eorum, quæ circumſtant; ſic bonitas vel malitia ex illo eſt fundamentum accidentium moralium actui humano.

D. 2. Actus humanus tum a fine extrinſeco, tum a circumſtantiis qua talibus accipit bonitatem vel malitiam accidentalem; hæc enim bonitas vel malitia ſupponit aliam ex objecto derivatam, & poteſt adeſſe vel abeſſe ſalva bonitate vel malitia ex objecto: ſic furtum in genere moris ſumit primariam malitiam ex objecto, quod eſt contrectatio rei alienæ invito rationabiliter domino, ſine quo nequit eſſe furtum; quod vero quis furetur ex intentione, ut poſſit indulgere potui, eſt accidentale. Dixi: *qua talibus;* quia quandoque tribuunt etiam primam & eſſentialem bonitatis vel malitiæ ſpeciem. V. G. qui actionem ex ſe indifferentem, ut ſtudium, refert ad honorem Dei, vel actionem bonam ad finem malum; ſed tunc circumſtantiæ, utpote per ſe intentæ, induunt rationem objecti in genere moris.

Reſ. 1.

Reſ. 1. Ut actus ſit formaliter malus, ſufficit malitiam eſſe confuſe cognitam, & indirecte aut interpretative volitam; quia nihil volitum, niſi præcognitum; & ſi requireretur malitiam eſſe directe volitam, vix aliquis peccaret; vellet enim quilibet malitiam ab actu eſſe ſeparatam, & nemo intendens in malum operatur. Sufficit ergo, quod intendat objectum, cui malitia ſcitur eſſe annexa: quia hoc ipſo virtualiter contemnit legem, & interpretative vult malitiam. Econtra

Reſ. 2. Ut actus ſit moraliter bonus, bonitas debet eſſe directe volita. Ratio deſumitur tum ex authoritate D. Thomæ & aliorum, tum ex eo, quod objectum poſſit appeti propter varias rationes; ergo nequit actui tribuere bonitatem moralem, niſi is propter bonitatem fiat. Sic nemo laudatur, quod V. G. viſitaverit infirmum tantum confabulationis gratia, jejunaverit, ut pecuniæ parceret. Attamen

Reſ. 3. Non requiritur, ut intendatur explicite & reflexe V. G. ut dicas, aut cogites: volo jejunare, quia honeſtum eſt; ſed ſufficit appeti implicite & æquivalenter; hoc eſt: actum vel objectum apprehendi ut honeſtum, Deo placitum, præmio dignum, commendatum a viris piis, vel ſpecialiter ut opus V. G. miſericordiæ, & ſic bona intentione fieri; jam enim vere intenditur bonitas, & ſic eam intendunt rudes; ſi enim interrogentur, cur orent, jejunent, dent eleemoſynam, &c. Reſpondent: iſta ſunt opera bona, proſunt ad ſalutem, decent, oportet hoc facere, hoc Deo placet &c.

QUÆSTIO II.

(19) *An & quomodo actus humanus ſit bonus, vel malus ex circumſtantiis & fine?*

N. 1. *Circumſtantia* eſt particularis & accidentalis conditio actum humanum in ſuo eſſe ſpecifico morali

morali conſtitutum afficiens, aliquid tamen ad ejus bonitatem vel malitiam confereos. Dixi 1. *in ſuo eſſe ſpecifico conſtitutum &c.* quia circumſtantia qua talis non tribuit primam ſpeciem, aut bonitatem vel malitiam; *ut ſupra:* ſic furtum in ſuo conceptu primario eſt ablatio rei alienæ, &c. ſi autem res ſit ſacra, ratio ſacri eſt circumſtantia. Dixi 2. *aliquid ad ejus bonitatem vel malitiam conferens*; ſi enim nil conferat, non eſt circumſtantia in genere moris V. G. quod furtum fiat mane aut veſpere, manu, aut inſtrumento, non eſt circumſtantia; quia impertinenter ſe habet ad ejus malitiam.

N. 2. Quod eſt circumſtantia actus ſecundum unam conſiderationem, poteſt eſſe eſſentiale ſecundum alteram; ſic res ſacra eſt circumſtantia reſpectu furti, eſſentiale, quatenus ſacrilegium.

N. 3. Circumſtantia alia dicitur *mutans ſpeciem*, alia *aggravans tantum*, vel *minuens.* 1ma eſt, quæ novam addit bonitatis vel malitiæ ſpeciem; quod fit, quia facit, ut adſit honeſtas novæ virtutis, vel inhoneſtas alteri virtuti, vel eidem modo notabiliter diverſo repugnans. 2da eſt, quæ non addit novam ſpeciem, ſed intra eandem auget, vel minuit bonitatem aut malitiam: ſic in furto ſpeciem mutans eſt circumſtantia rei ſacræ, aggravans vel minuens, eſt major vel minor quantitas. Ubi

N. 4. Circumſtantia eſt *notabiliter aggravans* in materia quantitativa, ſive quæ conſiſtit in numero, pondere, & menſura, quando ſeorſim ſumpta ſufficit ad peccatum mortale. V. G. ſi materia gravis furti infima ſit florenus, auferre duos eſt circumſtantia notabiliter aggravans, non ſi auferat unum cum dimidio. In aliis materiis V. G. duratione, intenſione, executione, cenſetur notabiliter aggravans, dum notabiliter excedit modum ordinarium peccandi in iſtis materiis.

V. G.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

V. G. per tempus valde longum inhæres turpi cogitationi, odio per menſes & annos; alias eſt leviter aggravans. V. G. poſt rixam iratus aliquantulo tempore in odio permanes. *Minuens* eſt, quæ facit, ut actus non habeat tantam bonitatem aut malitiam, quantam haberet illa ſecluſa. V. G. quis peccat ex gravi metu, V. G. mortis, eſt notabiliter minuens. Si minuens ex peccato alioquin mortali faciat veniale, fit ſpeciem mutans.

N. 5. Circumſtantia alia eſt *formalis*, quæ ſe tenet ex parte actus. V. G. major aut minor duratio, intenſio, libertas: alia eſt *objectiva*, quæ ſe tenet ex parte objecti. V. G. major aut minor quantitas in furto.

N. 6. Circumſtantiæ ſunt ſeptem, comprehenſæ hoc verſu:

(20) *Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?*

Quis non denotat perſonam operantem ſecundum ſe; ſic enim pertinet ad ſubſtantiam actus humani: ſed perſonæ operantis conditionem, ratione cujus in æſtimatione morali actus vel omiſſio plus vel minus valet moraliter. V. G. quod ſit Religioſus, Sacerdos, vel Laicus, Conjugatus, vel Liber. Sæpe mutat ſpeciem: ut ſi conjugatus, ſi voto ligatus fornicetur. Sæpe eſt tantum aggravans: ſic V. G. mentiendo cæteris paribus gravius peccat Religioſus, quam ſæcularis; quia magis peccatum illum dedecet propter ſtatum: ſic auget & bonitatem, ſi V. G. vir inſignis ſe humiliet.

Quid ſignificat non ipſum objectum; hoc enim iterum ad ſubſtantiam pertinet, ſed accidens illi conjunctum; puta: qualitatem, quantitatem. Sic in furto, quod res ſit aliena, eſt objectum; quod ſacra vel

ST. MARY'S COLLEGE LIBRARY

profana, magnæ vel parvæ quantitatis, eſt circumſtantia. *Quid* in percuſſione, quod læſus ſit parens, Clericus &c. eſt circumſtantia mutans ſpeciem; ſi lædas plane innocentem, ſanctum, eſt aggravans.

Ubi denotat loci qualitatem conferentem aliquid ad bonitatem vel malitiam actus, ut locus ſacer reſpectu furti, fornicationis, homicidii; publicus ratione ſcandali; eſtque mutans ſpeciem. Si vero turpibus cogitationibus inhæreas in Eccleſia: eſt aggravans tantum; quia non repugnat ita Sanctitati loci, ſicut priora. Si actus de ſe licitus ſit prohibitus in reverentiam loci, V. G. Extractio furis ex loco immuni, qualitas loci tranſit in ſubſtantiam, & dat primam ſpeciem.

Quibus auxiliis indicat media, imo & homines, quibus utimur ad peccatum; mutat ſpeciem, ſi ope magorum uſus es ad inducendam in peccatum puellam; ſi veſtibus ſacris ad alterum decipiendum: aggravat, ſi Sacerdotem induxeris ad mentiendum.

Cur denotat finem extrinſecum operantis, qui vel primam dat ſpeciem boni & mali, ut dum actui advenit ex objecto indifferenti; vel novam ſuperaddit actui jam in genere boni vel mali conſtituto. V. G. furaris ad mœchandum.

Quomodo ſignificat modum accidentalem, quo fit actus intenſe vel remiſſe, ex contemptu, levitate, vi, vel dolo &c. Ex hoc capite ſpecie differunt furtum & rapina, detractio & contumelia, deſiderium & complacentia ſimplex. Aggravat, vel minuit major aut minor libertas: ſic aggravat, ſi peccaſti ex mera malitia; econtra minuit, ſi ex gravi metu, forti tentatione &c.

Quando ſignificat conditionem accidentalem temporis: ut vel quantitatem (ſi actus diu vel parum duret) vel qualitatem, ſi peccatum fiat die feſto, tempore

pore ſacro; hæc tamen circumſtantia per ſe loquendo & ſecluſa directa intentione inhonorandi non multum facit ad augendam malitiam, niſi actus de ſe malus fuerit ſpecialiter prohibitus intuitu temporis ſacri, aut per illum divino cultui ſpecialis irreverentia irrogetur, aut ſcandalum adſit: ut, ſi quis die Veneris Sancto exhiberet ludos publicos; Sacerdos mox ab Altari iret ad fornicandum; ſtatim poſt communionem te inebriares: unde per ſe non debet exprimi, an quis peccaverit etiam carnaliter die feſto, vel communionis, aut etiam die Veneris ſancto. Eſtque hoc diſcrimen inter locum & tempus ſacrum: quod locus propter ſtabilitatem ſuam ſit capax conſecrationis & ſanctitatis permanentis; non ſic tempus continuo tranſiens, quod tantum per accidens ratione myſteriorum vel actionum, quæ tunc recoluntur, vel fiunt, dicitur ſacrum. Si actus de ſe non malus iſto tempore ſit prohibitus, V. G. comeſtio carnis, tempus tranſit in objectum.

(21) *D.* 1. Actus humanus ſive in ſive externus deſumit aliquam bonitatem vel malitiam a circumſtantiis diſtinctam ab objectiva; quia in naturalibus bonitas & malitia ex aliquibus accidentibus, V. G. pulchritudine corporis creſcit; ergo a pari in moralibus. Deinde quædam circumſtantiæ ſunt ſpecialiter prohibitæ vel præceptæ, V. G. amare Deum ex toto corde. Denique non ſolum rationi conforme eſt dare V. G. eleemoſynam, ſed & dare in ſatisfactionem peccatorum: non ſolum eidem repugnat furari, ſed & furari ad ſe inebriandum.

Ob. Nihil poteſt dare bonitatem actui, niſi ſit volitum; ſed quod dat bonitatem in ratione voliti, dat illam tanquam objectum; ergo ſi circumſtantiæ dent bonitatem, dant ut objectum; ergo indiſtinctam ab

objecto. ℞. *d. m.* dat in ratione voliti primarii vel ſecundarii *c.* ſemper primarii. *n.*

Inſt. Dum quis furatur rem ſacram, ſimul reſpicit objectum & circumſtantiam; ergo ab utroque æque primo deſumitur malitia. *R. d. a.* utrumque ſimul reſpicit in eſſe phyſico. *c.* in eſſe morali. *n.* quia in morali conſideratione prius furtum eſt conſtitutum in ratione furti, quam ſacrilegii.

D. 2. Ut actus internus efficax ſumat bonitatem a circumſtantiis objectivis, hæ debent cognoſci, & directe ſaltem implicite intendi; ut autem ſumat malitiam, ſufficit, quod cognoſcantur eſſe conjunctæ. Sequitur ex dictis ſupra *num.* 18. Dixi 1. *Actus internus efficax*; nam actus internus inefficax, V. G. ſimplex complacentia, delectatio moroſa &c. probabilius tantum attrahit malitiam illarum circumſtantiarum, a quarum delectabilitate voluntas movetur; tendit enim in objectum, ut delectabiliter movet, & facile abſtrahit ab aliis circumſtantiis. Sic qui vidit inimicum occidi in Eccleſia, & delectatur de morte, ut illi mala, peccat tantum peccato odii, non ſacrilegii; ergo & qui moroſe delectatur de copula cum conjugata, moniali &c. præciſe ut formoſa fæmina eſt, non contrahit has circumſtantias, ideoque nec tenetur explicare: ſecus ſi adfuerit peccandi deſiderium, prout ordinarie eſt in illis, qui his ſunt aſſueti (a) Item fere ſemper debent explicari circumſtantiæ perſonæ peccantis; quia hæ inhærent peccanti, & exercite ſaltem cognoſcuntur, prout etiam aliquo modo cognoſci debent, ut ſpecialem addant bonitatem vel malitiam; quia alias ſpecialis illa bonitas vel malitia non eſt voluntaria. Nihilominus ſanctitas perſonæ operantis etiam non præcognita dat rationem meriti condigni ex Dei ſic ordinantis beneplacito, & quia valor meriti ſimul ex perſonæ operan-

(a) *De his ſpecialius infra Tr.* 2. *de peccatis N.* 30.

operantis dignitate conſtituitur. Actus vero internus efficax V. G. deſiderium fertur in actum exteriorem ut ſubjective exercendum circa objectum, prout eſt a parte rei: hinc contrahit omnes circumſtantias etiam confuſe tantum cognitas. Dixi 2. *circumſtantiis objectivis*; quia objectum non refundit ſuam bonitatem, vel malitiam in actum, niſi ut præcognitum & volitum; quæ autem ſe tenent ex parte actus, non debent eſſe cognitæ & volitæ in ſe: ſunt enim ſatis voluntariæ in ipſo actu, qui ſe ipſo totus eſt volitus. Hinc licet operans non cognoſcat numerum graduum intenſionis: cognoſcit tamen eos in communi exercite cognoſcendo actum ſuum fieri cum magno vel parvo fervore, aut affectu, quod ſufficit.

(22) *D.* 3. Si actus ex objecto indifferens referatur in finem bonum, eſt bonus, ſi in malum, eſt malus; quia tunc actus ſumit bonitatem vel malitiam primam ab ipſo fine: qui ſic potius eſt objectum, quam finis; hinc ſtudium ob vanitatem eſt opus vanæ gloriæ, ob lucrum animarum eſt actus charitatis.

D. 4. Quando finis vel media habent diſtinctam bonitatem, electio participat utramque; quia imprimis electio ſumit ſuam bonitatem a fine, cum ejus honeſtas directe intendatur: deinde etiam a medio; actus enim tendens in objectum honeſtum qua tale eſt moraliter bonus; ſed talis eſt electio medii honeſti; ergo. Hinc jejunans, ut det eleemoſynam, ultra bonitatem temperantiæ habet bonitatem miſericordiæ; & ſic de cæteris.

D. 5. Si finis & media habeant diſtinctam malitiam, electio participat utramque, imo tot malitias, quot fines particulares ſunt præfixi; & has vel ſpecie vel ſolo numero diverſas: aliquando tamen in ordine ad confeſſionem non diverſas, propter ſubordinationem actuum ad unum principalem influentium: ut

ſunt V. G. tactus, oſcula, in ordine ad fornicationem, quæ ſi ſecuta eſt, ſufficit eam explicare; ſecus ſi ſecuta non ſit, vel primo non ſit intenta. (a) Ubi *Obſ.* ſi medium mortale dirigas ad finem venialiter malum, V. G. furtum gladii ad oſtentationem; ſatis eſt confiteri furtum. Econtra ſi medium veniale dirigas ad finem mortaliter malum, V. G. mendacium ad fornicationem; ſatis eſt hanc confiteri, ſi facta ſit; quia alia tribuunt tantum malitiam venialem, quam confiteri non teneris: ſi vero facta non ſit, ſatis eſt dicere: habui intentionem fornicandi; niſi ex parte perſonæ aliquid ſit addendum; quod magis tenet, ſi medium ſit indifferens. Aliud eſt, ſi per mendacem promiſſionem matrimonii inducas puellam ad fornicandum; quia hoc mendacium graviter contra juſtitiam pugnat.

D. 6. Intentio bona vitiatur per electionem malam per ſe conjunctam; hinc ortum eſt illud: *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Ratio autem eſt:* quia malum ex quolibet defectu eorum, quæ actui debentur juxta rectam rationem; hinc ſi fureris, ut des eleemoſynam; actus non eſt bonus, ſed ſimpliciter malus.

Ob. (b) *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit;* ſed per oculum intelligitur intentio; ergo ſi hæc ſit recta, totus actus erit rectus. ℞. *d. c.* Si intentio ſit recta ſecundum omne illud, quod ei per ſe eſt conjunctum, totus actus erit rectus. *c.* ſecus *n.* Si enim hoc non ſit, intentio non eſt omnino ſimplex & ſincera; nihilominus malitia aliquo modo minuitur ex bonitate finis, non tollitur, niſi excuſet bona fides vel ignorantia invincibilis; de quo alibi.

D. 7.

(a) *Vid. Tract.* 2. *de peccatis*, *Q.* 3. *n.* 7.

(b) *Matth.* 6. *v.* 22.

D. 7. Electio bona vitiatur per malam intentionem; ſive actus ex objecto bonus in finem malum relatus eſt ſimpliciter malus, *Ratio eſt*: quia electio ſumit ſpeciem ex medio, in quod tendit; ſed etiam medium bonum, in quantum ordinatur in finem malum, eſt malum, utpote in executione cauſa peccati. Interim N bene: ut electio ſit mala, debet effici ab intentione mala, ſive directe fieri propter finem malum. V. G. ſi ideo detur eleemoſyna, ut habeatur vana gloria; ſi autem illam det ex amore virtutis, quamvis ſequatur aut concomitetur vana gloria, vel forte etiam aliquo modo ſit cauſa impulſiva, electio non erit peccaminoſa, nec ſine merito; alias nimis ſæpe talis eſſet. Ex his

(23) *Reſ.* Nullus actus ſive in ſive externus poteſt eſſe ſimul bonus & malus moraliter, ſed ſi vel ex unica circumſtantia vitietur, totus actus eſt moraliter malus; quia impoſſibile eſt eundem actum ſimul habere integritatem omnium eorum, quæ ei debentur ſecundum rectam rationem, in quo conſiſtit bonitas, & ſimul non habere.

Ob. Jejunans ex avaritia implet præceptum, & melius facit, quam non jejunans; ergo actus eſt ſaltem inadæquate bonus. ℞. *n. c.* quia, (a) ut infra, aliqua præcepta impleri poſſunt materialiter per actum tantum ex objecto bonum; non autem impletur præceptum formaliter & virtuoſe: facit quidem melius hoc ſenſu: quod minus male, non quod bene.

Inſt. 1. Qui dat eleemoſynam ob vanam gloriam, elicit actum miſericordiæ; ergo moraliter bonum. *a, p.* per hos actus augetur habitus miſericordiæ; facilitatur enim ad actus miſericordiæ, ut conſtat experientia. ℞. *n. c.* facit enim actum miſericordiæ tantum materialiter; facilitatur tantum negative; in quantum

(a) *Diſſ. de leg. n.* 26.

tum removentur impedimenta ex parte ſubjecti remorantia largitionem eleemoſynæ; ut ſunt tenacitas, amor pecuniæ &c. non poſitive. Vel etiam *T.* hoc; quia habitus poſſunt intendi ſecundum eſſe naturale & phyſicum, quamvis non intendantur ſecundum rectitudinem moralem actuum.

Inſt. 2. Poteſt quis velle ſuſcipere aliquod Sacramentum ex fine venialiter malo, V. G. confiteri, ſed tunc actus eſt bonus; quia procedit ex motivo virtutis ſupernaturalis, & eſt ſufficiens ad juſtificationem, & tamen ſimul malus; quia ex fine malo. ℞. affectus venialiter malus poteſt dupliciter afficere actum: ſemel concomitanter, & tunc non vitiat actum, quia non influit in illum, ſuntque duo actus: unus bonus, alter malus; ſemel per ſe, ut ſit finis & motivum talis actus per ſe influens, & tunc actus nec procedit ex motivo ſupernaturali, V. G. attritio; nec eſt moraliter bonus, ſed ſimpliciter malus. Attamen talis actus in ſuſceptione Sacramentorum non ſemper impedit fructum Sacramenti, V. G. communionis ex opere operato; quia hunc non impedit peccatum veniale: voluntas tamen ſuſcipiendi tunc non eſt moraliter bona.

QUÆSTIO III.

An actus externus ſuperaddat bonitatem aut malitiam actui interno efficaci?

Difficultas eſt: an quando Petrus V. G. vult dare eleemoſynam unius imperialis, quem vel ob inopiam, vel aliam cauſam dare non poteſt, volitio illa de ſe efficax tantam habeat bonitatem, & conſequenter meritum, quantam habuiſſet, ſi eleemoſynam in effectu dediſſet. Idem eſt de actu interno malo. Certum jam eſt, quod regulariter actus externus ſaltem occaſionaliter augeat bonitatem vel malitiam; dum

enim

enim actus externus diutius durat, etiam internus diutius durabit: item ratione intenſionis, quia ob delectationem vel difficultatem, quæ in actu externo reperitur, voluntas magis accenditur: ſic qui V. G. martyrium patitur, plus meretur, quam qui illud efficaciter deſiderat; occaſione enim martyrii voluntas actus internos repetit, & fortior requiritur voluntas ad ſuſtinenda tormenta, quando re ipſa inferuntur, quam dum menti tantum proponuntur.

(24) *D.* Actus externus interno ſuperaddit bonitatem vel malitiam etiam per ſe. *Ratio fundamentalis eſt:* quia bonitas moralis conſiſtit in conformitate actus ad rectam rationem vel legem: ſed actus externus habet ſpecialem conformitatem; non enim ſola voluntas V. G. furandi prohibita eſt, ſed vel maxime ipſum furtum. Deinde certum eſt, quod actus externus ſæpe importet ſpeciale obſequium, vel econtra injuriam, ut profeſſio externa fidei, paſſio martyrii, ideoque talis meretur præmium accidentale ſpeciale juxta omnes; ſed nullum datur prœmium niſi ob bonitatem actus; ergo. Itaque bonitas vel malitia moralis primario eſt in actu voluntatis interno; dependenter enim ab hoc eſt etiam aliqua ſpecialis in actu externo. In praxi certum eſt, quod in confeſſione etiam actus externus ſit explicandus, ſaltem tunc, quando in ſuo fieri adhuc eſt liber.

Ob. 1. Deus dicit Abrahæ: (a) *quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo* &c. ubi Deus efficacem Abrahæ voluntatem non diſtinguit ab actu. Et alibi ſæpe voluntas reputatur pro facto, dum factum excluſit neceſſitas. ℞. *n. c.* Voluntas non diſtinguitur ab actu, & voluntas efficax reputatur pro facto quoad meritum, peccatum, præmium & pœnam abſolute ſumpta; non comparative quoad quantitatem: nullibi enim dicitur: tantum præmium, aut tantam pœnam meretur.

 Ob.

Ob. 2. Ubi non eſt nova libertas, non eſt nova moralitas; ſed in actu externo non eſt nova libertas; ergo nec nova moralitas: ergo nec bonitas vel malitia. *M.* patet; quia moralitas fundatur in libertate. *m.* etiam patet; quia actus externus in ſe non eſt liber, cum proveniat a potentia neceſſaria, & totam libertatem habeat a voluntate. *Hoc eſt fundamentum ſententiæ oppoſitæ, ſed ſatis debile;* nam ℞. 1. ſolvendum eſt adverſariis; electio enim, dum unicum tantum eſt medium, non habet diſtinctam libertatem ab intentione efficaci finis; & tamen habet diſtinctam moralitatem. ℞. 2. n. M. cum enim libertas ſit tantum conditio requiſita ad moralitatem, eadem poteſt ſufficere ad diſtinctas bonitates & malitias; & mirum eſt, ſi una libertas in furto V. G. calicis ſufficiat ad malitias ſpecie diſtinctas, cur non ad numero diſtinctas? Deinde bonitas & malitia non oritur præciſe ex libertate, ſed ex con- vel difformitate cum regulis morum; ergo licet una ſit libertas, quia tamen diſtincta eſt difformitas, alia eſt malitia.

℞. 3. n. m. quia ſicut volitio dandi eleemoſynam V. G. procedit a voluntate cum indifferentia eam eliciendo; ſic largitio procedit a voluntate imperante: ergo ſicut actus internus eſt liber, quia libere a voluntate elicitur; ſic externus eſt ſuo modo liber, quia libere imperatur.

Ob. 3. Si actus externus habeat propriam, V. G. bonitatem & meritum ſupernaturale, poteſt quis me invitum privare merito ſupernaturali; dona autem gratiæ non ſunt ſubjecta nutibus alieni arbitrii. ℞. 1. iterum ſolvendum eſt omnibus; certum enim eſt, quod poſſit quis me impedire ab aureola martyrii, quam efficaciter deſidero; a ſuſceptione Sacramenti; & certe tunc non participo gratiam alias obtinendam. ℞. 2. *d. ſ.*

(a) *Gen.* 22. *v.* 16.

d. ſ. merito ſupernaturali abſolute ſumpto *n.* comparative ſumpto. *c.* Sic qui violenter impeditur ab ingreſſu V. G. Religionis, impeditur a multis occaſionibus merendi. Redeundo ad praxin

(25) *Q. Quinam actus externi indeliberate facti retineant malitiam objectivam?*

℟. Illi retinent, qui hoc retinent, propter quod alias prohibentur, ita ut ſi accederet ſola advertentia & libertas, hoc ipſo eſſent formalia peccata, V. G. homicidium manet juris alieni violatio; pollutio innaturalis manet damnoſa proli ac generi humano, &c. hæ autem ſunt rationes, ob quas illa prohibentur; Ergo retinent malitiam objectivam; adeoque non licet ſibi in his ut inadvertenter factis complacere, minus deſiderare, ut ſine advertentia fiant; nec aliquem ad ea inducere inadvertenter facienda, ſed eſt obligatio vitandi cauſas per ſe, & proximas eorum.

℟. 2. Si præter advertentiam vel libertatem etiam aliquid aliud ipſis deſit ad aliud eſſe, propter quod prohibentur, non retinent malitiam objectivam; ſic verba hæretica, mendacium, in ſomno prolata vel ebrietate non retinent malitiam; quia ad hæreſin requiritur actualis cognitio, & error pertinax: ad mendacium cognitio & aſſertio contra mentem; adeoque præciſo ſcandalo, non eſt obligatio vitandi ebrietatem ideo præciſe, quod hæc ſit cauſa proxima talium verborum.

Reſ. 1. Non licet amentem, minus ebrium incitare ad verba blaſphema, ad diras imprecationes; quia licet proprie dictam malitiam objectivam forte non retineant, non carent tamen omni turpitudine; quia audientibus ingerunt malum ſenſum.

Reſ. 2. Licitum eſt gaudere de pollutione naturali quæ ſcilicet a natura ex abundantia ſeminis provenit, ſive in ſomno, ſive in vigilia; imo licet per ſe loquendo

do ex multorum Caſuiſtarum ſententia eam affectu ſimplici & inefficaci deſiderare, ſecluſo periculo conſenſus; non ob delectationem, quod eſt mortale; quia delectatio venerea a natura ordinata eſt ad ſolam generationem in actu conjugali; ſed propter bonum finem: ut eſt naturæ alleviatio, mitigatio tentationum, vel ſanitati conducens; ſic enim non eſt objective mala, ſed effectus naturalis. Non licet tamen gaudere de tactu turpi in ſomno, vel eum deſiderare; manet enim actus objective malus, uti & pollutio innaturalis in ſomno orta vi turpium cogitationum, aut tactuum in vigilia habitorum.

Ob. Non licet gaudere propter bonum finem de homicidio, adulterio, &c. in amentia aut ignorantia ſine peccato patratis; ergo a pari. ℞. *n. c.* priora ex ſe ſunt actus morales jure naturæ prohibiti, ideo intrinſece objective mali, ſoloque defectu libertatis excuſantur a peccato formali: pollutio naturalis non eſt objective mala; quia eſt effectus tantum naturalis nullo jure prohibitus, ſicut evuacuatio humoris ſuperflui.

Inſt. Non licet filio gaudere de morte etiam naturali patris propter pinguem hæreditatem ipſi obventuram, ut patet *ex Propoſ.* 14. *damnat. ab Innoc. XI. licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut eſt bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas*: ergo a pari. ℞. *n. c.* Mors eſt graviſſimum malum, quod non ſatis compenſatur per bona fortunæ filio obventura; pollutio talis nulli eſt nociva, cum ſemen per ſe, quo ſe exonerat natura, ſit quid ſuperfluum. Sit pater tuus Tyrannus, reipublicæ & religioni per omnia exitioſus, jam licebit de ejus morte naturali gaudere, imo ipſam affectu ſimplici deſiderare ob bonum commune. Interim in praxi abſtinendum eſt ab his deſideriis, propter latens periculum.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

(26) *An detur actus moralis indifferens?*

N. 1. Actus dicitur *indifferens in ſpecie*, ſi ratione objecti & finis intrinſeci, præciſis aliis circumſtantiis, nec bonus, nec malus, nec præceptus, nec prohibitus, ſed tantum permiſſus ſit: tales dari non eſt dubium, ſuntque ambulare, ſtare, decerpere roſam. &c. *In individuo indifferens* dicitur, ſi non tantum ex objecto, ſed & ſpectatis omnibus circumſtantiis nec bonus, nec malus, præceptus, aut prohibitus ſit.

N. 2. Certum eſt dari actus indifferentes plurimos in individuo, defectu libertatis vel advertentiæ ad regulam honeſtatis; quis enim ſemper, dum V. G. ſpuit in terram, cogitat, an ſit honeſtum?

N. 3. Certum eſt dari actus indifferentes in individuo quo ad bonitatem vel malitiam meritoriam & demeritoriam; ſic enim opera mere nat uralia moraliter bona peccatorum non ſunt meritoria, ob defectum gratiæ; non tamen ideo demeritoria.

(27) *N.* 4. Communiter, paucis exceptis, admittuntur actus in individuo indifferentes per accidens; qui enim bona fide judicat noſtram ſententiam eſſe veram, eam ſequendo non peccat: non tamen ideo agit poſitive honeſte; quia ſupponitur non agere ex motivo honeſto, ſive ex motivo, quia liciti ſunt.

D. Poſſibilis eſt actus in individuo indifferens etiam per ſe. *Ratio Breviter eſt:* ideo non daretur, quia quotieſcunque homo deliberate agit, teneretur agere ex fine poſitive honeſto; ſed hoc non; ergo. *M.* eſt fundamentum. *m. p.* 1. Hæc obligatio eſt valde gravis, eſt contra perſuaſionem fidelium, a plurimis ignoratur; ergo non debet admitti. *a. p.* quia ſæpiſſime recurrit;

currit; & niſi obſervaretur, committerentur plurima peccata venialia, quæ merito magni ſunt æſtimanda; & nulla poſſet intendi recreatio propter ſe ipſam, nunquam liceret ambulare, muſicam inſtituere propter delectationem &c. & tamen homines etiam pii communiter iſta faciunt ſine ulla intentione, qua ad alterum honeſtum finem ordinent. . . . 2. Si hodie nolim audire ſacrum, hæc nolitio eſt actus humanus; non malus, quia nulli legi contrarius; neque etiam bonus, quia non conformis niſi legi permittenti; ergo indifferens. Voluntarie autem dicitur, quod omni etiam omiſſioni præficere debeam finem poſitive honeſtum. . . 3. Iſta obligatio, quæ tamen eſſet juris naturalis, & omnes homines attingeret, a pauciſſimis ſcitur; nec eam ſciveruntThomiſtæ, niſi ubi eam in Theologia audiverunt. Eam negant viri doctiſſimi & ſancti; ergo ad minus lex eſt dubia; ergo non obligat, eſtque hæc ſententia ſuadenda in praxi; per eam enim evitantur multa peccata venialia. Nihilominus curandum eſt, ut operibus noſtris rectam præficiamus intentionem, tum mane, tum ſæpe per diem, ut ſic per opera etiam indifferentia mereamur, & venialia, quæ intercurrere ſolent, excludamus.

Ob. De omni verbo otioſo reddenda eſt ratio in die judicii; ergo magis de opere otioſo; ſed actus noſter indifferens eſt otioſus, quia non refertur ad finem honeſtum; ergo. ℞. *n. m.* ſufficit ordinari ad aliquam commoditatem naturæ, ut non dicatur otioſus; uti nec verba otioſa dici poſſunt, quæ ob ſimilem finem proferuntur, dummodo caveatur exceſſus, diſpendium temporis &c.; & qui hoc faciunt, otioſi dicuntur. Alias quis dicet me dicere verbum otioſum, quo alterum moneo, V. G. ut pulverem de veſte excutiat, licet hoc non dicam ex motivo alicujus virtutis? ſimiliter dum ſeria aguntur, aut agi debent, ſi tunc proferam

verba

verba ad rem non facientia, poteſt dici verbum otioſum. Hinc S. Chryſoſt. ait (a) *Otioſum eſt verbum quod rei propoſitæ non convenit, nihilque confert utilitatis, ſcilicet rei, de qua tunc agitur.*

Inſt. 1. Ex SS. PP. verbum otioſum eſt, quod ſine utilitate & loquentis dicitur & audientis. ℞. ſine utilitate etiam ad delectationem hic & nunc inconvenientem aut nimiam. *c.*

Inſt. 2. Qui operatur cum moderamine, & juxta præſcriptum rationis permittentis, honeſte operatur; ergo eo ipſo actus eſt bonus, quo fit cum moderamine, malus, ſi exceſſive. ℞. *d.* eſt bonus, ſi operetur ex hoc motivo, quod ſit permiſſus &c. *c.* ſi operetur ex motivo delectationis aut commoditatis naturalis. *n.*

Inſt. 3. Bruta operantur ob delectationem naturalem; ſed homo qua homo tenetur operari modo altiori diſtincto a modo agendi brutorum; ergo non ex commoditate naturali; ergo ex fine altiori honeſto. ℞. *n. c.* homo adhuc agit altiori modo diſtincto a modo agendi brutorum per hoc, quod conſulta prius regula honeſtatis videat actum ſuum illi non difformari, ſed permitti; licet non agat ex hoc motivo, quod non difformetur, ſed ex motivo naturalis commoditatis.

Inſt. 4. Damnata eſt hæc Propoſ. (b) *Comedere vel bibere ad ſatietatem ob delectationem non eſt peccatum, modo ſanitas non lædatur; quia poteſt licite appetitus naturalis ſuis actibus frui:* Item hæc: (c) *opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum caret culpa veniali;* ergo operatio exercita ob delectationem naturalem eſt mala. ℞. *d. c.* eſt mala, quando delectatio eſt finis a natura intentus. *n.* quando non eſt, ſed libere aſſumitur. *c.* In dictis autem propoſitionibus voluptas aſſumi-

(a) *Hom.* 43. *in Matth. cap.* 12.
(b) 8. *ab Innoc. XI.*
(c) 9. *ab eodem.*

aſſumitur tanquam finis comeſtionis, & certum eſt finem comeſtionis a natura intentum non eſſe voluptatem. Idem eſt de conjugio. Nos autem, dum aſſerimus licere operari propter delectationem moderatam, id tantum volumus, quando delectatio eſt finis a natura intentus. V. G. recreatio aurium ex muſica, narium ex odorifero, oculorum ex viſione pulchri, &c.

QUÆSTIO V.

(28) *Quænam requirantur, ut actus humani ſint meritorii, & quid cadat ſub merito?*

N. *Meritum Theologicum*, ſeu *ſupernaturale* eſt obſequium Deo ab homine viatore præſtitum potens movere Deum ad retributionem præmii ſupernaturalis: dividitur in meritum *de condigno*, quod abſolute meritum dicitur, & in meritum *de congruo*, quod dicitur meritum ſecundum quid. Meritum *de condigno* eſt, quod habet condignitatem & æqualitatem cum præmio; *de congruo* eſt, cui licet deſit talis condignitas, habet tamen congruentiam ad præmium ex liberalitate Dei conferendum; ideo non ſemper infallibiliter recipimus, quod de congruo meremur. *Nunc*

D. 1. Ad utrumque meritum requiritur *ex parte merentis* ſtatus viatoris; cujus ratio eſt ſola Dei voluntas volentis, ut tempus merendi finiretur cum tempore vitæ; hinc Beati in cœlo, animæ in purgatorio nil merentur, impetrant tamen pro nobis beneficia; quia ob opera bona in vita præſtita merentur exaudiri. *Ex parte actus* ut ſit liber, moraliter bonus; debet enim eſſe opus præmio & laude dignum; inſuper ſupernaturalis, hoc eſt: procedens ex gratia actuali Spiritus S.; quia debet eſſe proportionatus ad finem ſupernaturalem.

Ob.

Ob. Deus præmiatus eſt obſtetrices Ægyptias, quæ mendacio conſervabant parvulos Hebræorum; ergo non requiritur actus moraliter bonus. ℞. non mendacium, ſed pium affectum antecedentem eſt præmiatus.

Inſuper ad meritum de condigno *ex parte merentis* requiritur ſtatus gratiæ; quia inimicus Dei condigne mereri non poteſt dona ſupernaturalia: unde peccator per contritionem infallibiliter, ſed non de condigno, meretur remiſſionem peccatorum. *Ex parte actus* requiritur, ut ſit in æſtimatione morali valoris cum præmio æqualis, hoc eſt: ut ſpectata perſona præmiantis, & conditione operantis proportionem habeat ad præmium velut ſemen in corde liberaliſſimi remuneratoris, quem magna decet largiri præmia. *Deinde* ſaltem ut in actu ſecundo Deus obligetur dare, requiritur promiſſio; cum enim Deus ſit ſupremus Dominus, titulo dominii & aliis multis titulis ſibi vendicare poſſet actus omnes noſtros bonos: ergo ut obligetur ad præmium, opus eſt promiſſione, qua poſita obligatur ex fidelitate aut juſtitia large ſumpta. Ad meritum autem de congruo nec ſtatus gratiæ nec promiſſio requiritur; quia ſine his poteſt eſſe congruitas actus ad præmium.

(29) *D.* 2. Juſtus 1. cooperando divinæ gratiæ auxiliis meretur de condigno remiſſionem venialium, augmentum gratiæ ſanctificantis & gloriæ; nihil enim obeſt. 2. Primam gratiam ſanctificantem non poteſt quis mereri de condigno. *Prob.* prima gratia ſanctificans eſt principium meriti de condigno, cum nihil ante ipſam det condignitatem operi: ſed principium merito de condigno non cadit ſub meritum de condigno, ne idem ſit prius & poſterius ſe ipſo, cauſa & effectus reſpectu ejusdem. 3. De congruo meretur peccator primam gratiam ſanctificantem proxime per contritionem perfectam & amorem Dei ſuper omnia, mediate per alios actus bonos ſupernaturales ex fide &

gratiæ auxilio factos; quia ſtatus peccati non impedit meritum de congruo; dicitur enim; *in quacunque hora ingemuerit peccator*, &: *peccata tua eleemoſynis redime.* (a) Itaque peccator per actus bonos: orationem, jejunium, eleemoſynas &c. præſertim ſi ea referat ad obtinendam veniam peccatorum, meretur gratiæ auxilia, ut peccata vitet; & tandem auxilium proxime ſufficiens ad ultimam diſpoſitionem pro juſtificatione; hinc peccatores conſuetudinarii animandi ſunt, ut inſtent orationi, & alia opera bona frequentent ad impetranda divinæ gratiæ auxilia: idem eſt de hæreticis in ordine ad illuminationem fidei. 4. Gratiam primam actualem ſeu excitantem nemo mereri poteſt; quia hoc meritum eſſet ſine gratia, ergo eſſet naturale: ſed tali non debetur præmium ſupernaturale, cui eſt improportionatum. 5. Juſtus non poteſt de condigno mereri gratiam finalem ſeu donum perſeverantiæ; quia Deus illam non promiſit, nec propoſuit ut præmium ullis operibus reddendum: hinc Scriptura monet, ut in timore operemur ſalutem noſtram, ut, qui ſtat, videat, ne cadat. Neque juſtus mereri poteſt nequidem de congruo infallibiliter reparationem poſt lapſum futuram; quia mortaliter peccans quaſi retractat omnes bonas voluntates; ideo dicitur: (b) *omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Fallibiliter tamen mereri poteſt; ſic orat David: (c) *cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* 6. Gratiam finalem juſtus mereri poteſt de congruo; patet ex orationibus Eccleſiæ & praxi fidelium illam petentium, non meretur tamen infallibiliter; deeſt enim divina promiſſio. *Denique* 7. Juſtus mereri poteſt de congruo alteri gratias excitantes, quibus ipſe ſibi primam gratiam acquirat, & ulteriora gratiæ auxilia V. G. parvulo applicationem baptiſmi, adulto congruam vocationem ad fidem & contri-

(a) *Dan.* 4. (b) *Ezech.* 18. (c) *Pſ.* 70.

contritionem: ſic in ſymbolo Apoſtolorum credimus communionem Sanctorum, hoc eſt: talem charitatem inter Chriſtianos eſſe profitemur, ut unus oret pro alio, & talem Dei bonitatem, ut orantes exaudiat: ſic B. Monica orabat pro S. Auguſtino, S. Stephanus pro Paulo perſecutore, & Eccleſia orat pro converſione hæreticorum.

Reſ. 1. Opera noſtra bona proſunt aliis, ſi iis, dum fiunt, applicentur, non tantum quoad vim impetratoriam, ſed & ſatisfactoriam. *Primum* clare docet Scriptura Rom. (a) *Obſecro vos, Fratres, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.* (b) *Orate pro invicem, ut ſalvemini. Prob. 2dum.* Si enim ſatisfactiones ſuperfluæ juſtorum reponantur in theſauro Eccleſiæ, & diſpenſentur fidelibus per indulgentias; cur non ipſi fideles eas, dum fiunt, aliis applicare poterunt? Poſtquam autem opus factum eſt, vel applicatum, operans de eo amplius diſponere non poteſt; ſufficit autem applicatio habitualis, cum ſit ſpecies donationis.

Reſ. 2. Prælati Regulares poſſunt alicui benefactori concedere communionem orationum, jejuniorum, vigiliarum, aliorumque bonorum operum, quæ fiunt in iſto Monaſterio, vel Religioſo Ordine, & per affiliationes (ut vocant) communicant; ita approbavit pro Seraphico Ordine noſtro Urbanus V. teſte Emanuele Roderico. (c) *Ratio eſt*; quia Prælatus eſt Caput ſuorum ſubditorum; ergo ſicut ſinguli hoc poſſunt privatim, ſic & ille qua caput, cui ſe membra conformare cenſentur. Participant *Affiliati* 1. fructum *impetratorium*, etiam dum ſunt extra ſtatum gratiæ; movetur enim Deus ad dandum donum pœnitentiæ ex meritis & precibus iſtius Ordinis, cui quis eſt affiliatus.

 2. *Satiſ-*

(a) 15. ℣. 30. (b) *Jacob.* 5. ℣. 16.
(c) *Q. Q. can. & Reg. t.* 1. *q.* 35. *art.* 2.

2. *Satisfactorium*, ſed dum ſunt in gratia. *Sed de hoc alibi, ubi de indulgentiis.*

Reſ. 3. Preces Miniſtri Eccleſiæ etiam mali exaudiuntur, dum Deum orat in ſacrificio Miſſæ, in adminiſtratione Sacramentorum, in officiis publicis; fiunt enim nomine Eccleſiæ, cujus preces Deo placent, licet fundantur per os ſacrilegum mali miniſtri. Deinde per Miniſtrum Eccleſia ſua deſideria repræſentat Deo, adeoque ab Eccleſia oratio miniſtri accipit dignitatem, & efficaciam ad impetrandum.

De Actibus humanis.

Caſus I. Titia confitetur: ſemel a filia ad iram & imprecationes ſum incitata; ſemel maritum frangendo vaſculum ad ſimilia concitavi; ſemel a quodam oſculum accepi, & ſemel inhoneſtum tactum; nuper prolem parvulam mecum in lecto de nocte collocaveram, quam mane dolenter inveni oppreſſam, & mortuam. *Q.* 1. *quid ſit actus humanus?* 2. *quid & quotuplex voluntarium?* 3. *quid de Titia judicabit confeſſarius?* ℞. *ad* 1. *actus humanus proprie* eſt actus procedens ab homine, ut homo eſt: *magis ſtricte*: eſt actus liber procedens a voluntate cum advertentia ad regulam morum. ℞. *ad* 2. *voluntarium* eſt, quod affective procedit a voluntate ex cognitione prævia intellectus: aliud eſt actuale, aliud virtuale. *Vide n.* 5. Ad Caſum.

℞. *Ad* 1. Si motus iræ fuit omnino ſubitus, præveniens omnem advertentiam rationis, non peccavit, defectu voluntarii; alias venialiter; imprecationes enim, ſi non fuerint feriæ (ut in parentibus fieri ſolet) etiam ſuppoſita deliberatione, ſunt tantum veniale. *Ad* 2. ſi advertenter fregit, prævidens virum graviter exacerbandum, peccavit graviter contra charitatem; magis,

ſi hoc

ſi hoc intendiſſet: alias vel nullo modo, vel leviter tantum. *Ad* 3. ſi oſculum absque alio fine honeſto ex ſenſuali delectatione, magis, ſi tactum voluntarie admiſit, peccavit graviter; ſi præter vel contra intentionem, ex improviſo, obiter, (ut fieri ſolet in conjugata honeſta) non peccavit graviter, & quia de his merito dubitatur, examinanda eſt; Confeſſarii enim eſt inquirere: an pœnitens peccaverit graviter, ſi aliunde prudenter colligi nequeat. *Quod addo*: Si enim confiteretur, ſe ſæpius admiſiſſe ſimilia, vel obſervaret eſſe laſcivam, poteſt ſupponere peccaſſe graviter; quæ bene notanda ſunt in aliis multis pro praxi. *Ad ult.* Si prævidit periculum, & fuit negligens in præcavendo, eſt rea homicidii. Eſt autem periculum grave, ſi lectus ſit anguſtus, parens inquieti ſomni &c. & eſt ſemper diſſuadendum.

Caſus II. Titius Sacerdos 1. Non approbatus audit Confeſſiones vidente ac tacente Epiſcopo: 2. aſſiſtit matrimonio ſuæ ſororis, certus hoc gratum fore Parocho, ſi audiat, quem oblitus eſt rogare, & nunc non poteſt: 3. ex certo modo cubandi novit ſequi pollutionem: 4. nepti abeunti dat oſculum: ex quo per experientiam novit ſe valde moveri: *denique* poſt largum potum vadit ad infirmum ungendum, & in via aere aperto inebriatur, pergensque ad infirmum, qui in phræneſin incidit, eum inungit. Q. *Quid ad hæc reſolvat Theologus?*

℟. *Ad* 1. Abſolutiones datæ, antequam Epiſcopus vidit, ſunt invalidæ, ideoque ſacrilegæ: poſtquam autem vidit abſolventem, ſunt validæ, ſi vere Epiſcopus conſenſum tacitum præbuerit; cum tacitus conſenſus a parte rei exiſtat; quod feciſſe præſumitur, & ſuo ſilentio ut ſigno ſenſibili expreſſiſſe, poſito, quod reflexerit non eſſe approbatum. ℟. *ad* 2. Matrimo-

 nium

nium eſt invalidum; cum enim ad valorem requiratur actualis jurisdictio, & conſenſus Parochi ſaltem habitualiter exiſtens ſeu non revocatus, non ſufficit mere præſumptus aut ratihabitio; cum nihil det actui: aliud eſt, dum de ſola liceitate agitur, & abſens interrogari non poteſt. ℟. *ad* 3. Si adſit aliqua neceſſitas vel utilitas ſic cubandi, non peccat, ſi non intendatur, nec adſit periculum conſenſus; habet enim tunc jus ſic cubandi. Similiter ℟. *ad* 4. cum actio de ſe ſit honeſta, nec ſit cauſa per ſe motus turpis; modo iterum abſit periculum conſenſus in delectationem veneream: hoc autem periculum vix unquam abeſt. ℟. *ad ult.* Si infirmus Sacerdotem ab ante petiit, debebat inungi; manſit enim intentio habitualis: unctio tamen fuit invalida ex parte miniſtri; non enim manſit intentio virtualis; nam ſpecies phantaſiæ, quæ manſerunt, movent appetitum ſenſitivum ad talem actionem, quæ non eſt voluntaria reſpectu volitionis humanæ liberæ antea habitæ, ſed tantum eſt effectus potentiarum ſenſitivarum in ebrietate operantium, poſito: quod ſit perfecta ebrietas.

Caſus III. Cajus 1. legit varias hiſtorias prævidens inde ſecuturam delectationem de objecto turpi: 2. ambulans per hortum Principis curioſe aſpicit nuditates ſtatuarum, inſurgentibus tamen motibus conſenſum denegat: 3. dum naturaliter incidit cogitatio de objecto turpi, & inde ſenſitiva delectatio, eam negligit repellere: 4. ſæpe in ſomno pollutionem habet: *denique* 5. ſemel delectationem turpem habuit, ſed dubitat: an in ſomno, an vigilans. *Q. Quid de eo judicabit* Confeſſarius?

℟. *ad* 1. Si ex aliqua cauſa honeſta legat, non peccat: ſi ex curioſitate, peccat venialiter; quia cauſa non eſt, niſi venialis, & ſequitur per accidens, ſecluſo ſemper periculo conſenſus. Si ſine cauſa ſit circa objec-

objecta valde turpia, eſt mortale, ob periculum complacentiæ. *Ad* 2. peccavit graviter, tum ob motus turpes indirecte voluntarios, qui per ſe ſequuntur: tum ob periculum gravius labendi. *Ad* 3. practice loquendo, peccat graviter, teneturque ſtatim elicere diſplicentiam & cogitationes alio divertere, dum plene advertit, ob periculum complacentiæ; quia vehementiſſima hic eſt objecti allicientia, & talis converſio ad objecta honeſta præſertim grata vel indifferentia eſt tutiſſimum remedium in hac materia. *Ad* 4. videndum eſt: an & per quid de die cauſam dederit, ſi V. G. vacando veſperi turpibus cogitationibus, jam dupliciter peccavit, poſito: quod de periculo pollutionis cogitaverit; & licet bonum ſit, quod ipſam etiam pollutionem in ſomno ſecutam confiteatur, per ſe tamen ſatis eſt dicere: inhæſi turpi cogitationi, prævidens periculum pollutionis; hæc enim in ſe peccatum non eſt, dum in ſomno fit. *Ad ult.* præſumere poteſt fuiſſe in ſomno; quæ enim cum plena advertentia a vigilante fiunt, facile facta cognoſcuntur.

Caſus IV. Titius ob potum vini cremati 1. in ſomnum incidit, ideoque Miſſam in die feſto non audiviſſet, niſi caſu excitatus eſſet: 2. in ebrietate varia commiſit peccata: 3. uxorem gravidam ex ira percuſſit, ex quo contra voluntatem ſequitur abortus: *denique* 4. cum ſit chirurgus, aſpiciendo & tangendo ſecretiora frequenter in ſe ſentit motus, ac pollutionem, ſentitque ſe magis promptum, dum ad fæminam, quam dum ad virum vocatur. *Q. quid ſit voluntarium indirectum, & an & qualiter in his peccaverit Titius?*

℞. *Ad* 1. *Vid. n.* 6. 7. *& R. ad* 2. Si ſomnum prævidit, & de periculo omiſſionis cogitavit, nec curavit ſollicite, ut excitaretur, peccavit graviter contra præceptum audiendi Miſſam ob periculum, licet

illam caſu audierit. *Ad* 2. illa tantum in foro conſcientiæ ipſi imputantur; quæ prævidit ſaltem in confuſo. *In* 3. Eſt reus abortus etiam noliti; eſt enim indirecte voluntarius; peccavitque graviter eam percutiendo; & facile in confuſo prævidetur periculum; quod licet non niſi ſemel vel iterum ex viginti vicibus ſequatur, adhuc abſtinendum eſt propter graviſſimum damnum, quod infertur fœtui præſertim animato. *Ad* 4. Si ſimilibus non præbeat conſenſum, non cenſentur voluntarii; cum juſtam habeat hæc faciendi neceſſitatem vel cauſam. Promptitudo illa naturalis eſt naturæ corruptæ defectus, attamen ob periculum conſentiendi tenetur contrariis proteſtationibus & bonis actibus animum firmare, & motibus ſubortis reſiſtere. Si vero per experientiam ſciret, ſe ſolitum conſentire, nec periculum poſſet extenuare, deberet deſiſtere. De quo alibi.

Caſus V. Caja famula ab hero ſuo ſæpe ſollicitata admittit quidem oſcula & tactus turpes, non tamen copulam; cum vero nuper violenter ab illo opprimeretur, noluit clamare, ne herum & ſe ipſam diffamaret, imo ne ab ipſo præ libidine furioſo occideretur. Q. *Quid ſit violentia? an tollat voluntarium, & quid ad Caſum?*

℞. 1. *Violentia* eſt vis ab extrinſeco illata contra naturalem inclinationem paſſi: ſi ſit ſimpliciter talis, ita ut in & externe totis viribus reſiſtatur, facit actum poſitive involuntarium; alias relinquit indirecte voluntarium in omiſſione ſufficientis reſiſtentiæ. ℞. 2. Caja peccavit mortaliter, quoties admiſit oſcula & tactus, licet copulam ſemper recuſaverit ſolius utique infamiæ timore; tenebaturque Confeſſarius urgere, ut, quantum fieri moraliter poterat, domum deſereret. ℞. 3. Peccavit mortaliter non clamando; quia non reſtitit, quan-

quantum utiliter potuit, & debuit. Herus ſuæ malitiæ imputet infamiam, illa laudem meruiſſet; imo tenebatur clamare cum evidenti periculo mortis; cum enim ipſa lubrica eſſet, debebat prævidere ſe moraliter certo conſenſuram in delectationem, quod eſt intrinſece malum, idque verum eſt, licet ſciat ſe eſſe in gravibus peccatis, nec poſſit tam cito elicere contritionem, ideoque putet ſe damnandam. Non damnabitur autem, quia ſe exponere morti ac gehennæ potius, quam in peccatum conſentire, eſt actus amoris perfectiſſimus, quo mortalia præterita remittuntur ob dolorem ſaltem virtualem; de quo tamen Vid. Tract. de Pœnit. *n.* 7.

Caſus VI. Cajus per metum gravem 1. cogit Judæum, ut ſe baptizari permittat: 2. Sacerdotem, cui confeſſus eſt, ut abſolvat: 3. filium ſuum, ut canonicatum & ſacros Ordines ſuſcipiat, 4. inter hæreticos, ne agnoſcatur, carnes comedit diebus vetitis. Q. *quid & quotuplex ſit metus? an tollat voluntarium? & quid ad Caſum?*

℞. 1. *Metus* eſt inſtantis vel futuri mali cauſa trepidatio. Alius *gravis*, alius *levis*, *reverentialis*, *&c.* qui de ſe eſt levis; ſi accedant alia, ſæpe eſt gravis. (a) ℞. 2. Metus quicunque non perturbans rationem, relinquit actum ſimpliciter voluntarium; quia omnibus conſideratis voluntas ſe reſolvit ad volendum: ſi tamen volitio efficax ſecum patiatur volitionem conditionatam & affectum ad oppoſitum, reddit actum involuntarium ſecundum quid. ℞. 3. *Ad* 1. cum conſenſus in Baptiſmum ſit ſimpliciter voluntarius, valet Baptiſmus, obligaturque dein legibus Eccleſiæ, non vi conſenſus injuſte extorti, ſed vi legis divinæ, qua tenetur ſuſcipere fidem Chriſti ſatis ſibi propoſitam,

(a) *Vid. Num.* 10.

& in ea obedire Eccleſiæ. *Ad* 2. Si abſolutio valide dari poſſit, valet quia ſimpliciter voluntaria; ſi non poſſit, peccat graviter, vel Sacramentum conferendo indigno & incapaci, vel ſine hac intentione proferendo formam; eſt enim ſimulatio & mendacium in re graviſſima. *Ad* 3. Valide ordinatur, ſed non tenetur voto caſtitatis, nec horas orare; quia Deus non acceptat votum injuſte extortum, nec Eccleſia cenſetur illum obligare: hinc ſecluſo ſcandalo poſſet uxorem ducere; ſi tamen ceſſante metu ſemel actum Ordinis exerceat, tenetur, quia eſt ratificatio Ordinis. *Ad* 4. Si præciſe ne agnoſcatur, vel irrideatur, peccat graviter; ſi, ne gravis mali periculo ſe exponat, non peccat; quia lex humana non obligat, niſi comeſtio cedat in contemptum religionis, vel ex circumſtantiis habeatur pro diſtinctivo fidei. (a)

Caſus VII. Titius 1. confitetur: volens occidere Petrum Clericum inimicum occidit Cajum amicum etiam Clericum: 2. globo jaculando cervum ſimul trajeci inimicum ad necem quæſitum in dumeto latenter ſtantem: 3. ignorans eſſe vigiliam manducavi carnes, ſed ex pigritia die dominico non fueram in Eccleſia. Q. *quotuplex ſit ignorantia? an a peccato excuſet? & quid de Titio judicabit Confeſſarius?*

℟. *Ignorantia* alia eſt *antecedens*, quæ etiam dicitur *invincibilis*: alia *conſequens* & vincibilis, dum voluntarie ommittitur diligentia moralis, qua poterat depelli: alia *concomitans* &c. *Ad* 1. Si non adhibuit diligentiam moralem, ne alius homo occidatur, incurrit irregularitatem & onus reſtitutionis; quia occiſio Caji eſt illi voluntaria in omiſſione diligentiæ debitæ: ſi illam adhibuit, nihil incurrit; quia actus externus non eſt formaliter injurioſus Petro, cum illum non tangat,

(a) *Vid. Num.* 12.

tangat, nec Cajo, quem omnino involuntarie occidit. *Ad* 2. Si iterum adhibuit diligentiam debitam, occiſio eſt negative involuntaria, non poſitive, ſicut prior; & non inducit pœnas, ad quas non ſufficit actus internus malus, nec attenditur, quid quis faceret, ſed quid fecerit. *Ad* 3. Si die Dominica, dum Miſſæ noluit intereſſe, obvenit cogitatio de jejunio, & neglexit inquirere, aut alios prudentes deſuper interrogare, eſt ignorantia vincibilis, & peccavit contra præceptum jejunii; ſi autem nec tunc, nec ex poſt inciderit cogitatio, licet peccaverit omittendo Miſſam, non peccavit non jejunando. (a)

Caſus VIII. Titio confitetur 1. Puella ſæpiſſime ſentiens in ſe motus iræ contra Deum & Sanctos, quos videtur velle calcare pedibus; qui motus ad cor & animum pertingunt, nec poteſt illis negare conſenſum. 2. Uxor, quæ quotidie prolibus ſuis valde obſtinatis mortem ſæpe imprecatur, & maritum omnia dilapidantem diris devovet. 3. Vir, qui conſuetudinem habet jurandi. *Denique* 4. juvenis adeo aſſuetus mollitiei, ut dicat ſe amplius abſtinere non poſſe. *Q. quid cum his faciet Titius?*

℟. 1. Dicat puellæ, non peccaſſe, defectu libertatis ob nimiam intenſionem phantaſmatum depravatorum: ſuadeat, ut contemnat, quaſi nil pateretur, cogitationes alio divertat, non confiteatur iſta; alias augetur tentatio, quæ quamdiu moleſtiam adfert, ſignum eſt deeſſe conſenſum. ℟. 2. Uxor per ſe graviter peccavit; excitanda autem eſt ad firmum propoſitum cum divina gratia, quo concepto poteſt, & debet abſolvi, licet ſæpius relabatur; quia occaſionem moraliter deſerere nequit; cum pio compaſſionis affectu erigenda eſt in ſpem divinæ providentiæ, proponenda ſunt

(a) *Vid. Num.* 13.

ſunt exempla Sanctorum, ſæpius renovet propoſitum patiendi in honorem Chriſti, &c. Spondeat etiam, quod in ſacrificiis eſſe velit memor. ℞. 3. Qui habent inveteratam conſuetudinem jurandi, facile omittunt debitam diligentiam in inquirenda veritate, ſicque exponunt ſe periculo jurandi falſum, & peccant mortaliter; hinc niſi pro ea tollenda ipſe ſerio laboret, abſolvi non poteſt. ℞. 4. Erigendus eſt ad fiduciam in auxilium omnipotentis gratiæ, licet de propriis viribus deſperet, debetque abſolvi, ſi media præſcripta adhibeat; aliquando tamen abſolutio eſt differenda, ut probetur conatus. (a)

Caſus IX. Titius violenter e manu parochi rapit Calicem aureum in Eccleſia tempore matutino. *Q. Quot & quales ibi ſint circumſtantiæ?*

℞. Quod violenter, eſt circumſtantia mutans ſpeciem, quia facit eſſe rapinam: quod Calix ſit aureus eſt aggravans; quod e manu parochi, quod in Eccleſia, quod Calicem conſecratum, ſunt etiam circumſtantiæ ſpeciem mutantes facientes tria Sacrilegia diverſa: ſi ſit parochus proprius, eſt nova ſpecies contra obſervantiam; quod tempore matutino, eſt impertinens.

Caſus X. Cajus ſtimulis carnis valde agitatus deſiderat carnalem copulam cum fæmina aliqua indeterminata. *Qualiter peccat, & confiteri tenetur?*

℞. Si conceptu plane abſtracto cogitet de fæmina in genere, nil penitus cogitando de qualitate, eſt ſimplex fornicatio, & ſatis eſt dicere: concupivi fæminam in genere; ſi autem aliqualiter ſe reflectat ad qualitates, & tamen indifferenter ſe habeat, eſt peccatum qualificatum in Confeſſione explicandum.

Caſus

(a) *Vid. Part.* 4. *T.* 1. *de Pœnit. n.* 171. *& ſeq.*

Caſus XI. Titius confitetur, quod die feſto ſub miſſa per partem notabilem garriverit. *An bene ſe explicat?*

℞. Non bene, Si alios, dum Miſſam ex obligatione audiunt, ad ſecum colloquendum poſitive incitaverit; tum enim hoc explicari debet.

Caſus XII. Cajus Religioſus Sacerdos turpiter delectatur circa monialem ſibi conſanguineam, quam & temere judicat incontinentem. 2. Titius deſponſatus Bertæ poſt impuros tactus & oſcula copulam habet cum Caja ſibi affine, & ut indulgere genio poſſit, varias merces ſubtrahit parentibus, a quibus cum graviter corriperetur, varia eis mala in faciem imprecatus eſt: dubitant ambo, *quas circumſtantias in confeſſione exprimere teneantur?* (a)

℞. 1. Cajus ſi non ſit notus Confeſſario, debet exprimere votum; addit enim novam ſpeciem ſacrilegii: non quod ſit Religioſus, Sacerdos; quia ex eodem motivo debet dicere objectum delectationis, an circa tactum, aſpectum &c. Sunt enim ſpecie diſtincta: an delectatio fuerit ſimplex, an deſiderium; ſi 1. non tenetur explicare, quod fuerit monialis & conſanguinea, niſi circumſtantia hæc ſimul oblectaſſet: in judicio temerario eſſe Religioſum vel eſt impertinens, vel non notabiliter augens.

℞. 2. Probabiliter non tenetur dicere, quod ſit deſponſatus: tactus & oſcula, ſi fiant ex intentione copulæ, ipſaque ſubſequatur, unum cum illa peccatum conſtituunt, ideoque hanc ſufficit exprimere: affinitas facit novam ſpeciem, non furtum; niſi per illud parentes periculo paupertatis, vel alterius gravis mali expoſuerit, aut graviter afflixerit, tunc enim eſt ſimul contra pietatem, intentio indulgendi genio eſt circum-
ſtantia

(a) *Vid. P. 2. de Jure & Juſt. n. 70. & ſeq.*

ſtantia finis ſpeciem mutans: quoad imprecationes etiam materiales præſertim in faciem parentibus factas, eſt grave contra reverentiam.

Caſus XIII. Titius confitetur: graviter detraxi aliis, ter fornicatus ſum, ſemel alium dormientem tentavi turpiter tangere. Confeſſarius in 1. interrogat: *quoties? & nil amplius.* Q. *An bene?*

℞. *Ad* 1. non bene; debebat enim interrogare, quot perſonis, & coram quot detraxerit: an per detractionem aliud damnum intulerit: non tamen, in qua materia; quia læditur idem bonum famæ: nec probabiliter, an imponendo crimen falſum, an revelando verum occultum; quia non diſtinguuntur ſpecie, licet notabiliter major ſit malitia in 1. *Ad* 2. An ille dormiens fuerit conſanguineus, affinis &c. eſſet enim ſpeciem mutans; quia repugnat reverentiæ ſanguini debitæ. *Ad* 3. Licet moraliter ſit idem per ſe loquendo, ter peccare cum una, ac ſemel cum tribus; majus tamen videtur ſcandalum ſollicitare tres præſertim innocentes; hinc prudenter & hoc interrogaſſet; etiam dum reſpondet cum una, merito dubitatur, & interrogatur de occaſione proxima.

DISSERTATIO III.

DE LEGIBUS.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid, & quotuplex ſit lex?*

D. 1. Lex *proprie talis* definiri poteſt: Regula ſtabilis actionum humanarum ingenita, vel lata ob bonum commune ab habente authoritatem publicam obligans ad aliquid faciendum, vel omittendum.

dum. *dr.* 1. *ſtabilis vel permanens*; non poſitive; quaſi nunquam abrogari poſſet; ſed negative, ut obliget, quamdiu ab habente poteſtatem, vel conſuetudine non abrogatur; unde non exſpirat morte legislatoris, ſicut ordinarie exſpirat ſimplex præceptum morte naturali vel civili præcipientis; nec obligat tantum præſentes, ſed & futuros. *dr.* 2. *ingenita vel lata;* ut etiam conveniat legi naturali. *dr.* 3. *ob bonum commune;* intellige: vel proxime vel remote; hic enim eſt finis legis, per quod iterum differt a præcepto vel mandato, quod reſpicit unum vel alterum privatum, & reſpicere poteſt bonum privatum. *dr.* 4. *ab habente authoritatem publicam*, ſeu jurisdictionem in communitatem perfectam; quæ eſt multitudo hominum ſub gubernatione Præſidis habentis jurisdictionem politicam, eam ſcilicet, quæ ſe extendat etiam ad pœnas graviores, mortis, exilii, carceris, &c. Hinc non ſufficit poteſtas dominativa ſive œconomica, qualem V. G. habet Paterfamilias in domeſticos. *dr.* denique: *obligans;* quo differt a puro monito & conſilio, quæ non inducunt obligationem; quæ obligatio eſt morale aliquod vinculum adſtringens ad aliquid agendum, vel omittendum ſub culpa vel ſub pœna.

Reſ. Lex ut valeat, debet eſſe de materia poſſibili, honeſta aut ſaltem utili, & conducente ad bonum commune; ſi enim eſſet de impoſſibili, foret irrationabilis: ſi de inhoneſta, foret impia, & repugnaret bono communi: ſi de inutili, foret injuſta; quia imponeret ſubditis onus ſine ratione.

(2) *D.* 2. Lex univerſaliter dividitur in *affirmativam & negativam. Affirmativa* eſt, quæ directe & primario aliquid præcipit faciendum: *negativa*, quæ directe primario aliquid prohibet. *dr.* *primario & directe*; nam licet lex V. G. de audienda devote Miſſa prohibeat etiam ſimul voluntarias diſtractiones, &

omnia

omnia illa, quæ cum audienda devote miſſa ſunt incompoſſibilia, eſt tamen affirmativa; quia primarius finis eſt auditio Miſſæ. Hinc an lex ſit affirmativa vel negativa, non eſt præciſe ſumendum ex vocibus affirmativis vel negativis; hæc enim: *ſanctificabis diem Sabbati*, eſt negativa; ſed attendi debet finis legis, an actio aliqua vel actionis omiſſio principaliter præcipiatur. Si 1. eſt *affirmativa:* ſi 2. eſt *negativa;* hæc obligat ſemper pro ſemper, hoc eſt: pro omni eo tempore, quo durat; V. G. lex jejunii obligat ad omiſſionem duplicis refectionis pro tota die, & omni parte diei. Econtra affirmativa obligat quidem ſemper, ſed non pro ſemper; hoc eſt: aliquo tantum tempore, quo durat; V. G. lex audiendi Miſſam omni die dominica obligat, non tota die; ſed tantum pro aliqua parte diei.

D. 3. Lex alia eſt *æterna*, alia *temporalis*. 1. eſt ordinatio ab æterno exiſtens in mente Dei judicantis & volentis, quæ agenda ſint, vel omittenda. 2. eſt ordinatio quædam in tempore facta. Iterum lex alia eſt *naturalis*, alia *poſitiva*. *Naturalis* eſt ipſa lex æterna, prout nobis per dictamen rationis manifeſtatur: *poſitiva* eſt, quæ ab aliquo legislatore libere eſt poſita; qui legislator ſi ſit Deus, dicitur divina: ſi homo, poſitiva humana. *Divina* alia eſt *veteris*, alia *novi Teſtamenti*. Veteris continebat triplicis generis præcepta, *cæremonialia*, (quæ certas in Dei cultu cæremonias & ritus præſcribunt) *judicialia*, (quæ modum circa cauſas in judiciis ponunt) & *moralia*, quæ docent, quid juri naturali & bonis moribus ſit con- vel difforme, ut ſunt præcepta decalogi a Deo data, per Moyſen promulgata. Hæc & alia præcepta moralia modo non obligant, ut ſunt præcepta veteris legis, ſed ut ſunt præcepta legis naturæ, & ut a Chriſto ſunt renovata; excipe determinationem ſabbati ad cultum

Dei

Dei ſpecialem, quæ facta eſt ab Eccleſia. Lex vetus erat imperfecta negative, hoc eſt: minus perfecta, quam nova; non poſitive, quaſi aliqua perfectio pro ſtatu illo ipſi debita defuiſſet. Ceſſavit poſt promulgationem legis novæ factam Jeroſolymis in die Pentecoſtes, qua facta legalium obſervatio fuit inutilis, non ſtatim mortifera: ſicut eſt V. G. modo eſus agni paſchalis, & cæteræ cæremoniæ, quæ Chriſtum venturum ſignificant. Lex humana alia eſt *Eccleſiaſtica*, ſeu *canonica*: quæ fertur a Superiore Eccleſiaſtico: alia *civilis*, quæ fertur a Superiore ſæculari, vel Eccleſiaſtico, in quantum forum ſæculare reſpicit. *Lex* iterum alia eſt *præceptiva*, quæ aliquid præcipit, vel prohibet, attamen non imponit transgreſſoribus pœnam: alia *pure pœnalis*, quæ quidem non præcipit, aut prohibet actum determinate, transgreſſoribus tamen imponit pœnam V. G. hæc: qui iſta die ligna collegerit, punietur in duos aureos: alia *mixta*, quæ & actum præcipit, vel prohibet, & transgreſſoribus imponit pœnam. Quænam autem ſint leges *pure pœnales*, quænam *mixtæ*, debet deſumi ex verbis legis, & præcipue ex conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres. *Lex* iterum alia eſt *prohibens tantum*: alia *ſimul irritans*, V. G. matrimonium clandeſtinum. Alia *denique* eſt *favorabilis*, alia *odioſa*; per 1. Legislator intendit beneficium & favorem eorum, pro quibus fertur, quamvis indirecte cedat in gravamen aliorum: per 2. intendit primario gravamen illorum, quos lex tangit, quamvis indirecte etiam aliis ſit favorabilis.

QUÆSTIO II.

(3) *Quomodo ad Legem requiratur promulgatio, & acceptatio?*

Certum eſt, ad obligationem legis in actu ſecundo obligantis requiri illius promulgationem factam com-

munitati; ſive interim hæc ſit de eſſentia, ſive conditio tantum ſine qua non, quod parum refert. Lex *naturalis* ſaltem quoad prima principia, cum ex naturali lumine rationis ſatis innoteſcat, non indiget externe promulgari. Lex *poſitiva* præſertim *humana* debet publice, & ſolemniter ſive ſcripto in loco publico affixo, ſive per præconem vel ſimili modo promulgari: cum enim lex ſit communis vivendi regula, debet proponi communitati, cui fertur, & ita, ut omnibus facile poſſit innoteſcere. Non requiritur autem, ut ſingulis intimetur; hoc enim foret moraliter impoſſibile. Hinc ſi V. G. habeam notitiam legis apud magiſtratum concluſæ de non evehendis frumentis, de minuendo pretio, &c. non obligor tali lege, antequam ſit ſolemniter promulgata. Unde *promulgatio* differt a *divulgatione*, qua legis jam promulgatæ notitia per privatos fide dignos extenditur ad plures, qui promulgationi non interfuerunt.

D. 1. Attento jure poſitivo, lex *imperatoria* debet in ſingulis provinciis, ſeu in earum metropoli: *Regia* independens in curia ipſius Regis promulgari. 1. Pars habetur ex *Aut.* (a) in qua ſtatuitur, ut novæ conſtitutiones non obligent, niſi promulgentur in ſingulis imperii provinciis; quod & obſervare debent regna jure cæſareo utentia. *Ratio* 2. *partis* eſt: quia nec jus naturæ, nec poſitivum, nec conditio legis plus exigit, quam ut promulgetur in curia Principis; cum inde ob frequentes ad curiam acceſſus, & receſſus facile poſſit ad ſubditorum notitiam pervenire.

D. 2. Ad legem *civilem* pro una Provincia latam ſufficit promulgatio in una urbe primaria; ſi feratur *pro pluribus provinciis*, communiter promulgari debet in primaria urbe ſingularum; & ſi ſit lex *cæſarea*, non obligat ante duos menſes a promulgatione completos,

(a) *Ut factæ novæ conſtitutiones. Novell.* 66. *Juſtin.*

pletos, niſi aliter exprimatur. Habetur *ex Aut. cit.* Hinc non peccat, qui agit contra talem legem ante elapſum bimeſtre, licet ſciat eſſe promulgatam. Idem eſt de legibus latis a Principibus Imperatori ſubjectis; quia illi ab Imperatore poteſtatem non habent ferendi leges, niſi ſecundum jus commune imperii: ſi autem non ſint ſubjecti, ſpectanda eſt conſuetudo, jus territorii, & voluntas Principis.

(4) *D.* 3. Leges *Pontificiæ cauſas beneficiales concernentes* vim ſuam habent a die publicationis factæ in curia Romana; ita ut ſecundum eas lites decidi debeant, ubi conſtat Romæ eſſe promulgatas. Patet ex praxi. Attamen probabilius videtur, leges Pontificias, quæ concernunt conſcientiam, & pro tota Eccleſia, vel pluribus provinciis latæ ſunt, uti leges circa cenſuras Eccleſiaſticas, circa jurisdictionem Confeſſariorum, irritantes contractum, ſtatuentes caſus reſervatos, revocantes privilegia, & ſimiles Romæ promulgatas non obligare, niſi in ſingulis Diœceſibus promulgatæ ſint, niſi aliter in ipſis decernatur. *Ratio eſt* 1. In quibus jus canonicum nil decernit, ſtandum eſt juri civili; ſed jus civile exigit promulgationem legis in ſingulis provinciis, ut in ſingulis obliget; ergo. *M. p.* ex ipſo jure canon. (a) in quo dicitur: *Sicut leges non dedignantur ſacros canones imitari, ita & ſacrorum inſtituta canonum Principum conſtitutionibus adjuvantur.* 2. Ideo legis promulgatio requiritur, ut poſſit innoteſcere ſubditis; atqui non niſi difficillime in vaſtiſſimo Eccleſiæ imperio ſubditis innoteſcerent leges, ſi tantum Romæ promulgarentur; ergo. 3. Si lex tantum Romæ promulgata obligaret ubique, ergo ſi eſſet irritans V. G. matrimonium in 5. gradu conſanguinitatis, omnia matrimonia ab ignorantibus in iſto gradu contracta forent nulla; quæ & alia multa inconvenientia non præſumun-

(a) *C.* 1. *Extra de nov. op. Nunt.*

ſumuntur de benigno Eccleſiæ regimine. *Denique* Papa ſciens noſtram ſententiam doceri a multis, non contradicit; ergo hæc videtur eſſe mens illius. Dixi: *niſi aliter &c.* Cum enim ex natura rei ſufficiat unica promulgatio (modo hæc ſufficienter divulgetur) poteſt Papa ex gravi urgenti cauſa unam tantum requirere, qua ſola poſita totus mundus obligatur in actu primo, in actu ſecundo autem requiritur notitia hujus promulgationis, & a transgreſſione formali excuſat ignorantia invincibilis; interim ſi lex eſſet irritans, actus contra legem eſt nullus.

Ob. Multæ leges corpori juris canonici inſertæ, ut decretales, & aliæ tantum Romæ promulgatæ obligant ubique. ℟. hoc ipſo, quod juſſu Summorum Pontificum inſerantur corpori juris, & publice legantur, cenſentur ad minus virtualiter promulgatæ. Idem eſt de lege, quæ ſolum Romæ promulgata reciperetur, & in uſu haberetur a fidelibus; praxis enim & uſus teneret locum promulgationis; & hoc modo Bulla *Cœnæ* vim obtinuit in multis provinciis.

Reſ. 1. Quando tantum fit declaratio legis alicujus, non requiritur promulgatio, ſed ſufficit notitia hujus declarationis quomodocunque acquiſita; declaratio enim non eſt nova lex, ſed tantum aperit ſenſum, qui ab initio inerat legi tali: ergo ſufficit prior promulgatio.

Reſ. 2. Leges *dogmaticæ* declarantes aliquid pertinere ad fidem, damnantes propoſitiones, aut libros continentes errores contra fidem aut mores, non indigent promulgari in ſingulis provinciis, ut in iis obligent: ſed ſufficit quovis modo conſtare ita eſſe ab Eccleſia vel S. Sede declaratum. Quia ſunt tantum declarationes legum jam promulgatarum, & eo ipſo, quo mihi quovis modo conſtat aliquid eſſe contra jus naturale, vel divinum, vel etiam humanum ſatis promulgatum, teneor

teneor vitare. Aliud eſt, ſi novum jus ſtatuant, & novam obligationem inducant,

(5) *D.* 4. per ſe loquendo ad valorem legis non requiritur *acceptatio populi*, modo lex ſit juſta & rationabilis. *Prob.* 1. de lege pontificia & aliis Eccleſiaſticis: poteſtas enim legislativa in S. Pontifice, & inde in alios Superiores Eccleſiaſticos derivata non a populo, ſed immediate a Chriſto eſt conceſſa; ergo valor illarum legum non pendet ab acceptatione populi. *Prob.* 2. De aliis legibus. Ab illis non dependet valor legis, in quibus nulla eſt poteſtas legislativa, & qui in utroque foro tenentur obedire juſtæ legi; ſed ſic eſt; nam populus a ſe abdicavit hanc poteſtatem, eamque abſolute tranſtulit in Principem, cui ſe voluntarie ſubmiſit; vel qui eam jure belli acquiſivit. Dixi: *per ſe*; ſi enim in aliquo regno, vel republica Princeps & Magiſtratus conditionatam tantum poteſtatem habeant, ut non niſi conſentiente populo leges ferre poſſint, utique illorum conſenſus ad valorem requiritur.

Ob. Illud Gratiani: (a) *Leges inſtituuntur, quando promulgantur; firmantur, quando moribus utentium approbantur*; ergo pendent ab acceptatione populi. ℟. *d. C.* pendent quantum ad uſum, & obſervationem. *c.* quantum ad vim obligandi *n. c.*

Inſt. 1. Populus per non uſum, vel uſum contrarium poteſt legem latam abrogare, *ut dicetur infra;* (b) ergo & latam non acceptare. ℟. *d. a.* poteſt abrogare ex legislatoris conſenſu vel tacito, vel in jure declarato. *c.* ſecus *n. a.*

Inſt. 2. Multæ leges non obligant; quia non ſunt receptæ: ergo.

℟. *D. a.* Ideo præciſe, quia non ſunt receptæ *N.* quia connivente Principe præſcriptum eſt contra illas *C.*

(*a*) *In* 1. *p. Decreti. d.* 4. *c.* 3. (*b*) *N.* 51. & 61.

Inſt. 3. Quomodo ergo excuſantur, qui non acceptarunt leges Tridentini, & alias multas V. G. de lacticiniis? Et quid de Gallia, ubi leges Pontificiæ non habent vim, niſi acceptentur a curia, ſeu adſit Placetum regium?

℟. Lex ſæpe continet notabile gravamen, & quidem majus pro una, quam pro alia provincia: V. G. Conſtit. Benedict. XIII. de non portandis capillamentis propter frigus in his partibus, Lex de lacticiniis propter defectum olei &c. Hinc prudenter præſumitur, legislatorem non voluiſſe tale onus imponere; ideo non ſunt publicatæ in provinciis, & tandem contra eas facta præſcriptio: quæ valet, quamvis primi peccaſſent non promulgando, de quo *infra*. Galli habent hoc privilegium, ut dicunt ex conceſſione ſummorum Pontificum, de quo ipſi viderint.

Reſ. 1. Peccant ſubditi non acceptando juſtam ac rationabilem legem Principis; patet ex prop. hac (a) damnata: *Populus non peccat, etiamſi absque ulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam. Ratio eſt:* quia *qui reſiſtit poteſtati Principis, Dei ordinationi reſiſtit;* (b) *qui autem huic reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. dr.* in prop. damnata: *absque ulla cauſa;* intellige: *rationabili;* quæ ſi adſit, populus ſine peccato reſiſtit.

Monialibus nuper impoſita fuit lex de perpetua Clauſura, quam illæ nolunt acceptare, eoquod in Regula non habeatur, nec eam ſint profeſſæ. *An bene?*

℟. Non bene: quia Clauſura eſt medium apprime utile ad caſtitatem V. G. quam voverunt: reformationes autem contra pravas conſuetudines tendentes ad diſſolutionem diſciplinæ, violationem votorum, ſcandalum aliorum &c. acceptari debent a religioſis.

Cap.

(a) 28. *ab Alexand. VII.*

(b) *Rom.* 13. *v.* 2.

Cap. relatum 7. Ne Clerici vel Monachi. Cap. Un. de ſtatu regularium in 6.

Reſ. 2. Quamvis peccent, qui juſtam legem ſine cauſa non acceptant, ſi tamen Princeps obſervantiam legis non urgeat, cum poſſit, & videat contrarios populi mores, cenſetur legem tacite abrogare; niſi ob graviora mala obſervantiam commode urgere non poſſit.

Reſ. 3. Epiſcopi præſertim Metropolitani ex officio tenentur per ſe loquendo leges a S. Pontifice recenter conditas, ac Romæ promulgatas in ſuis Diœceſibus promulgare, earumque obſervantiam urgere; ſaltem dum eas ex curia Romana cum tacito mandato authentice transmiſſas acceperunt. Idem eſt de Ducibus Gubernatoribus circa leges civiles.

Reſ. 4. Quamvis primi Epiſcopi peccarint non recipiendo legem, & in uſum deducendo, eorum tamen Succeſſores, ſi poſt longum tempus videant non obſervatam, credere poſſunt eſſe ſublatam per præſcriptionem, *de qua infra.*

Reſ. 5. Si in Diœceſi vicina recepta ſit aliqua Conſtitutio pontificia, non in tua, illa te non adſtringit; non enim es pars illius Diœceſis. Si dubitetur, an & in tua Diœceſi ſit recepta, te adſtringit: quia factum in dubio præſumitur, ſi de jure faciendum erat. Interim attende ad praxin timoratorum.

Reſ. 6. Si lex promulgata a majore parte populi non recipiatur, nec obſervetur, videndum eſt: an legislator hoc ſciat, & non urgeat, & ſic cenſetur legem velut nimis difficilem tacite revocare; ſi urgeat, quilibet tenetur eam obſervare, modo juſta ſit; ratio enim naturalis poſtulat, ut quis potius caput, quam membra ſequatur. Attamen in praxi probabile eſt, ſi tu legem recipere ſis paratus, & data occaſione obſerves, alii vero plerique ex communitate non reci-

piant, nec recepturi exiſtimentur, te quoque excuſari per epykiam; quia æquum non videtur, ut tu ſolus, vel cum aliis paucis legem communiter non receptam longo tempore obſervare debeas. Si legislator neſciat legem non recipi, nec obſervari, obligatio ejus durat, donec contra ipſam præſcribatur.

Reſ. 7. Si ſubditi habeant juſtam cauſam non acceptandi legem, & legislator ſit *inferior*, poſſunt *contra legem appellare; ſi ſupremus, pro relaxatione ſupplicare*, & tunc pendente appellatione vel ſupplicatione ex benigno conſenſu præſumpto non tenentur ad obſervantiam legis; niſi præſumptio ſit, Superiorem cauſas appellationis, vel ſupplicationis prævidiſſe, ponderaſſe, iisque non obſtantibus legem tuliſſe; tunc enim etiam cum aliqua difficultate tenentur. Si facta appellatione vel ſupplicatione legislator legem non urgeat, præſumitur revocaſſe; niſi ex circumſtantiis taciturnitas potius rejectionem appellationis ſignificet.

Reſ. 8. Si lex concernat res fidei, exceptio non receptæ legis non valet, quia omnes tenentur credere, quod eſt de fide. Idem eſt, ſi lex aliquid abroget tanquam pravum vel ſcandaloſum, ſi damnet conſuetudinem velut irrationabilem, iniquam; tunc enim jus naturæ pergit aſſiſtere legi.

Quid dicendum in variis dubiis circa legem: an ſit juſta, promulgata, acceptata &c. commodius reſolvetur, *ubi dr. conſcientia dubia, N.* 19.

QUÆSTIO III.

(6) *Penes quos ſit poteſtas condendi Leges?*

D. Datur in Eccleſia Chriſti poteſtas condendi leges ſuo ſtatui & fini proportionatas. Eſt de fide contra plures hæreticos. Patet ex illo, (a) *Tu es Petrus*

(a) *Matth.* 16. *v.* 18.

trus &c. (a) *Paſce oves meas.* Ubi Vicario Chriſti tanquam viſibili Capiti Eccleſiæ ſumma conceditur poteſtas regendi, adeoque & condendi leges, ubi ad rectum regimen neceſſarium fuerit. Datur quoque poteſtas legislativa in politia civili, ſive Princeps ejus ſit bonus, ſive malus, Catholicus, Hæreticus, Ethnicus, &c. Patet ex illo: (b) *Admone illos, Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe.* 2. Chriſtus mandavit tributum ſolvi Cæſari Principi ethnico. Apoſtolus docet, Principes etiam infideles eſſe Dei miniſtros, ipſisque parendum eſſe etiam propter conſcientiam. (c) *Denique* hoc neceſſarium eſt pro conſervanda communi tranquillitate.

Reſ. 1. Poteſtas ferendi *leges Eccleſiaſticas* competit 1. *Papæ* immediate a Chriſto pro tota Eccleſia; quia vi officii totum Chriſtianum Orbem gubernat in ſpiritualibus. 2. *Concilio generali*, quod & *œcumenicum* vocatur; eſtque illud, ad quod omnes Epiſcopi totius Orbis vocantur, pro tota etiam Eccleſia, dummodo authoritate Papæ ſit congregatum, & ab ipſo confirmatum; alias eſt acephalum, & acta nullum robur habent. 3. *Conciliis particularibus*, ut *nationali* (in quo omnes Archi-Epiſcopi & Epiſcopi certæ nationis ſub uno Primate conveniunt) pro ſola & tota natione: Concilio *provinciali* (quod congregatur ex Epiſcopis, Suffraganeis certæ Provinciæ authoritate Archi-Epiſcopi ſive Metropolitani) pro ſola & tota Provincia: Concilio *Epiſcopali* (quod vocatur *Synodus diœceſana*, & congregatur ex Prælatis, Paſtoribus, Rectoribus Eccleſiarum, Superioribus Regularium authoritate Epiſcopi Diœceſani) pro ſola & tota Diœceſi: 4. *Nuntiis Apoſtolicis* pro ſua Provincia: 5. *Epiſcopo* pro ſua Diœceſi, modo ſit confirmatus, licet non conſe-

(a) *Joann.* 21. *v.* 18. (b) *ad Titum* 3. *v.* 1.
(c) *Rom.* 13.

conſecratus. 6. *Archi-Epiſcopis* & *Primatibus* pro ſua tantum Diœceſi, ut aliis Epiſcopis, & non pro toto Archi-Epiſcopatu: 7. *Prælatis exemptis* jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus, ut ſunt Superiores Ordinum Religioſorum, Abbates, Generales &c. pro uſu diverſarum religionum. Abbatiſſæ, & ſimiles non habent poteſtatem ferendi leges Eccleſiaſticas; cum ſint incapaces jurisdictionis ſpiritualis proprie dictæ; habent ergo tantum poteſtatem œconomicam præcipiendi, delinquentes corrigendi: &c. Et ſpiritualem improprie talem in ordine ad præcipiendum ea, quæ ad ſalutem animæ & Regularum obſervantiam pertinent.

Reſ. 2. Poteſtas ferendi *leges civiles* competit communitati, aut illius curam gerenti; communitati immediate & jure naturæ: curam gerenti mediate & jure humano; quatenus communitas ipſum elegit, vel *immediate*, dum Rex eſt *electivus*; vel *mediate*, dum eſt *hæreditarius*; ſeu quando communitas unum aſſumpſit pro ſe, & ſuis hæredibus. Igitur Imperator Leges ferre poteſt pro toto Imperio, quilibet Rex pro ſuo Regno, Duces ac Principes ſupremi, id eſt, Superiori non ſubjecti, pro ſuis Provinciis, idque vel ſoli, vel cum conſenſu Procerum, ſecundum ſtatuta Regni vel Provinciæ; Respublica libera Superiorem non agnoſcens &c. *Ratio horum omnium eſt:* quia hi præſunt perfectæ communitati, ad quam convenienter regendam neceſſaria eſt poteſtas efficaciter & ſtabiliter ſtatuendi ea, quæ ad bonum commune expediunt, & curandi, ut obſerventur.

Reſ. 3. Declarationes Cardinalium magnæ ſunt authoritatis, ſi ſint authenticæ: attamen non habent vim legis, niſi illas Papa examinarit, approbarit, & promulgari fecerit; tunc enim cenſentur immediate exire a Papa. Ut autem ſint authenticæ, debent eſſe ſubſcriptæ a Cardinali Præſide, ac ejusdem Congregationis

nis Secretario pro tempore exiſtentibus, ac apponi Sigillum, & debite eſſe communicatæ. Ex Decreto *Cum ſacra.* a S. Congregatione 2. Auguſti 1632. juſſu Urbani VIII. edito.

Reſ. 4. Papa poteſt ferre leges civiles pro locis ſtatui Eccleſiaſtico, ſive terris Romanæ Eccleſiæ ſubjectis; in his enim fungitur authoritate etiam Principis ſæcularis; nequit tamen ferre pro locis extra illum ſtatum; quia reſpectu illorum non habet jurisdictionem, & jurisdictio, quæ ei a Deo conceſſa eſt, eſt tantum ad bonum ſpirituale. Poteſt tamen ferre leges contrarias legibus Principum ſæcularium, in quantum hæ derogant ſpirituali Eccleſiæ bono.

QUÆSTIO IV.

(7) *Quinam obligentur Legibus humanis?*

N. 1. Vis Legis alia eſt tantum *directiva*, quæ in conſcientia obligat ſub culpa, nullam tamen pœnam ab homine infligendam ſtatuit: alia *coactiva*, quæ transgreſſorem pœna a legibus expreſſe vel tacite ſtatuta coercet. Hæc ſi obliget in conſcientia ad pœnam ante omnem ulteriorem judicis ſententiam incurrendam, dicitur *coactiva coactione interna:* ſi vero obliget ad pœnam poſt judicis ſententiam incurrendam, dicitur *coactiva coactione externa.*

N. 2. Obligatio in conſcientia alia eſt *directa*, quæ immediate oritur ex ipſa lege: alia *indirecta*, quæ immediate oritur ex quadam decentia naturali, ita ut lex ſit tantum occaſio obligationis.

(8) *D.* Legibus humanis per ſe, & directe quoad vim directivam & coactivam obligantur ſoli ſubditi ratione utentes, niſi ſpecialiter eximantur, *Ratio eſt:* quia lex eſt actus Superioris ad ſubditum, & in non ſubditum nulla eſt poteſtas & jurisdictio; quia vero lex

lex debet eſſe Regula rationalis directiva, ideo in ipſo, quem dirigit, ſupponit uſum rationis ſaltem habitualem.

Reſ. 1. *Legislator Monarchicus*, id eſt, abſolutus, ſive Eccleſiaſticus, ſive civilis, non obligatur ſuis legibus *quoad vim coactivam;* quia nemo proprie cogitur a ſe ipſo; nec ab alio poteſt cogi, quia non habet Superiorem. Nemo in ſe ipſum poteſt proprie exercere jurisdictionem, cum nemo ſit Superior & ſubditus; nemo ſibi ipſi Superior aut inferior eſt: nec etiam obligatur *quoad vim directivam directe* ſive quatenus ab ipſo procedunt; quia lex & obedientia directe eſt ad ſubditos. Obligatur tamen *quoad vim directivam indirecte* ex quadam decentia naturali, modo lex reſpiciat materiam ipſi legislatori convenientem; æquitas enim naturalis exigit, ut caput ſe conformet membris, debetque Superior ſubditis ſuis prælucere exemplo: hæc tamen obligatio per ſe loquendo non eſt gravis; levis enim tantum videtur deordinatio, ſi legislator quandoque ſe non conformet. Dico: *per ſe;* nam per accidens, ſi inde ſequerentur ſcandala (ſicut ut plurimum transgreſſiones Superiorum ſcandalis ſunt obnoxiæ, V. G. ſi Papa palam non legeret horas, non jejunaret &c.) vel aliæ graves inconvenientiæ in communitate, peccat mortaliter: ſicut & ſi inde fieret gravis injuria ſubditis; prout fieri poſſet in contractibus, in pretiis rerum taxatis, &c. Dixi 1. *abſolutus;* quia in *Statu ariſtocratico* (ubi Optimates dominantur) & in *ſtatu democratico* (ubi poteſtas eſt penes cætum populi) quilibet ex Optimatibus directe obligatur; quia quilibet particulariter eſt verus ſubditus reſpectu totius: ſic etiam apud Regulares Generalis, vel Provincialis obligatur legibus a Capitulo latis. Dixi 2. *modo lex reſpiciat materiam Legislatori convenientem;* quia non tenetur legibus tributorum; de non ferendis

armis,

armis, de non exceſſu veſtimentorum, & cæteris; quia ſimilia dedecent Principem: tenetur tamen legibus jejuniorum, de non exportandis frumentis, & ſimilibus; quamvis ex juſta cauſa ſecum ſicut cum aliis in his diſpenſare poſſit.

(9) *Reſ.* 2. Clerici, & Religioſi non obligantur legibus Principis, aut Magiſtratus ſæcularis, niſi ſimili modo indirecte; quia non ſubſunt jurisdictioni legislatoris civilis; ergo tantum obligantur indirecte, quatenus decet pro bono pacis, quod una pars communitatis conformet ſe reliquis: modo tamen hæ leges ſint neceſſariæ pro bono communi, non adverſentur immunitati Eccleſiaſticæ, nec ſtatum clericalem dedeceant. Hæc obligatio iterum per ſe eſt levis tantum, niſi adſit ſcandalum, grave damnum tertii, aut reipublicæ, vel leges ſint ſimul juris naturalis: ut ſervare jura contractuum, taxas mercium, &c. in his enim æqualiter obligantur; quod *probatur*: jus naturæ exigit, ut vendant pretio juſto, atqui juſtum pretium eſt, quod a lege taxatur: ergo. Non tamen ob transgreſſionem a laicis puniri poſſunt, V. G. per confiſcationem mercium, licet contrarium fieri videamus; quia ſacri canones penitus interdicunt Principibus, aut Magiſtratui ſæculari poteſtatem puniendi aut judicandi perſonas Eccleſiaſticas, & res Clerici gaudent privilegio perſonæ; debent ergo ſatisfactionem, & pœnam condignam petere apud judicem competentem.

Obſ. In ſequentibus poteſt aliquid exigi ab Eccleſiaſticis. 1. de bonis Eccleſiaſticis, quæ ante fuerunt obligata Principi ſæculari; quia tunc tranſeunt cum ſuo onere. 2. ſi Clericus exerceat negotiationem; tunc enim emendo & vendendo lucri cauſa debet ſolvere taxas; cum in hoc nullo jure ſit exemptus. 3. Clerici debent participare in expenſis, quæ tam in eorum, quam laicorum privatam utilitatem fieri debent, V. G.

ſi

ſi ad impediendas feras, aut fures faciendæ ſint excubiæ &c. *Denique* poteſt Papa ex juſta cauſa Principibus Supremis permittere, ut pro gerendo bello, vel ſimili gravi neceſſitate a Clericis exigantur ſubſidia; an autem conſenſum Papæ habeant, qui Clericis, ac Religioſis multas exactiones de ſe iniquas imponunt, viderint imponentes.

(10) *Reſ.* 3. Religioſi exempti, ut mendicantes, per ſe non tenentur legibus Epiſcoporum, niſi iterum indirecte ex æquitate naturali; modo eorum exemptioni non præjudicent, niſi in paucis caſibus exceptis; quia Epiſcopis non ſunt ſubjecti. Dixi: *niſi &c.* propter Decretum Concilii Trident. (a) in quo ita ſtatuitur; *Cenſuræ, & interdicta nedum a Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, a Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſerventur; dies etiam feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus ſerventur.*

Reſ. 4. Infideles, hoc eſt: non baptizati, ut Judæi, Pagani, Catechumeni non tenentur *legibus Eccleſiaſticis*: cum enim non ſint baptizati, non ſunt ingreſſi Eccleſiam; huic igitur non ſunt ſubjecti. Contrarium eſt de hæreticis, apoſtatis legitime baptizatis. *Legi* vero *naturali* & *divinæ* ſubjiciuntur; his enim omnes homines ſtringuntur. Si tales infideles ſint ſubjecti Principi Eccleſiaſtico in temporalibus, ut V. G. Romæ ſunt Judæi ſubjecti pontifici, tenentur illi obedire quoad ea, quæ civilem gubernationem concernunt; ſicut tenentur obedire legibus civilibus ſuorum Principum.

Reſ. 5. Infantes, & perpetuo amentes, quamvis teneantur lege naturali negativa, cum participent naturam rationalem, non tamen tenentur legibus poſitivis;

(a) *Seſſ.* 25. *de Regul. cap.* 12.

vis; cum enim has cognoſcere non poſſint, non poſſunt ipſis eſſe regula. Hinc peccat graviter qui amentem inducit ad iram, blasphemias, ut alium actum turpem, qui malitiam objectivam retinet; non peccat, qui ei offert carnes die Veneris; imo valde probabiliter non peccat, qui imponit opera ſervilia die feſto; quia cum non teneatur lege, eſſet cooperari rei licitæ.

Amenti præbere vinum, quo inebriatur, de ſe non eſt mortale; quia non eſt capax ebrietatis, cum enim uſum rationis non habeat, non poteſt eo privari. Eſt mortale, ſi notabiliter noceat ejus ſanitati, quod magis tenet de pueris ante uſum rationis, quibus facilius nocet, quique peſſimam inde contrahunt conſuetudinem.

Ob. Non licet per equum, bovem, aut aſinum, laborare die feſto, quamvis hæc nulli legi ſint ſubjecta; ergo nec per amentem vel infidelem ſaltem ſuo nomine & in ſuam utilitatem; quia tunc cenſetur imponens laborare per amentem tanquam inſtrumentum vivum. Ita probabiliter multi. Sed ℞. *n. c.* diſp. eſt: quod equi V. G. laborare non poſſint absque ductu & ope illius, qui lege Eccleſiaſtica ſtringitur; aliud eſt de amente & infideli, quibus ſufficit mandatum applicantis.

Reſ. 6. Ebrii, habentes lucida intervalla, manent ſubjecti legibus, *quamvis* per *accidens* non peccent eas infringendo ob defectum rationis; hinc tali amenti vel ebrio non licet dare carnes diebus Veneris; quia cum hi teneantur lege, eſt cooperari eorum transgreſſioni materiali; quod non licet.

(11) *Reſ.* 7. Pueri non ſubjacent legibus Eccleſiaſticis aut civilibus ante completum ſeptennium, quamvis aliqui citius habeant uſum rationis. *p.* legislator humanus attendit ad ea, quæ communiter fiunt; atqui

atqui ante completum ſeptennium ordinarie non adeſt uſus rationis: ergo. Hinc ante ſeptennium licite illis dantur carnes die Veneris, non tenentur intereſſe Miſſæ die feſto &c. quamvis bonum ſit eos talibus non aſſuefacere. Si nihil aliud obſtet, poſt ſeptennium & ſimul adeptum uſum rationis tenentur legibus humanis ætati ſuæ accomodatis, V. G. ad abſtinentiam, audiendam Miſſam &c. Si dubitetur de puero, an adeptus ſit uſum rationis; poſt ſeptennium præſumitur pro uſu rationis; & eſt obligatio, non ante, quia ex communiter contingentibus prudens eſt præſumptio. Excipitur probabilius lex de confeſſione annua; quia Tridentinum ad hanc vult obligatos omnes doli capaces, qui peccati mortalis conſcientiam habent. Unde ſi puer ante ſeptennium peccet mortaliter, prout non raro fit, ad hanc tenetur; attamen ante adeptam pubertatem, pueri non incurrunt pœnas & cenſuras Eccleſiaſticas, excepta excommunicatione, quæ ob gravem percuſſionem Clerici incurritur *ex cap. ult. de ſentent. Excommun.* incurrunt & irregularitatem ortam ex homicidio per *Clement. d homicidio.*

Reſ. 8. Pueri, & puellæ ante uſum rationis poſſunt ſine peccato intromitti in clauſuram, quamvis diſſuadendum ſit; quia licet Tridentinum (a) id prohibeat omnibus, cujuscunque ætatis fuerint, communius tamen intelligunt legum interpretes de habentibus uſum rationis, & de illis, qui ad peccandum movere poſſunt, ut ſunt fatui, & infideles adulti; qui quamvis intrando non peccent, peccant tamen moniales eos admittendo.

QUÆSTIO V.

(12) *An, & quomodo Legibus particularium locorum obligentur peregrini, & vagi?*

N. 1. Quadrupliciter poteſt aliquis eſſe in loco, 1. ut habeat ibi *domicilium*; hoc eſt: ut habitet, vel

(a) *Seſſ.* 25. *c.* 5. *de Regularib.*

vel habitare incipiat cum intentione ſemper ibidem manendi. 2. Ut habeat *quaſi-domicilium;* quod fit, dum locum intrat cum animo ibidem per majorem (alii dicunt, notabilem) anni partem ſubſiſtendi; ut faciunt ſtudioſi, famuli, ancillæ, & cæteri. Sicut autem prima die habitationis acquiritur domicilium, ſic & quaſi-domicilium, ſi adſit animus manendi. 3. Ut nullibi domicilium, nec quaſi-domicilium fixerit, nec ibi manere cogitet; & hic eſt *vagus.* 4. Ut alibi domicilium, vel quaſi-domicilium habeat: hic autem per tranſennam, vel ad breve tempus moretur; & hic dicitur *peregrinus.*

N. 2. Certum eſt peregrinos & vagos quandoque per accidens obligari; ut ſi ex lege non ſervata orire-tur perturbatio, aut ſcandalum. Similiter certum eſt ipſos obligari præceptis Eccleſiæ communibus, licet in loco domicilii ſit derogatum, V. G. legi de obſervanda abſtinentia die Sabbati. *Ratio eſt:* quia ſimilis derogatio, exemptio, vel privilegium mere localia ſunt; quæ extra territorium favere non poſſunt. Hinc civis Mediolanenſis tenetur quatuor primis diebus quadrageſimæ hic jejunare, licet Mediolani non jejunet: Belga hic exiſtens tenetur diebus Sabbati hic abſtinere a carnibus, quas domi licite manducaret, &c.

N. 3. Eodem inſtanti, quo quis fixit domicilium, tenetur legibus talis loci; quia eo ipſo fit ſubditus & membrum communitatis: ſi in duobus locis domicilium eligeret, quia V. G. de hyeme habitat in urbe, de æſtate in pago cum intentione ita continuandi, ut faciunt aliqui nobiles, obligatur ad leges iſtius loci, ubi præſens fuerit.

N. 4. Tenetur etiam aliquis prima die legibus loci, in quo habet quaſi domicilium; quia eo ipſo ſortitur forum talis loci, hoc eſt: jurisdictioni tam civili,

 quam

quam Eccleſiaſticæ ſubjicitur; acquirit Parochiam, ſitque ſubditus Parocho quoad omnia Eccleſiaſtica: poteſt ibi ſuſcipere Sacramenta præter Ordinem; hæc tamen extendi non debent ad illas leges; quibus præſcribuntur onera proprie dictam ſubjectionem ſupponentia.

(13) *D.* 1. Peregrini & vagi regulariter & per ſe non tenentur legibus ſpecialibus locorum, in quibus morantur. *p.* 1. Lex per ſe non obligat, niſi ſubditos & membra communitatis, cui fertur; ſed peregrini moraliter non cenſentur ſubditi vel membra communitatis, per cujus territorium tranſeunt, aut brevi morantur; cum brevis mora habeatur pro nulla. ergo. *Confirmatur.* Ex utroque jure canonico & civili peregrini non ſortiuntur forum, quod eſt fieri ſubditum, niſi in duobus caſibus ſcilicet contractus vel delicti; quid autem opus hos ſpecialiter exprimere, ſi univerſaliter & per ſe peregrini eſſent legibus territorii ſubjecti? *Deinde* Exceptio firmat regulam in contrarium; ergo extra caſum contractus & delicti non ſubjiciuntur legibus. *prob.* 2. In dubio eligenda eſt pars benignior, ut habet R. J. (a) ſed eſt dubium de obligatione, quæ aliunde non ſatis probatur; ergo. *Dixi: Regulariter;* quia tenentur quibusdam legibus, maxime quarum violatio cederet in damnum vel injuriam loci, in quo ſunt; hinc tenentur ad leges præſcribentes ſolemnitatem contractuum, ut conſtat ex lege: *ſi Fundus:* (b) alias contractus ſunt irriti: tenentur ſervare leges prohibentes inferri vel efferri certas merces, ne noctu portentur arma, &c. Quia jus naturæ dictat, ut non impediatur bonum commune loci etiam ab advenis; non tamen tenentur audire miſſam in feſto ſpeciali illius loci, poſſunt opera ſervilia exercere, non jejunare &c. ſecluſo ſemper ſcandalo, quod de jure

(a) 56. *ff. de Reg. Jur.* (b) *ff. de Evictionib.*

jure naturæ quis vitare tenetur. *Denique* tenentur legibus pro ipſis latis V. G. ne ultra oćtiduum ibi ſubſiſtant, ut ſolvant većtigalia &c. niſi perſonæ, aut bona ſint exempta; quia ex conſenſu Superiorum ſubjiciuntur his legibus, & ea conditione ad illum locum admittuntur, ibique tolerantur.

Ob. S. Ambroſius (a) ait: *Cum Romam venero Sabbato, jejuno, cum Mediolani ſum, non jejuno, ſic & tu, ad quamcumque Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva;* unde eſt illud: *Si fueris Romæ, Romano vivito more.* 2. Advena ubique punitur, ubi peccat; ergo ſubjicitur legibus loci. 3. Peregrini & maxime vagi eſſent exleges: non enim obligantur legibus proprii territorii, dum extra illud ſunt; *de quo ſtatim:* nec legibus loci, ad quem venerint. 4. Quæcunque mora extra proprium territorium eximit a legibus territorium; ergo quæcunque mora brevis, modo ſufficiat ad implendam legem, ſubjicit legibus alieni territorii. *Denique* (b) *qui ſentit commodum, ſentiat & onus;* ſed peregrini gaudent privilegiis locorum, per quæ tranſeunt; ergo & obligantur legibus. ℟. *ad* 1. Eſſe conſilium, non præceptum: vel loquitur, ſi adſit ſcandalum, ſubjungit enim S. Pater; *Si cuiquam non vis eſſe ſcandalo*, quod ignorantibus eorum exemptionem dare poſſunt: aut ſi per notabilem anni partem permaneant. *Ad* 2. peregrinus ratione delićti acquirit forum; ut patet ex jure & conſuetudine; nos loquimur extra caſum delićti. *Ad* 3. *n. ſ.* nam obligantur legibus communibus, & etiam aliquibus particularibus. *Ad* 4. *n. c.* primum eſt favorabile, ſecundum odioſum; odioſa autem ſunt reſtringenda, favores ampliandi, & mora brevis non facit ſubditum. *Ad ult.* ℟. axioma illud tantum tenet, quando onus habet connexionem cum commodo; ſic bene-

(a) *In c. illa diſt.* 12. (b) *R. J.* 55. *in* 6.

beneficiatus merito ſentit onus legendi horas, quia ſentit commodum beneficii: non autem, ſi onus & commodum ſint diſparata; ſic apud Religioſos novitius gaudet privilegiis ſui Ordinis, & tamen nemo dicit illum eſſe obſtrictum legibus ſaltem omnibus.

Privilegiis & commodis poteſt gaudere non ſubditus, ſed non ſubditus non poteſt conſtringi legibus, quæ fundantur in juriſdictione, & ſuperioritate unius ſuper alium. *Dices.* Hæc exemptio turbat Rempublicam; ergo. ℞. N. A. Exemptio nobilium, militum, Clericorum a quibusdam legibus eam non turbat, ergo nec quod peregrinus hinc inde non jejunet, non audiat miſſam &c. Si per accidens turbet, etiam per accidens obligantur indirecte vi legis naturalis non turbandi &c. Interim fateor ſententiam oppoſitam conſulendam eſſe in praxi, utpote magis piam, quæ tamen etiam non obligat eum, qui tranſit per locum, ubi eſt V. G. dies feſtus, ad audiendam Miſſam, ſecluſo ſcandalo, ſi ibi tantum ſubſiſtat ad ſe reficiendum cibo & potu; quia mora non eſt proportionata implendo præcepto.

(14) *D.* 2. Peregrini phyſice & moraliter extra ſuum territorium exiſtentes, non tenentur legibus particularibus ſui territorii. *p. ex lege ult.* (a) in qua dicitur: *extra territorium jus dicenti non paretur impune.* Deinde Legislator in ferenda lege reſpicit bonum publicum ſuæ ditionis; hinc extra illam leges non obligant ſubditos. Leges enim per ſe & directe reſpiciunt territorium, & actualiter, non habitualiter tantum ſubditos. *Dixi: Phyſice & moraliter;* ſi enim phyſice tantum & quoad perſonam abſint, ſint vero præſentes moraliter vel quoad rem, circa quam operantur, vel quoad actionem malam, quam exercent, legibus proprii territorii ſubjacent. Unde

Reſ.

(a) *ff. de Juriſdictione.*

Reſ. 1. Parochus, qui extra Diœceſin vagatur, & omittit agere, quæ ipſi ex officio incumbunt, puniri poteſt; quia peccatum moraliter ſit in Diœceſi. Sic lex obligans ſub cenſura Clericos, ut certo tempore compareant in Capitulo, obligat extra exiſtentes; quia abſentia conſummatur in proprio territorio; ſic ob neglectam reſidentiam citari cenſurari poſſunt.

Reſ. 2. Si homicidium ſit caſus reſervatus in hac Diœceſi, Diœceſanus extra hanc exiſtens, ſi aliquem in hac exiſtentem jaculando occidat, incurrit caſum reſervatum. Idem eſt de aliis multis; quia cum peccatum conſummetur in hac, cenſetur moraliter præſens.

Reſ. 3. Tenetur aliquis legibus tributorum ob prædia, merces, &c. quæ in proprio territorio exiſtunt, licet ipſe ſit extra territorium ſuum.

Reſ. 4. Subditus Colonienſis poſt patratum delictum fugit in aliud territorium, poteſt ibi puniri a Superiore Colonienſi, non pœna externa, ut ſi deberet capi, bonis privari; hoc enim fieri non poteſt ſine licentia Domini territorii, (a) ſed pœna interna; qualis eſt cenſura aut irregularitas.

Reſ. 5. Cajus Colonienſis Titium pariter Colonienſem graviter vulneravit, quo facto recepit ſe Confluentiam animo ibidem figendi domicilium: ſi ſe recepit, antequam ad cauſam dicendam citatus fuerit ab Ordinario Colonienſi, non poteſt ab hoc cenſurari; quia non eſt amplius ſubditus; ſi autem citatus fuerit, poteſt.

Reſ. 6. Superior Regularis habens poteſtatem ferendi leges, poteſt obſtringere ſuos, ubicunque exiſtant; quia habet poteſtatem immediate in perſonas vi voti obedientiæ perſonalis; non ſic Epiſcopus, cui jurisdictio immediate competit in territorium; & ratione hujus in perſonas. Unde

(a) *Cap. Poſtulaſti. de foro competente.*

Reſ. 7. Si Epiſcopus Clericis ſub pœna excommunicationis V. G. prohibeat luſum alearum per modum ſtatuti vel legis generalis, Clericus ludendo in alia Diœceſi, vel intra Diœceſin in loco localiter exempto, non ligatur hac lege, nec incurrit pœnam; nam locus exemptus in ordine ad jurisdictionem Epiſcopi habetur pro loco extra Diœceſin ſito. *Dico: Localiter exempto;* ſi enim tantum ſit exemptus perſonaliter ratione perſonarum ibi degentium, ut ſunt Monaſteria Religioſorum exemptorum, ibidem exiſtentes non eximuntur a legibus ſui territorii. *Dixi ſupra: per modum ſtatuti;* quia ſi alicui vel aliquibus in particulari prohiberet V. G. celebrare Miſſam, hi etiam extra Diœceſin tenerentur abſtinere, & incurrerent cenſuram annexam; quia ſicut ſtatutum & lex adhæret territorio, ſic præceptum perſonis, easque ſequitur, ubicunque exiſtant.

Reſ. 8. Alibi exiſtentes non tenentur legibus communibus Eccleſiæ, ſi ibi, ubi ſunt, non ſint in uſu, aut per conſuetudinem abrogatæ, vel adſit privilegium contrarium; ſic poteſt quis Mediolani exiſtens primis quatuor diebus Quadrageſimæ non jejunare; ſic ſi vadas per Belgium, potes cum illis diebus Sabbatinis intra Nativitatem & Purificationem manducare carnes; Italus poteſt hic manducare ova in quadrageſima, licet hoc in Italia ſit graviter prohibitum; & ſic de multis aliis.

Reſ. 9. Si in civitate ſint duæ Parochiæ, & in Parochia A. ſit dies feſtus, parochianus Parochiæ A. ſe conferens in Parochiam B. non tenetur ibi audire Miſſam, abſtinere ab opere ſevili; quod probabiliter verum eſt, licet ſupponatur feſtum particulare in utraque Parochia; V. G. diſcedis ex Parochia tua, in qua eſt feſtum Patroni S. Fabiani, ad Parochiam S. Sebaſtiani Patroni illius Eccleſiæ. *Ratio hujus eſt:* quia talis

talis non tenetur ratione ſpecialis præcepti in ſua Parochia, cum ſit egreſſus; nec ratione feſti in Parochia aliena, cum ibi non ſit ſubditus; modo ſemper abſit ſcandalum.

(15) *Reſ.* 10. Hoc probabiliter verum eſt, licet ideo præciſe diſcedas, ut te a lege V. G. jejunii eximas; licet enim videaris agere in fraudem legis, fraus tamen tibi non patrocinatur, quod tantum jura improbant; ſed tantum patrocinatur tibi conditio loci, quem accedendi jus habes; lex enim non obligat, ut quis non exeat, ſed ut exiſtens iu territorio eam obſervet: ſicut lex non obligat, ne petatur diſpenſatio, ſed ut obſervetur, quamdiu diſpenſatio non habetur. *Denique nullus cenſetur dolo facere, qui jure ſuo utitur.* (a) Proprie in fraudem legis agit, qui, dum lex moraliter cenſetur adeſſe, ponit impedimentum mere excuſans ab obligatione legis V. G. veſperi ante feſtum vadit ſine urgente cauſa ad locum, ubi prævidet ſe altera die non poſſe audire Miſſam. Item qui impedimentum ponit impletioni, dum pergit lex in actu ſaltem primo obligare. V. G. ſi præciſe ideo, ut te a lege jejunii eximas, laborem non neceſſarium aſſumas; qui autem exit ex Territorio, ibi nequidem in actu primo amplius obligatur, cum ibi non ſit lex.

Excipiuntur hic duo. 1. Si quis ex intentione clandeſtine contrahendi Matrimonium exeat a loco, in quo Tridentinum eſt receptum, ad locum, in quo non eſt receptum, ſtatim reverſurus. 2. Si habeas caſum in tua Diœceſi reſervatum, & præciſe exeas, ut abſolvaris. Sed ex his non licet argumentari ad alia, cum poſitiva ſint, adſitque ratio ſpecialis; non enim in primo haberi poſſet finis Tridentini, nec tranquillitas territorii proprii, ſi liceret egreſſus ille cum animo contrahendi clandeſtine, & mox redeundi: egreſſus

 autem

(a) *R. J.* 55. *ff. de Reg. jur.*

autem in caſibus noſtris non præjudicat tranquillitati territorii proprii. Simile eſt in ſecundo.

Reſ. 11. Si mane ex proprio loco, ubi eſt dies Feſtus, velis diſcedere in alium locum, ubi non eſt feſtum, diſputatur; an prius domi tenearis audire Miſſam, videturque ſic diſtinguendum. Si antequam exeas, nulla fiat Miſſa in loco tuo, non teneris exſpectare, ſed potes exire & non audire; ſi vero antequam exeas, fiat Miſſa tantum una pro iſta die, teneris audire; quia iſta die obligaris in loco iſto ad Miſſam, cumque tantum ſit unica, teneris hanc audire: ſi, antequam exeas, fiat Miſſa V. G. hora 6ta, & poſtea etiam alia V. G. hora 9na, non teneris audire, ſi V. G. hora 8va exeas; quia ſi manſiſſes, potuiſſes exſpectare hanc ultimam; ergo cum ante tempus illius ſis deobligandus, eoquod futurus ſis in loco, in quo non eſt obligatio, non teneris prævenire, licet ſuadendum ſit, ut audias, ſi commode poſſis; ſicut a pari, ſi maneam in loco meo, & prævideam me hora undecima, ubi eſt ultima Miſſa, per diſpenſationem deobligandum, non teneor audire hora V. G. 8va.

Ob. Qui prævidet impedimentum, tenetur prævenire; ſic qui prævidet ſe non poſſe Horas legere poſt prandium, debet orare mane; ergo & hic. ℞. *d. a.* Si lex maneat ſaltem in actu primo obligans. *c.* Si non maneat. *n.* Exiens ad locum, ubi non eſt lex, facit reſpectu ſui non amplius eſſe legem, ſicut petens diſpenſationem. Sic licet hoc veſperi poſſim orare matutinum & laudes pro die craſtina, non tamen teneor, licet prævideam me craſtina die impediendum; quia hodie non eſt lex.

Reſ. 12. Diſceſſurus ex loco, ubi non eſt obligatio jejunii, vel abſtinentiæ, poteſt ibidem veſci carnibus, & mane plene refici; ſi eodem die veniat ad locum ſui domicilii, vel quaſi-domicilii, ubi eſt jejunium,

nium, non poteſt ibi veſci carnibus, ut concedunt omnes, imo probabilius nec ſecundo refici; quia eſt ſubjectus legibus iſtius loci; ſicut die feſto domum reverſus tenetur abſtinere a labore ſervili, licet ante prandium laboraſſet in alio loco, ubi non erat dies feſtus.

QUÆSTIO VI.

(16) *Quænam ſit materia Legis præſertim humanæ?*

N. 1. Materia *legis naturæ* eſt omne illud, quod lumen naturale dictat, eſſe ex ſe neceſſarium, vel contrarium naturæ rationali; materia vero *legis humanæ* poſſunt eſſe non tantum actus humani honeſti quarumcunque virtutum, ſed & actus de ſe indifferentes; quia hi quandoque poſſunt eſſe neceſſarii ad finem a lege intentum V. G. portare arma de ſe indifferens eſt, poteſt tamen eſſe neceſſarium ad conſervandam tranquillitatem reipublicæ non portare, ideoque poteſt prohiberi; econtra poteſt civibus imponi, portent arma, ut ſic aſſueſcant, ſeque exerceant pro bello.

N. 2. Materia legis debet eſſe *honeſta* & *poſſibilis*, *de quo ſupra* (a): legis humanæ non debet eſſe *nimis difficilis*; *de quo infra* (b). Specialis difficultas eſt de *actibus internis*, pro quo

N. 3. Actus internus alius eſt *mere internus*, qui nec per ſe, nec per accidens conjungitur cum actu externo; ut oratio mentalis, ſimplex actus fidei, ſpei ſecundum ſe ſeorſim: alius eſt *per ſe conjunctus cum actu externo*, ſine quo externus non ponitur, vel in eſſe phyſico vel morali; quia vel eſt cauſa per ſe illius, vel conditio neceſſario requiſita, V. G. volitio recitandi horas per ſe conjungitur cum recitatione; ſine illa enim non eſt actus humanus. Dolor internus per ſe con-

(a) *Num.* 1. (b) *Num.* 23.

conjungitur cum confeſſione, quæ ſine illo non eſt talis, qualem requirit Eccleſia. Alius eſt *conjunctus tantum per accidens*, qui neque ad ejus eſſe phyſicum, neque morale ſubſtantiale requiritur, V. G. intentio communicandi in ſatisfactionem pro peccatis; quia communio poteſt debite fieri ſine illa intentione.

(17) *D.* 1. Lex humana tam civilis, quam Eccleſiaſtica poteſt per ſe & directe præcipere, aut prohibere actus internos externis per ſe connexos. *p.* 1. Qui poteſt præcipere unum, poteſt & aliud, ſine quo illud eſſe non poteſt: alias poteſtas eſſet chimærica; ſed lex humana poteſt pæcipere verum contractum, verum juramentum; ergo & actus internos voluntatis, ſine quibus juramentum & contractus non ſubſiſtunt. *p.* 2. Alexander VII. damnavit hanc 14. *Prov. Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit Præcepto Eccleſiæ;* ergo præcipitur Confeſſio valida; ergo dolor, & propoſitum; ergo actus internos, quidem per ſe ac directe; quia non minus ad Confeſſionem validam neceſſarius eſt dolor internus, quam accuſatio externa.

Ob. 1. Finis Legis civilis eſt pax, & conſervatio boni publici; ſed hæc obtineri poteſt per actus tantum externos; ſive enim habeam animum ſolvendi tributum V. G. ſive non, modo ſolvam, concurro ad conſervationem boni publici; ergo. ℟. *d. m.* poteſt in aliquibus, *c.* in omnibus, V. G. juramento, & contractu. *n.*

Ob. 2. Modus rei non cadit ſub præcepto; ergo Eccleſia nequit præcipere communionem V. G. in ſtatu gratiæ faciendam. ℟. *d. a.* modus extrinſecus V. G. ne quis cum vana gloria hoc vel illud faciat. *c.* intrinſecus, & a re, ut fieri præcepta eſt, inſeparabilis. *n.*

(18) *D.* 2. Etiam actus interni per accidens connexi cadunt ſub præcepto præſertim Eccleſiaſtico *p.* tales

tales expediunt bono communi Eccleſiæ; ut ſi Eccleſia ſit in gravi neceſſitate, & præcipiat certas preces ad certam intentionem faciendas; ergo poteſtas hos actus præcipiendi convenit Eccleſiæ. *Deinde* in jure excommunicatur Monachus conferens ſe ad curiam Principum ſæcularium animo accuſandi Prælatum; ſed hic animus eſt tantum per accidens conjunctus; poſſet enim ex alia cauſa ire, ergo.

(19) *D.* 2. Lex humana Eccleſiaſtica abſolute poteſt præcipere, vel prohibere directe actus mere internos lege directiva, & coactiva coactione interna. *Ita valde probabiliter contra plurimos. Prob.* 1. Chriſtus Petro ejusque Succeſſoribus dedit poteſtatem paſcendi oves ſuas; ergo tantam in oves dedit poteſtatem, quanta requiritur, & utilis eſt ad ſpiritualem cuſtodiam, & directionem; atqui ad hanc requiritur poteſtas in actus internos; ergo *p. m. Subſumpta.* Papa tanquam Paſtor debet oves dirigere etiam in bonum particulare earum, & finem ſupernaturalem, qui potiſſimum ſpectatur in cuſtodia ovium; ſed per actus internos V. G. fidei, ſpei, homo maxime ordinatur ad finem ſupernaturalem; ergo. Nec obſtat, quod de internis judicare non poſſit Eccleſia; quia hoc non requiritur ad legem directivam, & coactivam internam; ſufficit enim, quod transgreſſor in conſcientia cognoſcat ſe erraſſe, & talem pœnam V. G. excommunicationem incurriſſe. *Prob.* 2. Innocent. XI. damnavit praxin hujus Prop. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno;* ſed praxis hujus eſt omiſſio actus interni, ergo. *Nec*

Dicas: Eccleſiam praxin illam non prohibere, ſed tantum declarare prohibitam jure naturali & divino.

Contra eſt. Dum legislator aliquid prohibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii, non tantum declarat illud eſſe prohibitum, ſed & prohibet; atqui hoc hic facit; ergo. *Dixi* 1.

Eccle-

Eccleſiaſtica; nam lex civilis, cum non procedat a ſpirituali poteſtate, nec intendat ſaltem per ſe & proxime bonum ſpirituale ſubditi, ſed tantum verſetur circa externam gubernationem, ad quam actus mere interni non conducunt, hos præcipere aut prohibere non poteſt. *Dixi 2. Coactione interna;* quia nulla lex humana poteſt actus mere internos punire externe; quia ad hoc requiritur proceſſus juridicus, qui non poteſt fieri de actibus mere internis: poteſt tamen ſic præcipere aut prohibere actus mixtos; quia de his judicium inſtitui poteſt ex actibus externis: nam ex his prudenter præſumitur internus, V. G. ex homicidio voluntas occidendi, niſi aliqua circumſtantia aliud ſuadeat; & talem præſumptionem exigit bonum commune, ne mali paſſim ſe excuſent prætendendo defectum advertentiæ vel intentionis.

Ob. 1. Innocentius III. (a) ait: *Nobis datum eſt de manifeſtis tantum judicare;* ſic dici ſolet: *Eccleſia non judicat de internis.* Et in *ff.* (b) dicitur: *Cogitationis pœnam nemo patitur;* ergo non datur poteſtas in actus mere internos. ℟. 1. Clemens XI. declarat, obedientiæ circa juramentum quoad ſententias Janſenii minime ſatisfieri obſequioſo ſilentio &c. ergo ille agnovit in ſe hanc poteſtatem. R. 2. *d.* Judicare coactione externa pro foro externo contentioſo. *c.* coactione interno pro foro conſcientiæ tantum. *n.* Ultimum tantum valet de Lege civili.

Ob. 2. Eccleſia non poteſt punire actus mere internos; ergo nec præcipere; quia legislator debet Subditos poſſe cogere metu punitionis ad parendum legi. ℟. 1. *n. c.* quia etiam plerumque non poteſt punire actus occultos exterius factos, quos tamen præcipere poſſe vel prohibere nemo negat. *Deinde* Princeps poteſt aliquid præcipere ſub reatu pœnæ æternæ,

hanc

(a) *C. 34. de Simonia.* (b) *L. 18. de pœnis.*

hanc tamen infligere non poteſt. ℟. 2. *d.* non poteſt punire &c. pœna externa. *c.* interna. *n.* Sufficit, quod de internis vel Deus, qui Eccleſiæ aſſiſtit, judicat, vel Eccleſia per pœnas ipſo facto in conſcientia incurrendas, quantum ad vim directivam. Eccleſia non poteſt ſcire, an confeſſionem peregerim validam, communionem non ſacrilegam, & tamen utramque præcipit qua talem.

Prælati regulares poſſunt vi voti obedientiæ præcipere actus mere internos. V. G. Orationem mentalem, & tamen non poſſunt de his judicare; ergo hoc non requiritur.

Obj. 3. Soli Deo & Angelis proprium eſt agere de mere internis. ℟. D. agere modo inſenſibili C. agere modo ſenſibili, & per actus externos N.

QUÆSTIO VII.

(20) *An, & quomodo Legislator humanus poſſit obligare in conſcientia ſub peccato mortali, & quando cenſeatur ſic obligare?*

D. 1. Legislator etiam civilis poteſt obligare in conſcientia ſub culpa. Habetur ex Script. variis locis V. G. (a) *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, &c. *Deinde* lex naturalis dictat, obediendum eſſe legitimis Superiorum præceptis; & ſine obligatione in conſcientia facile eluderentur leges, cum actus omnes ad notitiam Superiorum devenire non poſſint, ut puniantur; & quamvis Principes ethnici forte nil ſciant de obligatione in conſcientia, virtualiter tamen intendunt ſic obligare: quatenus utuntur legitima poteſtate legislativa a Deo derivata.

D. 2. Poteſt legislator etiam civilis obligare ſub mortali. Habetur ex illo mox citato: *Qui poteſtati reſiſtit,*

(a) *Rom.* 13. *v.* 2.

ſiſtit, &c. *Dein* nec ratio, nec Scriptura prohibet, proportionatam materiæ obligationem imponere.

D. 3. Legislator humanus, niſi aliter exprimat, præſumitur obligare ad materiam gravem ſub mortali, ad levem ſub veniali. Idem eſt de lege naturali & divina. *Ratio eſt:* quia vult & velle debet proportionatam culpam materiæ, quæ, ſi ſit ſimpliciter levis, non eſt capax majoris obligationis. Dixi: *niſi aliter exprimat;* quia poteſt obligare ſub ſola pœna, & probabilius etiam in re gravi ſub obligatione levi; quia obligatio gravis eſt effectus moralis dependens a voluntate legislatoris; unde major non erit, quam ille voluerit.

Ob. 1. Lex naturalis ad materiam gravem non poteſt obligare leviter tantum; ergo nec humana, ℞. *n. c.* Obligatio legis naturalis neceſſario ſequitur exigentiam materiæ ſubjectæ, quæ ex ſe graviter vel leviter repugnat naturæ rationali, adeoque & legi æternæ: obligatio legis humanæ dependet a voluntate libera legislatoris, qui ſicut poteſt obligare & non obligare, ſic & obligare leviter tantum.

Inſt. Legislator non poteſt reſtringere obligationem legis naturalis; ſed ex hypotheſi, quod legem ferat circa materiam gravem, lex naturalis jubens obedire Superioribus, concomitanter obligat in materia gravi; ergo graviter. ℞. *d. M.* obligationem legis naturalis, quæ immediate influit independenter a voluntate præcipientis *c.* quæ dependenter influit. *n.* Lex naturalis non præcipit obedire Superiori, niſi quando, quomodo, & quantum ille vult.

Ob. 2. Condens legem non poteſt impedire, quo minus obliget; ergo condens in materia gravi non poteſt impedire, quo minus obliget graviter. ℞. *n. c.* Obligatio generice eſt proprietas a lege inſeparabilis, ita, ut deſinat eſſe lex, ſi deſinat obligare; obligatio

autem

autem tanta eſt legi accidentalis, adeoque impedibilis. Peccat tamen legislator, ſi in materia gravi ad bonum commune multum conducente tantum obliget leviter; ſed ſicut tunc non ferendo legem ſubditi non obligarentur, ita & ferendo ſub obligatione levi tantum obligantur leviter, licet ipſe forte peccet graviter.

Ob. 3. Quando res notabiliter ſervit, aut graviter nocet bono communi, omiſſio vel commiſſio illius diſſonat graviter a recta ratione; ergo debet graviter obligare. ℞. vel iſta omiſſio aut commiſſio eſt abſolute neceſſaria bono communi, & tunc independenter a lege humana graviter obligor ex lege naturali; vel ſupponitur adhuc libera; & tunc in tantum eſt rationi diſſona, in quantum præcipitur, aut prohibetur.

(21) Q. *Quænam materia ſit gravis, & quando Superior cenſeatur obligare ſub gravi?*

℞. Quæſtio hæc in praxi eſt valde difficilis, pro qua ſint ſequentes Regulæ.

Regula 1ma: Materiam eſſe gravem intelligi poteſt. 1. Si juxta prudentum judicium notabilem habeat repugnatiam vel cum recta ratione, vel charitate erga Deum, proximum, & ſe ipſum. 2. Ex Scriptura, quæ denotat materiam gravem, ſi minetur mortem, damnationem, &c. Si dicat: væ illi, qui hoc facit. 3. Ex communi ſenſu Patrum & Theologorum. 4. Si res ipſa notabiliter conducat ad gravem finem legis, aut ei notabiliter obſit; unde ſi finis legis ſit levis, aut ſi ſit gravis, ſed res præcepta non multum conducat ad illum, materia eſt levis. Hinc.

Reſ. 1. Egreſſus monialis extra clauſuram, & viri in eam ingreſſus eſt materia gravis: quia multum conducit ad avertenda pericula gravia peccandi; ſi tamen fiat ad duos pedes, & ſtatim redeatur, eſt materia levis, quia non multum confert.

Reſ.

Reſ. 2. Die jejunii excedere in collatione veſpertina ultra duas notabiliter uncias eſt materia gravis, infra illas eſt levis; quia hoc parum, illud multum detrahit fini legis, qui eſt maceratio corporis.

Reſ. 3. Non miſcere aliquot guttas aquæ vino conſecrando eſt materia de ſe levis, ſed gravis ratione finis; intendit enim Eccleſia per hoc ſignificare conjunctionem Verbi cum Humanitate, Chriſti cum Eccleſia, & fluxum ſanguinis ac aquæ de Latere Chriſti in Cruce, qui finis eſt gravis, & ſic de multis aliis.

Reg. 2da. Quando legislator legi ſuæ inſerit certas præcipiendi aut prohibendi formulas graviter comminatorias V. G. *ſub indignatione Dei, SS. Petri & Pauli, ſub interminatione Judicii divini, ſub pœna maledictionis, in virtute Sanctæ obedientiæ, &c.* graviter obligat; ſimiliter ſi imponat gravem pœnam transgreſſori V. G. in ſpiritualibus pœnam excommunicationis majoris, ſuſpenſionis: in temporalibus pœnam mortis, mutilationis, perpetui carceris, confiſcationis bonorum, &c. quia pœna gravis ſupponit culpam gravem.

Reg. 3tia. Quando in lege ponuntur verba: *mandamus, jubemus, interdicimus*, ordinarie obligat ſub mortali, ſi materia ſit gravis. *Dico: ordinarie;* quia in variis religionibus raro aliquid ſub mortali præcipitur, aut prohibetur; hinc talia verba de ſe non ſufficiunt.

Reg. 4ta. Quando conſuetudo bene fundata legem aliquam ſub gravi obligatione recipit, cenſetur lex graviter obligare, licet in alia provincia obliget tantum venialiter, aut etiam non obliget; quia conſuetudo poteſt habere vim legis; *de quo infra.* (a)

Reg. 5ta. Quando omnibus bene conſideratis vir doctus, & prudens judicat eſſe obligationem gravem, præſumendum eſt graviter obligare.

(a) *Num.* 59.

(22) *D.* 4. Materia ſimpliciter levis non ſubſtat obligationi gravi; eſt enim incapax hujus obligationis: nec lex naturalis, nec divina graviter obligat; ergo nec humana, licet legislator vellet; quia in ordine ad obligationem gravem lex eſſet irrationabilis, & injuſta. Dixi: *ſimpliciter levis;* hoc eſt: ſecundum ſe & omnes circumſtantias levis; nam materia de ſe levis ex circumſtantiis, & fine a Superiore intento, ad quem notabiliter conducit, fieri poteſt gravis: ſic eſus pomi in Adamo ob circumſtantiam finis erat graviter prohibitus; volebat enim Deus ſibi exhiberi primum homagium, & agnoſci ſupremus Dominus. Sic bibere in popina reſpectu Clericorum, in domibus ſæcularium reſpectu Religioſorum in ſe eſt quid leve: ſi tamen hic & nunc multum conducat ad evitanda ſcandala, poteſt inhiberi ſub peccato mortali. *Nec obſtat*, quod in particulari caſu, vel reſpectu hujus aut illius nullum ſit periculum; quia lex non attendit periculum hujus vel illius, ſed periculum communitatis. (a)

Reſ. Non facile concludat ſubditus, hanc vel illam materiam non eſſe capacem obligationis gravis; quia præſumptio regulariter eſt pro ſuperiore: communiter enim contingit, quod Superiores prudentes, qui maturo conſilio aliquid leve præcipiunt ſub gravi, habeant cauſas ſibi notas. Si tamen res ſit abſolute levis, V. G. frangere ſilentium, comedere nucem, &c. non peccaret graviter; modo non contemnat poteſtatem legislativam, ſed hujus abuſum.

(23) *D.* 5. Lex humana per ſe loquendo non obligat cum periculo vitæ, aut alterius gravis damni in fama, ſanitate, bonis fortunæ, &c. quia Deus non ſic obligat, licet poſſet. *Deinde* lex humana non debet eſſe moraliter impoſſibilis, hoc eſt, maxime difficilis, ſed accommodata fragilitati hominum; alias cederet potius

(a) *ut infra Num.* 43.

potius in ruinam, quam in ædificationem, cum a paucis obſervaretur; nec legislator humanus habet poteſtatem diſponendi de vita, fama, aut bonis ſubditorum, niſi ubi exigit neceſſitas boni communis, aut Religionis. Dixi: *per ſe loquendo;* nam in certis caſibus obligat cum tali periculo, *de quo ſupra*, (a) *ubi de metu;* bonum enim commune fidei aut Religionis prævalet bono privato; & in quavis communitate perfecta eſt poteſtas præcipiendi actus ad ſui conſervationem neceſſarios; *quod additur:* niſi enim res præcepta tunc ſit gravis & neceſſaria, lex eſt injuſta. Dixi: *Lex humana;* nam naturalis, cum ſit de intrinſece malis, de abſolute neceſſariis ad ſalutem, &c. ſæpe obligat ad ſuo modo moraliter impoſſibile.

Reſ. 1. Non peccat; qui graviter infirmus comedit carnes diebus vetitis, præſertim de conſilio Medici, qui ex labore vel itinere multum defatigatus ſumit ſecundam refectionem. Idem eſt de multis aliis; quia præcepta Eccleſiæ non obligant cum tanto rigore.

Reſ. 2. Suſpenſus, irregularis, &c. ſi non habeat, a quo abſolvatur, vel diſpenſetur, non tenetur abſtinere a divinis, ſi non poſſit ſine ſcandalo publico, vel etiam ſine gravi infamia: quia præceptum naturale de non dando ſcandalo prævalet præcepto Eccleſiæ, & hoc non obligat cum tanto rigore.

QUÆSTIO VIII.

(24) *Quomodo, & ex qua intentione impleri debeat Lex?*

R. 1. Ut impleatur lex *affirmativa*, requiritur intentio faciendi opus præceptum, ſine qua non ponitur ſubſtantia rei præceptæ, quæ eſt actus liber; hinc, qui intereſt Miſſæ, legit horas, &c. absque intentione

(a) *Diſ.* 1. *Num.* 12.

tione faciendi opus pium, vel intentione colendi Deum, aut omnino coactus, non ſatisfacit legi, ideoque tenetur repetere. Dixi: *omnino coactus;* ſi enim interſit V. G. Miſſæ ex metu pœnæ alias non interfuturus, ſatisfacit, modo religioſe aſſiſtat; metus enim non tollit voluntarium; licet ob pravam intentionem concomitantem peccet contra aliam legem divinam. *Legi* vero *negativæ* ſatisfit per omiſſionem etiam involuntariam; quia per hoc impletur præceptum negativum, quod omittatur actus prohibitus; ſic enim habetur ſubſtantia rei præceptæ. V. G. ſi ebrius vel dormiens die jejunii abſtineat ab eſu carnium & ſecunda refectione; ponit ſubſtantiam rei præceptæ, & ſatisfacit.

Ob. Fur in ebrietate reſtituens ſatisfacit legi affirmativæ obliganti ad reſtitutionem: ergo. ℞. *n. aſſ.* In quantum eſt affirmativa: non tenetur quidem poſtea iterum reſtituere, ſed hoc eſt ideo; quia materia præcepti, ſive jurium inæqualitas eſt ſublata, dum alter recipit, quod ſuum eſt; ſicut ſi Dominus vi recuperaret rem ſuam a fure, fur non teneretur amplius reſtituere, nec tamen dicitur ſatisfeciſſe legi.

(25) *D.* 2. Lex impleri poteſt ſine charitate, niſi hanc includat in ſubſtantia; ut V. G. præceptum diligendi Deum. *Ratio eſt;* quia tantum præcipitur ſubſtantia actus, V. G. auditio Miſſæ, non modus aut circumſtantia extrinſeca.

(26) *D.* 3. Ut ſatisfiat legi, per ſe non requiritur actus formaliter bonus, ſed ſufficit bonus ex objecto vel ſua ſpecie; quia hoc poſito ponitur totum, quod lex præcipit, ſcilicet ſubſtantia actus præcepti; hinc jejunans ex vana gloria, ex avaritia: aſſiſtens Miſſæ cum debita in & attentione, ſed ſimul ut oculos luxurioſe paſcat; ſatisfacit legi. Dixi: *per ſe;* aliud enim eſt, ſi lex ſpecialiter hoc exprimat, ſicut eſt de Confeſſione annua, Communione Paſchali; quia ibi modus

eſt, neceſſarius ad ſubſtantiam actus præcepti. *ut dicetur infra Num.* 81. & 86.

(27) *D.* 4. Ad implendam legem non requiritur intentio ſatisfaciendi præcepto; lex enim tantum præcipit liberam externi operis executionem, quæ ſine intentione ſatisfaciendi habetur: hinc ignorans V. G. eſſe feſtum, & Miſſam ex devotione audiens ſatisfacit, nec tenetur poſtea elicere intentionem, qua velit ſatisfactum per priorem Miſſam; imo ſciens præceptum & miſſam V. G. audiens cum expreſſa intentione per illam non ſatisfaciendi, ſed poſtea audiendi aliam, adhuc ſatisfecit, nec tenetur novam audire; quia præcepta tantum obligant ad ſubſtantiam actus; proinde hac poſita non eſt in poteſtate operantis, ut non ſatisfiat, & re ipſa exercite obeditur præcepto, licet adſit voluntas inefficax non obediendi. *Excipio* impletionem pœnitentiæ in confeſſione impoſitæ; hæc enim cum debeat eſſe Sacramentalis, probabilius requiritur aliqua relatio ad confeſſionem, & voluntas ſatisfaciendi.

Ob. 1. Nemo poteſt ſatisfacere legi, niſi volens. 2. Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. 3. Qui titulo juſtitiæ debet alteri centum, non ſatisfacit ei donando gratuito centum; ergo nec qui ex devotione audit Miſſam aliunde obligatus. ℞. *ad* 1. *d.* nemo poteſt ſatisfacere, niſi volens, hoc eſt: niſi libere ponat actum præceptum. *c.* hoc eſt: niſi intendat ſatisfacere. *n.* Nec hoc eſt in poteſtate privati, & voluntas contraria eſt inefficax. *Ad* 2. ℞. Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum in illis, quæ ab intentione agentium dependent: non in aliis, quæ non dependent. *Ad* 3. ℞. *n. c.* quia prior obligatio tenet ſe ex parte privati, qui cum non debeat determinate hos centum, poteſt illos liberaliter donare, prorogato priori debito; debitum vero ex lege non pendet a voluntate ſubditi, ſed Superioris præcipientis.

Interim

Interim non negatur, illum, qui libere vovit die Dominica audire Miſſam diſtinctam, teneri ad audiendas duas; probabile tamen eſt eum, qui vovit V. G. audire Miſſam, & ex devotione audit immemor voti, ſatisfacere voto; quia acceptatio voti in eſſe, & conſervari dependet a Deo.

Reſ. Canonicus, qui ſua recitatione horarum in Choro præcepto ſatisfacere noluit, eoquod non eſſet ſatis attentus, nec aliam Chori partem nimium accelerantem ſatis intelligeret, volens privatim repetere, ad id non tenetur, ſi poſuit ſubſtantiam, & attendit, quantum moraliter potuit.

(28) *D.* 5. Non requiritur intentio referens actum ad finem extrinſecum legislatoris, niſi hic illum præcipiat, quod ordinarie non facit. Unde axioma: *finis præcepti non cadit ſub præceptum*: hinc ſi præcipiatur jejunium pro avertenda V. G. peſte, ſi jejunas, ſatisfacis, licet non facias ex fine hoc a Superiore intento; eſt enim jejunium aptum movere Deum ad avertendam peſtem, ut ſubſtat intentioni præcipientis, quod ſufficit.

(29) *Q.* 1. *An eodem actu poſſit ſatisfieri diverſis præceptis?*

℟. Poteſt, ſi ſingula præcepta ſint circa eandem materiam vel actionem; quia ponitur id, quod ſingula præcepta volunt: non poteſt, ſi aliud exprimeretur; quod colligendum eſt ex verbis legis, mente legislatoris, conſuetudine, & circumſtantiis. Regulariter in dubio judicandum eſt præcipi actum diſtinctum; quia ſic communiter fit: ſic qui vovet V. G. audire Miſſam, non ſatisfacit audiendo Miſſam aliunde præceptam: ſic Confeſſarius imponit pro pœnitentia regulariter opus aliunde non præceptum; hinc ſi tibi impoſuerit jejunium V. G. non ſatisfacis jejunando, ubi eſt jejunium Eccleſiæ, & ſic de ſimilibus. Econtra ſi voveris

quotidie audire Miſſam, vel pro pœnitentia ſacramentali imponatur auditio V. G. quotidiana per Menſem, non teneris diſtinctam audire in die dominica, niſi aliter conſtet de mente voventis, vel Confeſſarii: ſic etiam habens plura beneficia ſatisfacit una lectione horarum.

Cæterum in materia juſtitiæ id fieri nequit: V. G. ex contractu & furto debes centum; quia juſtitia commutativa reſpicit æqualitatem rei ad rem, quæ non habetur unica ſolutione: in debitis autem legalibus attenditur mens obligantis.

(30) Q. 2. *An eodem tempore poſſit quis ſatisfacere diſtinctis præceptis?*

℞. Poteſt, ſi actus eodem tempore exerciti ſe non impediant; diverſitas enim temporum ordinarie non cadit ſub præceptum; hinc poteſt quis audire Miſſam præceptam, & ſimul legere horas, perſolvere pœnitentiam &c. quia non impeditur debita attentio, imo ſe invicem juvant. Econtra non poteſt probabilius quis ſub Miſſa facere confeſſionem prolixam; *de quo infra Num.* 69.

(31) Q. 3. *Quo tempore ſint Leges implendæ?*

℞. 1. Si lex, vel præceptum non determinet tempus, impleri debet, quamprimum commode poteſt conſtat ex *Regula* 14. (a) *In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur*, niſi aliud colligatur ex circumſtantiis: alias poſſet quis eludere legem, differendo impletionem usque ad mortem.

℞. 2. Si lex certum tempus, diem, vel horam determinet, ut lex recitandi horas canonicus a duodecima unius noctis ad duodecimam alterius, lex jejunandi ab anno vigeſimo primo completo, non ſuſcipiendi Subdiaconatum ante annum vigeſimum primum completum, &c. hoc tempus debet attendi non præ-

te-

(a) *ff. de Reg. juris.*

ter propter, ſed de momento ad momentum; non mathematice, quia momenta mathematica a nobis non ſunt cognoſcibilia, ſed Eccleſiaſticæ, ita ut nos regulemus juxta Calendaria approbata, & horologia communiter bene directa; ſi alicubi plura ſint horologia communiter bene regulata, poſſum ſequi, quod volo, prout *dicetur de conſcientia probabili. Ratio reſponſionis eſt* conſuetudo Eccleſiæ, optima legum interpres; & aliter non poſſemus dicere, quando præciſe inciperet, vel deſineret obligatio harum legum.

(32) Q. 4. *An Lex vel præceptum ponat actionem præceptam in ea virtute, quam præcipiens intendit, vel ex cujus motivo procedit?* Caſus eſt: pater graviter præcipit filio, ut maneat domi, eo fine, ut ſic conſulat caſtitati ipſius, Q. *An illa manſio domi non tantum ſpectet ad virtutem obedientiæ, ſed etiam caſtitatis? & ſic de ſimilibus.*

℟. 1. Præceptum, ſi præcipiens ita velit, ponit ſuam materiam in ea virtute, ex cujus motivo præcipitur. *Prob.* Actus ſpecificantur a fine etiam extrinſeco, propter quem ponuntur: ſic ſi fureris, ut te inebries, actus eſt in ſpecie furti & ebrietatis; ergo pariter lex ſpecificatur etiam a fine extrinſeco. *Deinde* comedere carnes die Veneris, de ſe non eſt contra virtutem abſtinentiæ, & tamen quia præceptum prohibens iſtam comeſtionem eſt poſitum ex motivo abſtinentiæ, comedere carnes die Veneris eſt contra virtutem abſtinentiæ, *& ſic de aliis.*

℟. 2. Ut lex vel, præceptum obliget ſubditum ex illa virtute, ex cujus motivo ponitur, requiruntur tria. 1. Hoc, quod præcipitur, debet aliquo modo conducere ad finem iſtius virtutis ſaltem perfectius conſequendum. 2. Si aliunde non ſit notum, debet Superior exprimere ſe ex tali motivo præcipere, vel prohibere; nam actio non præſumitur præcipi, vel prohi-

 beri,

beri, niſi ex motivo ſuo intrinſeco. 3. Non ſufficit, quod Superior ducatur illo motivo, idque etiam manifeſtet, ſed debet velle imponere obligationem illius virtutis: ſic Eccleſia præcipit jejunium in vigilia Apoſtolorum, utique ob venerationem, quæ ſpectat ad virtutem religionis; quia tamen Eccleſia hoc nobis non manifeſtat, aut ſaltem obligationem iſtam religionis nobis non imponit, hinc qui iſto die non jejunat, non peccat contra religionem, ſed temperantiam tantum; ſuntque hæc in praxi notanda Confeſſario, ut ſciat, an actus habeat duplicem, vel ſimplicem malitiam.

QUÆSTIO IX.

(33) *An, & quomodo obliget Lex pœnalis?*

N. 1. Lex pœnalis alia eſt *latæ ſententiæ*, alia *ferendæ*; qualis autem ſit, colligitur ex verbis; quando enim in lege ponitur: *ipſo facto, ipſo jure, ex tunc ſit excommunicatus, ſuſpenſus, &c.* eſt *latæ ſententiæ*: ſi his verbis non utatur, vel pœnam tantum minetur, dicendo: *prohibemus ſub pœna ſuſpenſionis, excommunicationis, privetur voce activa*, vel *paſſiva, &c.* Eſt *ſententiæ* tantum *ferendæ*, & hoc in dubio præſumitur; ut habet *R. J.* (a) *in pœnalibus benignior eſt interpretatio facienda.*

N. 2. Pœnæ aliæ ſunt *privativæ*, quæ conſiſtunt in mera privatione alicujus rei, nec ullam requirunt actionem ad ſui executionem; ut excommunicatio, privatio vocis activæ, & paſſivæ, & ſimiles: aliæ ſunt *activæ*, quæ requirunt aliquam actionem ad ſui executionem. V. G. carcer, exilium, ſpoliatio, ſive confiſcatio bonorum, &c.

N. 3. Quamvis lex pœnalis ratione ſui non obliget ſub culpa, poteſt tamen aliunde eſſe obligatio talis, ne

(a) 155. *ff. de Reg. juris.*

ne hoc fiat, quod per legem pœnalem prohibetur. V. G. Princeps per legem pœnalem minatur mortem capienti feram ex vivario ſuo; qui hanc capit, incurrit culpam Theologicam, 1. furti: quia fera incluſa eſt ſub ſtricto dominio includentis. Deinde homicidii ſive occiſionis ſui, temere ſe exponendo periculo mortis; hæ tamen culpæ non ſunt ratione legis pœnalis, ſed ratione legum naturalium, prohibentium furta, & occiſionem ſui; *& ſic de aliis ſimiliter.*

N. 4. Quamvis lex pœnalis immediate tantum obliget ſub pœna, mediate tamen etiam obligat ſub culpa; quia transgreſſor obligatur in conſcientia pœnam ſolvere, ſaltem ſi exigatur; ſi autem lex nequidem mediate obligaret in conſcientia, deſineret eſſe lex: conducit autem bono communi ſubditos adſtringi quandoque ad pœnam tantum, dum per hanc ſolam obtinetur finis legis, ne ſine cauſa multiplicentur peccata.

(34) *D.* 1. Lex mere pœnalis obligat in conſcientia ad pœnam, non autem ad ipſum actum, quem lex per impoſitionem pœnæ intendit; lex vero pœnalis mixta copulative ad actum & pœnam: mixta disjunctive, ad actum vel pœnam. *Ratio alia non eſt*, quam intentio legislatoris, qui quandoque in conſcientia vult obligare ad ſolam pœnam, quandoque ad pœnam & ad actum, quandoque vel ad pœnam vel ad actum.

Ob. Omnis pœna ſupponit culpam, cum ſit punitio culpæ; ergo nequit dari obligatio ad pœnam, niſi actus, ob quem pœna ſtatuta eſt, antea fuerit præceptus vel prohibitus, ℟. *d. a.* ſupponit culpam vel *theologicam*, quæ eſt peccatum ſeu offenſa Dei, vel *politicam*, quæ eſt deviatio a regulis bonæ politiæ. *c.* ſemper Theologicam. *n.*

(35) *Q.* 1. *An Legislator ſemper cenſendus ſit obligare in conſcientia ad actum vel omiſſionem, dum utitur verbis præceptivis aut prohibitivis?*

℞. *aff. Patet ex præced.* niſi aliunde conſtet oppoſitum, vel niſi conſuetudo, & praxis timoratorum, optima legum interpres, contrarium perſuadeat.

(36) *Q.* 2. *An Lex Eccleſiaſtica imponens pœnam excommunicationis obliget ſub gravi?*

℞. 1. Certum eſt obligare graviter, ſi imponat pœnam excommunicationis majoris; quia hæc eſt pœna graviſſima, & requirit contumaciam contra præceptum Eccleſiæ; proinde etiam peccatum mortale. Idem eſt de pœna depoſitionis, degradationis, privationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ.

℞. 2. Si imponat pœnam excommunicationis minoris, & materia de ſe non eſt gravis, non obligat graviter; quia pœna excommunicationis minoris, quamvis privet participatione Sacramentorum, cenſetur levis; quia facile tolli poteſt per quemcunque Confeſſarium. Attamen communicare in divinis cum excommunicato, licet prohibeatur ſub pœna ſolius excommunicationis minoris, eſt peccatum mortale; quia materia præcepta de ſe eſt gravis. Similiter pœna ſuſpenſionis, interdicti, & irregularitatis ex delicto indicat culpam gravem, ſicut & pœna privationis officii, vocis activæ & paſſivæ; eſt enim pœna gravis.

(37) *D.* 2. Lex ſtatuens pœnam ſive temporalem, ſive ſpiritualem, ſive activam, ſive privativam, ſi ſit ferendæ ſententiæ, non obligat ad illam ſubeundam ante ſententiam condemnatoriam; hæc enim eſt voluntas legislatoris ſua lege imponentis pœnam ferendæ ſententiæ.

D. 3. Lex ſtatuens pœnam latæ ſententiæ, ſi ea ſit ſpiritualis, vel privativa privans transgreſſorem jure acquirendo, vel imponens pœnam conditionalem, per ſe obligat ante ſententiam judicis etiam declaratoriam ſive criminis, ſive pœnæ. *Ratio eſt:* quia ex una parte lex dicit, reum ipſo facto incurrere pœnas ſpiritua-

les

les ſcilicet cenſuras, & irregularitates, ut ſupponitur: ex altera parte tales pœnæ vel ſunt medicinales ad ſpiritualem ſubditorum profectum ordinatæ, vel ſaltem facto aut executione externa non indigent, nec excedunt ſuavitatem & æquitatem hominum; unde cenſendum eſt, quod legislator velit uti ſua poteſtate ad illas infligendas, non exſpectata judicis ſententia. *Quoad pœnas conditionales. Ratio eſt;* quia cum Eccleſia, & respublica ſit domina ſuorum bonorum, poteſt juſte habilitatem ad illa certis conditionibus alligare. Sic promotus ad beneficium parochiale debet illud dimittere nulla monitione præmiſſa, ſi intra annum ſua culpa non fuerit ordinatus presbyter: ſic qui ſecundum beneficium cum primo incompatibile obtinuit, eodem ſpoliatur ipſo jure, &c.

Ob. Juri naturæ repugnat, ut quis damnetur, antequam audiatur; ergo & ut obligetur ad pœnam ante omnem judicis ſententiam. *Deinde* nemo debet eſſe judex in propria cauſa. ℟. *d. a.* ſi damnetur per ſententiam judicis. *c.* Si per legem. *n.* In primo debet omni meliori modo cauſa delicti diſcuti; ergo & delinquens examinari; in ſecundo relinquitur judicio & conſcientiæ delinquentis judicare de ſuo delicto, an pœnam a lege taxatam meruerit, nec ne; & hoc modo non eſt incongruum, ut ſit judex in propria cauſa, & ſimul executor.

(38) *D.* 4. Nulla lex pœnalis obligat in foro conſcientiæ ad ſubeundam pœnam activam ſaltem graviorem ante ſententiam judicis. *Prob.* Lex debet eſſe accommodata hominum conditioni, & fragilitati, ut etiam, qui non ſunt ita perfecte virtuoſi, poſſint eam implere: ſed talis lex non eſſet accommodata &c. ergo. *p. m.* vix unus ex millibus erit, qui eam obſervabit; quis enim ante ſententiam judicis ibit ad triremes, fuſtigationem, vel incarcerationem petet? *Dixi: ſaltem graviorem;* quia

quia in aliquibus religionibus præcipitur recitatio alicujus orationis levis, aliqua mortificatio illis, qui legem aliquam vel conſtitutionem violant, absque eo, quod opus ſit aliqua ſententia Superioris.

(39) *D.* 5. Pœnæ temporales conſiſtentes in privatione juris jam acquiſiti, vel quod acquiri cœptum eſt, non obligant ante ſententiam judicis ſaltem declaratoriam criminis, quamvis verba legis ſignificent pœnam latæ ſententiæ. Excipiuntur tamen cenſuræ, irregularitates & privatio juris petendi debitum conjugale ob inceſtum intra 2dum gradum cum conſanguinea uxoris. Ita magis communiter & probabiliter. *Ratio eſt*, quia lex non debet eſſe nimis rigida, ſed humano modo obſervabilis; ab hominum autem natura & moribus alienum eſt, ut quis ſe ipſum ſpoliare debeat juribus poſſeſſis, aut acquiri cœptis. *Nec obeſt*; quod in lege addatur clauſula: *Ipſo jure*, vel etiam; *nulla alia declaratione exſpectata;* quia hæ clauſulæ ſignificant non requiri novam ſententiam condemnatoriam, qua dictetur pœna, & ad eam implendam obligatio; adhuc tamen requiritur ſententia declaratoria criminis commiſſi, qua judex declaret aliquem in crimen incidiſſe, propter quod ipſo facto pœna eſt contracta; & præterea talis clauſula operatur, ut poſtea ſecuta declaratione criminis retrotrahantur pœnæ usque ad punctum commiſſi criminis.

Reſ. Privatio officiorum, privatio vocis activæ & paſſivæ, inhabilitas ad officia non obligant ante declarationem criminis, ne electiones omnes reddantur incertæ, & quia id fert conſuetudo.

D. 6. Poſt latam a judice ſententiam tenetur reus pœnam ſubire; quia juſtæ ſententiæ eſt parendum; imo quandoque poteſt obligari, ut eam per ſe exequatur, non autem ſemper. *Ratio 1mi eſt*: quia ſententia ad hoc obligans quandoque nil continet crudelitatis, vel injuſtitiæ;

ſtitiæ; ideo reus condemnatus tenetur patibulum aſcendere, collum præbere, linguam amputandam extendere &c. *Ratio 2di eſt:* quia non tenetur reus in ſe exequi, quod gravem horrorem, & repugnantiam excitat, V. G. ut ſeipſum laqueo ſuſpendat, manum ſibi abſcindat, &c. imo nec ut venenum ſumat. *An, & quomodo ab incurrenda pœna excuſet ignorantia, patebit per decurſum in propria materia.*

QUÆSTIO X.

(40) *Ad quid obliget lex irritans?*

N. 1. Lex *irritans* eſt, quæ ſtatuit actum aliquem eſſe invalidum, vel invalidandum: eſt autem hæc poteſtas neceſſaria ad efficacem gubernationem; cum ſine ea fraudes, pericula, aliaque gravia incommoda ſæpe impediri nequeant. Dupliciter autem poteſt lex actum irritare. 1. Ut decernat irritandum per ſententiam Judicis. V. G. dicit: reſcindatur, infirmetur, &c. 2. Ut lex per ſe ipſam actum irritet, quod fit vel *directe.* declarando actum eſſe nullum, aut præſcribendo actui formam, qua non ſervata ſit nullus, ut fit, dum præſcribit certum numerum teſtium ad valorem teſtamenti, aſſiſtentiam Parochi & duorum teſtium ad valorem matrimonii: vel *indirecte* inhabilitando perſonas ad contrahendum; ſic irritantur matrimonia inter perſonas affines & conſanguineas.

N. 2. Actus a lege aliquando tantum *civiliter*, aliquando ſimul *naturaliter* irritatur. *Civiliter* irritatur actus, quando tollitur omnis obligatio & actio, quæ ex illo oriri poteſt in foro externo quamvis in foro conſcientiæ maneat validus, & obligatio naturalis. *Naturaliter* etiam irritatur actus, quando ipſius valor ita per legem deſtruitur, ut neque in foro conſcientiæ aliquam obligationem & effectum habeat.

N. 3.

N. 3. Inter Leges irritantes alia eſt *pœnalis*, quando irritario fit in odium transgreſſoris, tales ſunt leges irritantes collationem beneficii ob commiſſam ſimoniam, matrimonium ob commiſſum conjugicidium, &c. Alia eſt *pure irritans*, quando irritatio non fit in pœnam transgreſſoris, ſed potius in favorem boni communis: tales ſunt leges irritantes teſtamenta ſine certa ſolemnitate, emiſſionem profeſſionis religioſæ ante decimum ſextum ætatis annum, &c.

(41) *D.* 1, Si lex irritans ſimul actum prohibeat expreſſe vel tacite, obligat in conſcientia ad omiſſionem actus. *Prob.* Omnis lex prohibens actum in conſcientia obligat; ergo etiam lex irritans actum, ſi illum ſimul prohibeat. *Dixi*: *expreſſe vel tacite*. *Expreſſe* prohibet, quando prohibitionem exprimit verbis; *tacite* prohibet, quando actus, quem irritat, eſt ex objecto ſuo talis, ut ſuppoſita irritatione ſecum trahat aliquam turpitudinem: ſic lex irritans matrimonium tacite prohibet illud contrahi; quia turpe eſt matrimonium contrahi invalide. Lex præſcribens formam electioni tacite prohibet illam ſine hac forma; quia turpe eſt aliquem eligere invalide, repugnatque juſtitiæ. Sic etiam Novitius occulte ſciens ſe non compleviſſe annum ætatis decimum ſextum, peccat graviter, ſi cum aliis profeſſionem emittat; quia turpe eſt aliquem ſolemniter invalide profiteri.

D. 2. Si lex irritans actum, illum ſimul non prohibeat, non obligat ad omiſſionem actus, obligat tamen ad non percipiendos fructus, vel effectus alias ex tali actu, ſi valide poneretur, reſultare natos. *Ratio 1mi eſt:* quia obligatio legis commenſuratur voluntati, & intentioni legislatoris, hinc ſi aliquem actum irritet, & ſimul nequidem tacite prohibeat, nulla erit obligatio ad omiſſionem; ſic V. G. qui condit teſtamentum ſine præſcripta ſolemnitate ſubſtantiali, actum facit

cit invalidum; attamen non peccat in conſcientia. *Ratio 2di eſt:* quia lex irritans actum privat illum virtute producendi effectus, quos produceret validus: ſicque percipiens fructus percipit ſine titulo; unde teſtamentum defectu ſolemnitatum invalidum non tribuit poteſtatem res illas retinendi in foro conſcientiæ. Plura de his (a)

Reſ. Sicut non omnis lex actum irritans illum prohibet, ſic nec lex omnis actum prohibens illum irritat; ſunt enim diſtincti effectus: ideoque ſi legislator mentem ſuam non exprimat, cenſetur tantum prohibere; ſic multa fiunt illicite, quæ tamen facta tenent V. G. matrimonium poſt votum continentiæ.

Ob. In R. J. 44. in 6. dicitur. *Quæ contra jus fiunt, utique debent pro infectis haberi;* atqui quæ ſunt prohibita, fiunt contra jus; ergo hoc ipſo nulla ſunt. ℞. ibi *contra jus* idem eſt ac contra formam ſubſtantialem juris; hinc *n. m.* Pro quo.

(42) *Obſ.* 1. Si lex dicat hoc vel illud eſſe ſervandum pro forma, præſumitur pro forma ſubſtantiali, adeoque ea non ſervata actus non ſubſiſtit. 2. Quando lex dat facultatem faciendi aliquem actum, & ſimul præſcribit modum, qui debeat obſervari, talis modus cenſetur forma ſubſtantialis; quia cenſetur dare poteſtatem limitatam & ſub conditione: ſi talis modus ſervetur; niſi tamen de jure modus ſit accidentalis, ut V. G. proclamationes ante matrimonium. 3. Forma ſubſtantialis præſcribitur, quando adduntur clauſulæ irritantes, V. G. *aliter facta non valeant.* 4. Si alicui aliunde habenti poteſtatem præſcribitur modus, vel forma aliqua ſervanda, non cenſetur ſubſtantialis, niſi expreſſe declaretur. Ex his

Reſ. 1. Si alicui detur poteſtas condendi leges, ſed petito conſilio V. G. Superiori regularium; ſi ille non petito

(a) *Vid. Part. III. p.* 155.

petito conſilio hoc faciat, nulliter facit. Econtra ſi-quis non adhibeat ſolemnitates in adminiſtratione Sacramentorum præſcriptas, valide operatur; quia ſupponitur poteſtas a Chriſto data.

Reſ. 2. Si Superior habenti poteſtatem audiendi confeſſiones prohibeat, ne audiat confeſſiones fæminarum, illicite quidem; ſed valide illas abſolvit; quia poteſtas præſupponitur. (a)

Reſ. 3. Econtra, ſi, quando datur jurisdictio vel approbatio, detur tantum ad audiendas confeſſiones maſculorum, invalide fæminas abſolvit.

Reſ. 4. Quando delegatur poteſtas, & præſcribitur forma procedendi in delegatione, talis forma eſt ſubſtantialis; niſi cenſeatur tantum monere delegatum de obligatione, quam habet ex jure communi; unde

Reſ. Caſum ſequentem: Sacerdos accipit in Jubilæo poteſtatem abſolvendi a gravioribus caſibus, vel cenſuris, ſed nonniſi præmiſſa ſatisfactione partis læſæ, & impoſita pœnitentia ſalutari, ipſe per ignorantiam vel etiam malitioſe non exigit ſatisfactionem partis læſæ, neque ſpecialem pœnitentiam imponit, adhuc valide ab illis abſolvit; quia hæc ſunt de jure communi. Similiter ſi Petrus velut delegatus accipit poteſtatem a Paulo contrahendi nomine Pauli matrimonium cum Berta, ſed nonniſi præmiſſis denuntiationibus, ſi has malitioſe omittat, adhuc valide contrahit.

Reſ. 5. Actus factus ſine ſubſtantiali ſolemnitate a jure præſcripta, vel contra legem irritantem eſt invalidus, licet urgentiſſima adſit cauſa, V. G. matrimonium clandeſtinum eſt invalidum poſita quacunque neceſſitate. Idem eſt, ſi ignoretur, hanc eſſe formam ſubſtantialem actus, vel ignoretur lex irritans: ſic alienatio bonorum Eccleſiæ eſt invalida, non ſervata ob ignorantiam debita forma; hinc licet ignorantia impediat

(a) *Vid. P. IV. Tract. de Pœnit.*

diat culpam, non tamen impedit nullitatem actus; quia ignorantia non ſupplet defectum alicujus ſubſtantialis requiſiti; niſi actus irritetur præciſe in odium & pœnam delicti. *Denique* ſi irritetur actus in favorem alicujus, non habet lex effectum, quando irritatio cedit in damnum illius; ſic alienatio facta a minorenni ſine conſenſu curatoris valida eſt, ſi cedat in favorem minorennis, alias invalida.

(43) *Q. Quid de Lege fundata in præſumptione?*

N. 1. *Præſumptio* hic eſt prudens in re dubia judicium ex indiciis vel per ſe, vel per circumſtantias cum rei veritate frequenter connexis. Alia eſt *hominis*, quæ a viro prudente, vel a Judice formatur pro vel contra aliquem, ſed non reperitur in jure expreſſa. V. G. Titius fuit inimicus Caji, & hic reperitur noctu præſente Titio occiſus, præſumitur Titius illum occidiſſe. Alia eſt *juris*, quæ reperitur expreſſa in lege; ſic jura præſumunt, quemlibet eſſe bonum, donec probetur malus: ſemel malum, ſemper eſſe malum in eodem genere

N. 2. Præſumptio alia eſt *periculi univerſalis*, & eſt judicium moraliter certum, quod in tali vel tali actu ordinarie ſeu ut plurimum adſit periculum damni, fraudis, ſcandali, &c. ideoque per illam non præſumitur aliquod damnum vel fraus, ſed horum periculum. Alia eſt præſumptio *facti particularis*, & eſt judicium in certis circumſtantiis fundatum, quo judicatur actum vel factum ſic ſe habere, aut non habere.

℟. Lex fundata in præſumptione periculi univerſalis obligat, licet in caſu particulari nullum ſit periculum, ideoque videatur fallere: lex fundata in præſumptione particularis facti V. G. fraudis, negligentiæ, &c. non obligat in conſcientia, quando præſumptio fallit. *Ratio & diſp. eſt.* Quia in 1. non tollitur illud periculum commune, quod eſt motivum

principale legis: licet per accidens in particulari non ſubſit periculum, exigitque bonum commune homines ſtabiliter obligari, ac multi facile ſibi falſo perſuaderent reſpectu ſui non eſſe periculnm; In 2. deficit motivum adæquatum talis legis vel præcepti.

Reſ. 1. Lex irritans matrimonium clandeſtinum fundata in præſumptione fraudis, quæ in tali matrimonio intercedere poſſet, tenet, licet in caſu particulari nulla interveniat fraus: lex irritans profeſſionem religioſam ante completum annum decimum ſextum, quæ innititur præſumptioni defectus judicii, tenet, licet in caſu particulari adſit ſufficiens prudentia; *& ſic de aliis* V. G. de lege requirente ſeptem teſtes ad teſtamentum, proclamationes ante matrimonium, etſi conſtet nullum adeſſe impedimentum.

Reſ. 2. Qui ſcit ſe invalide contraxiſſe matrimonium ob impedimentum V. G. affinitatis, & per ſententiam judicis fundatam in præſumptione valoris cogitur ad cohabitandum & utendum matrimonio, debet potius quælibet ſuſtinere, quam obedire, & ſic committere actum intrinſece malum.

Reſ. 3. Qui per judicis ſententiam cogitur ſolvere pecuniam alteri, qui per falſos teſtes probavit ipſum eſſe debitorem, non tenetur in conſcientia ſolvere, niſi ad tollendum ſcandalum, & ſi cogatur, poteſt uti occulta compenſatione; quia ſententia illa nititur præſumptione falſa debiti particularis. *Similiter*

Reſ. 4. Religioſus, qui ſuam in religione profeſſionem prætendit eſſe nullam ob vim V. G. ſibi illatam, ſi intra quinquennium non contradixerit, ex poſt non auditur; attamen ſi conſenſus revera fuerit nullus nec ex poſt nullitatis conſcius ratificaverit, equidem tacite poteſt diſcedere, modo poſſit ſine gravi ſcandalo; quia lex Tridentini fundatur in præſumptione ratificationis factæ, nec conſenſum requiſitum ſupplere

poteſt.

poteſt. Et licet hæ leges ob defectum præſumptæ veritatis quandoque ſint materialiter injuſtæ, ſunt tamen juſtæ formaliter; ſpectant enim bonum commune, cui ut conſulatur, dum aliæ probationes deſunt, ſuccurrunt leges fundatæ in præſumptione: quæ eſt aliqua probationis ſpecies.

QUÆSTIO XI.

(44) *An dari poſſit ignorantia legis naturalis, & conſequenter an hæc excuſet a peccato?*

N. 1. Dari ignorantiam invincibilem juris poſitivi, eamque excuſare a peccato, concedunt omnes.

N. 2. In jure naturali tria poſſunt diſtingui genera præceptorum; quædam ſunt prima & univerſaliſſima morum principia, V. G. *bonum eſt faciendum, malum fugiendum; quod tibi non vis fieri &c.* Ad hæc reduci poſſunt quædam ex præceptis decalogi, quæ ex illis nullo negotio a quovis ratione utente facile deducuntur; uti quod Deus ſit colendus, parentes honorandi. Alia ſunt, quæ licet immediate ex iis principiis inferantur, non tamen ita facile & evidenter, ſicut priora; ut ſunt alia decalogi præcepta: non furari, non mentiri. Alia denique ſunt jure naturali præcepta, quæ nonniſi difficili diſcurſu ex iis deducuntur.

D. Non poteſt ſaltem diu dari ignorantia invincibilis circa prima principia juris naturæ in homine rationis compote; hæc enim ex ipſa terminorum appreheſione ſunt nota; ideoque paſſim dicitur lex naturalis ſcripta eſſe in cordibus noſtris. Idem eſt de iis, quæ clare & immediate ex primis principiis deducuntur. Tertii generis præcepta autem etiam a viris doctiſſimis invincibiliter ignorari poſſunt. *Ita com-*

muniſſime contra aliquos Rigoriſtas. *Ratio noſtra eſt:* quia ſimilia etiam inter integras ſcholas controvertuntur, & quibus diligentiſſime diſcuſſis poſt fuſas a Viris ſanctis ad Deum preces neſcitur, pro qua parte ſtet veritas; ſi autem hæc non ſit ignorantia invincibilis, fateor, quid ſit ignorare invincibiliter, me capere non poſſe: quid ergo de rudibus, qui nec ſtuduerunt, nec inſtructi ſunt? Quod autem ignorantia hæc etiam a peccato excuſet, patet ex Prop. (a) damnata, quæ ſic ſonat: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem re ipſa non excuſat a peccato formali.* Porro *Ratio hujus eſt:* quia malitia non contrahitur niſi fuerit cognita: ſine cognitione enim illius homo non eſt liber ad illam fugiendam.

Ob. 1. Facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam, eſt axioma receptum Theologorum; ergo inquirenti veritatem & petenti a Deo illuminationem manifeſtabitur; ergo qui ignorat, vel veritatem non quæſivit, vel Deum, ut debuit, non oravit; ergo ignorantia ejus eſt vincibilis. ℟. 1. SS. Patres multum orarunt, & tamen hanc notitiam non impetrarunt; ſunt enim ſibi invicem contrarii. ℟. 2. *d. a.* in his, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem *c.* in aliis. *n.*

Inſt. 1. Quilibet homo tenetur ſervare omnia præcepta naturalia ad ſe pertinentia; ergo omnium eorum debet ſaltem poſſe habere notitiam; *ſubſumo.* Sed ſi hanc poſſit habere, ignorantia non eſt invincibilis; ergo. ℟. 1. Ergo Jacob peccavit accedendo ad Liam; quod nemo dicit. ℟. 2. *d.* tenetur ſervare, & quandoque permittitur illa materialiter transgredi. *c.* & hoc non permittitur. *n.* Ergo debet poſſe habere notitiam, dum Deus non permittit eorum transgreſſionem materialem, *c.* Dum hanc permittit. *n.* Relinquit Deus in

(a) 2. *ab Alexand. VIII.*

in nobis rebellionem concupiſcentiæ, poterit & relinquere aliquorum ignorantiam ad majorem noſtram humilitatem, & ut ad Deum per orationem recurramus? Quæ autem nobis non ſunt ſufficienter propoſita, ſervare non tenemur.

Inſt. 2. Quæ ſunt contra jus naturæ, ſunt intrinſece mala; ergo datur præceptum Dei prohibens; ergo hoc præceptum eſt obſervatu poſſibile; ergo homo debet poſſe habere notitiam. ℟. *ut ante*: debet habere notitiam ſemper. *n.* toties, quoties transgreſſio imputatur ad culpam. *c.*

Ob. 2. *Cum Janſenio.* Ignorantia juris naturalis oritur ex culpa primi parentis; ergo nobis eſt voluntaria, adeoque culpabilis in primo parente. ℟. 1. Ergo & ignorantia juris poſitivi, motus concupiſcentiæ, aliæ pœnalitates, quæ ex culpa Adami profluunt, ſunt nobis voluntariæ & culpabiles; quod nemo dicet. ℟. 2. *n. c.* Ad culpam naturæ ſufficit voluntas in natura; ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ.

(45) *Reſ.* 1. Caſum maxime obvium: Titius dicit ſe in ſua juventute ſat longo tempore ſe ipſum tetigiſſe, pollutiones procuraſſe, &c. Nunquam tamen deſuper confeſſum, quia putavit non eſſe peccatum; quid judicabit Confeſſarius? *Idem eſt de actibus internis, deſideriis malis, quæ non habuit pro peccato.* In ſimilibus attendere debet ad circumſtantias & conditiones pœnitentis, ſicque indagare: an ignorantia fuerit vin- vel invincibilis; igitur ſi Titius ſit ingenii perſpicacioris, honeſtioris educationis, ut regulariter ſunt civitatenſes, videtur non laboraſſe errore inculpabili, aut ſaltem non ad longum tempus; quia naturale lumen dictat in his latere aliquam inhoneſtatem aut malitiam, & homo ingenii melioris citius incipit dubitare; cumque talibus non deſit copia Confeſſarii interrogandi, videtur ſaltem ad longum tem-

pus non dari ignorantiam invincibilem. Si vero Titius ſit homo rudis, ruri inter pecora educatus, poteſt ignorantia fuiſſe invincibilis; quia de illis, quæ non ſtatim innoteſcunt ex primis morum principiis, poteſt ſaltem in pluribus dari invincibilis ignorantia: hinc ulterius interroget: an nunquam inciderit, ſe forte peccare ſimilia committendo, vel eſſe periculum peccati? Si dicat: quod *non*, credat ignorantiam fuiſſe invincibilem; prima enim cogitatio de aliqua re non eſt in noſtra poteſtate. Si reſpondeat: *ita;* roget: an nunquam inciderit, quod deſuper deberet conſulere Confeſſarium vel alium prudentem? Si reſpondeat, ſibi hoc incidiſſe ſed ex verecundia V. G. non interrogaſſe, ignorantia eſt culpabilis; ſi dicat, nihil ſibi incidiſſe de obligatione inquirendi, credendum eſt fuiſſe inculpabilem. Ut enim error vel ignorantia ſit culpabilis, debet ignorans & dubitaſſe de veritate vel malitia, & apprehendiſſe obligationem inquirendi; nec tenetur inquirere, cui nulla omnino incidit cogitatio de inquiſitione facienda. (a) Sed in praxi hoc vix eſt poſſibile; ſi enim incidat ſe forte peccare, etiam incidet ſe debere inquirere vel omittere. Accedit, quod hæc turpia facientes non tantum ſimilia non facerent coram aliis honeſtis hominibus, ſed & interrogati quid fecerint, erubeſcerent fateri ſe hæc feciſſe; proinde apprehenderunt in his aliquam malitiam. Confeſſiones proin interea factæ ideo fere ſemper ſunt repetendæ; quia notitia malitiæ, quam obſcuram habuerunt in ipſa hominis honeſti natura horrorem excitat, cum ſimilia ſint mala ab intrinſeco talia.

Reſ. 2. Non quælibet cogitatio de inhoneſtate inducit obligationem inquirendi, & ignorantiam tollendi; ut ſi quis ex ſcrupuloſitate, & ſine fundamento timeret, non teneretur inquirere; debet ergo eſſe cogitati-

(a) *Vid. Tr. de Act. hum. diſſ.* 1. *n.* 13.

tatio prudens & cognitio ſaltem confuſa de obligatione inquirendi.

Reſ. 3. Si præcepta negativa: non occidere, non furari, non mentiri, veſtiantur aliqua circumſtantia apparenter bona, ut furari a malis divitibus ad dandam eleemoſynam bonis pauperibus: mentiri ad propriam vel alienam vitam tuendam: occidere hominem morti proximum, ne diutius in tormentis agonizet &c. Jam circa ea poſſet eſſe ignorantia inculpabilis; verum in praxi judicanda pro culpabili.

QUÆSTIO XII.

(46) *An, & quomodo ab obligatione Legis excuſet impotentia?*

N. Impotentia alia eſt *phyſica*, dum quis nullo modo poteſt legem implere, V. G. detentus in carcere audire Miſſam: alia eſt *moralis*, dum hoc non poteſt absque gravi incommodo, ſeu damno temporali, vel ſpirituali proprio, vel alieno. Utramque ab impletione legis humanæ per ſe loquendo excuſare, habetur ex præcedentibus. Interim quale & quantum debeat eſſe damnum, generaliter decidi non poteſt; quia in aliquibus requiritur gravior cauſa, quam in aliis, *ut patebit per decurſum.* Impotentia autem hæc excuſat, licet per peccatum V. G. ebrietatem dederis cauſam impotentiæ, modo de hoc doleas. Dubitatur hic præcipue, an qui non poteſt implere totam legem, teneatur ad partem?

D. Si lex vel præceptum ſit tale, ut commode poſſit, ac ſoleat dividi, & in ejus parte ſalvetur finis præcepti, qui non poteſt ſervare totum, tenetur ad partem notabilem, quam poteſt. Si vero ratio præcepti non ſalvetur in parte, aut commode non poſſit nec ſoleat dividi, qui non poteſt implere totum aut

tantum, quo moraliter cenſeatur implere præceptum, non tenetur ad partem. Quæ omnia æſtimanda ſunt ex intentione legislatoris, fine, & materia legis, ex judicio prudentum, & communi uſu.

Reſ. 1. Qui non poteſt legere omnes horas, debet eas, quas poteſt V. G. quot ſcit memoriter, quia dividuæ ſunt. Hinc Innocentius XII. damnavit hanc propoſitionem 54. *Qui non poteſt recitare matutinum & laudes, poteſt autem reliquas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem; & Ratio eſt.* Quia præceptum de materia diviſibili obligat ad ſingulas partes, ſi ſingulæ conducant ad finem præcepti; ſic qui non poteſt totum debitum ſolvere, tenetur ad partem, quam poteſt. Interim

Ob. Hæc ut vera ſint, debet pars præcepti, quam ſervare potes, tibi eſſe certa; ſi enim certus ſis, te non poſſe jejunare per majorem partem Quadrageſimæ, dubites autem, quot diebus poſſis: ſi certus ſis te non poſſe recitare majorem partem officii canonici, & dubites, quantum recitare poſſis &c. ad nihil teneris, quia ſic ampla aperiretur via ſcrupulis & anxietatibus; hinc præſumitur, quod legislator non velit tunc obligare ad partem.

Ob. Major pars trahit ad ſe minorem, & acceſſorium ſequitur principale. ℞. In electione major pars ſuffragiorum trahit ad ſe minorem; non hic. Secundum etiam non tenet in omnibus, præſertim quando principale & acceſſorium ſeparari poſſunt: ſic ſi promiſiſti ovem & agnum, ſi ovem dare non poſſis, adhuc teneris ad agnum.

Reſ. 2. Qui ob laborem V. G. non poteſt jejunare, tenetur abſtinere a carnibus; diſpenſatus in eſu carnium, tenetur abſtinere a ſecunda refectione, ſi poteſt; quia hæ duæ partes conſtitutivæ jejunii ſunt dividuæ.

viduæ. Qui in Quadrageſima non poteſt jejunare omnibus diebus, tenetur iis, quibus poteſt.

Reſ. 3. Qui poteſt notabilem partem Miſſæ V. G. usque ad conſecrationem, vel ab hac ad ſumptionem audire, ad hoc tenetur; quia præceptum ſaltem quoad accidentalia eſt dividuum.

Reſ. 4. Qui non poteſt ſolus orare horas, tenetur cum alio, ſi ſine magno incommodo poteſt.

Reſ. 5. Si carens Breviario pauca ſciat memoriter, non tenetur ea dicere. *Generaliter*: ſi poſſis recitare, quantum ſufficit ad materiam peccati mortalis, ad hoc teneris; alias non; quia tunc non cenſetur pars notabilis in ordine ad finem a lege intentum, & in moralibus parum pro nihilo reputatur.

Reſ. 6. Qui obligatur viſitare V. G. limina Apoſtolorum Romæ, & novit ſe eo pervenire non poſſe, non tenetur iter incipere; quia nec finis, nec ratio præcepti ſalvatur.

(47) *Q. An & qualiter peccet, qui facit ſe impotentem ad implendam legem? Pro deciſione hujus difficultatis valde intricatæ in praxi*

℟. 1. Qui ad legem obligatur, hoc ipſo obligatur ad procuranda media ordinaria, & ex natura rei proxime neceſſaria ad obſervationem legis; alias fruſtra eſſet obligatio: hinc ſi non poſſis jejunare, niſi mane modicum ſumas, teneris ſumere & jejunare; quia adhuc potes implere jejunium quoad ſubſtantiam.

℟. 2. Licitum eſt data opera aliquid facere, ut quis totaliter deſinat eſſe legi ſubjectus; quia nemo tenetur perſeverare in eo ſtatu, in quo obligatur lege; alias non liceret petere diſpenſationem.

℟. 3. Pleræque leges humanæ non obligant, ut aliquot diebus ante non ponatur impedimentum. *Ratio eſt* communis uſus & interpretatio, de quibus conſtat legislatoribus; hinc non peccat, qui die Sabba-

ti mane iter vel etiam venationem aggreditur, prævidens ſe altera die non poſſe audire Miſſam: non peccat contra religionem vel jejunium, qui per nimium potum prævidet ſe poſt aliquot dies non poſſe jejunare, Miſſam audire, horas legere &c. *Dixi* 1. *Qui prævidet;* ſi enim ideo ponat impedimentum, ut excuſetur a lege, ſine dubio peccat; quia fraudulenter agit contra legem in actu primo obligantem. *Dixi* 2. *aliquot diebus ante;* quia ſi ipſa die, qua præceptum urget, vel immediate ante ponatur impedimentum, V. G. una vel altera hora ante mediam noctem, vel etiam veſperi ſine juſta cauſa exis, ac Miſſam negligis, ſine dubio peccas; ſic enim habet communis perſuaſio & uſus, qui eſt optimus legum interpres, & jam cenſetur moraliter adeſſe feſtum.

℞. 4. Præcepta naturalia & divina obligant, ut aliquot diebus antecedenter non ponatur impedimentum; hinc peccant contra juſtitiam Parochi, officiales, famuli, ſi V. G. per nimium potum prævideant, ſe incapaces fore ad obeundos labores ex juſtitia debitos, niſi forte per alium æque utiliter ſupplerentur; peccat contra juſtitiam, qui per potum, luſum, &c. reddit ſe impotentem ad ſolvendum debita, alendam familiam, &c.

℞. 5. Quamvis quis obligetur non ponere impedimentum legi, non tamen tenetur ſemper removere impedimentum ab alio poſitum: ſic habet communis ſententia, non teneri me procurare valetudinem, liberationem de carcere &c. præciſe, ut ſatisfaciam præcepto de audienda Miſſa; econtra ſi per cenſuras V. G. excommunicationem impediar, plerique docent me teneri petere abſolutionem etiam ideo, ut Miſſam audiam; quia cenſuræ directe & immediate impediunt, cum ad illum finem ab Eccleſia infligantur; hoc autem non facit carcer & infirmitas, quæ tantum indirecte

&

& per accidens impediunt. *Ratio horum omnium eſt* intentio legislatorum, quæ ex uſu & judicio prudentum rationabiliter præſumitur; conſtat enim, legislatores in una materia facilius permittere impedimentum legis, quam in alia. Sic lex jejunii permittit aſſumi honeſtum laborem cum jejunio incompoſibilem, non vero hoc permittit lex Miſſæ vel horarum canonicarum.

QUÆSTIO XIII.

(48) *An Lex ceſſet, dum ceſſat Cauſa finalis?*

N. 1. Duplex in lege attenditur *finis:* unus *intrinſecus*, & eſt honeſtas ipſius materiæ præceptæ, vel inhoneſtas materiæ prohibitæ: alter *extrinſecus*, & eſt honeſtas a legislatore intenta & diſtincta ab honeſtate materiæ præceptæ, aut econtra; debet autem actio vel omiſſio præcepta conducere ad finem extrinſecum legis; alias imprudenter præciperetur. Si lex ſit de re de ſe indifferente, jam non habet niſi finem extrinſecum.

N. 2. Finis legis poteſt ceſſare vel *contrarie & poſitive*, vel *negative tantum*. *Contrarie* ceſſare dicitur, dum redditur illicitus aut impoſſibilis; V. G. lex præcipit jejunium corporis macerandi cauſa, ſi jam mulier gravida per illam macerationem exponat prolem periculo, finis legis ceſſat contrarie. *Negative tantum* ceſſare dicitur, dum manet licitus & poſſibilis, attamen ad bonum commune nec utilis amplius, nec neceſſarius eſt.

N. 3. Finis legis poteſt ceſſare *adæquate*, vel *inadæquate*; idque vel *ex parte motivi* vel *ſubjecti*. *Ex parte motivi* ceſſat *adæquate*, dum ceſſat tota ratio, ob quam lex lata eſt: *inadæquate*, quando ceſſat ratio particularis. *Ex parte ſubjecti* ceſſat *adæquate*, quando ratio ceſſat pro tota communitate: *inadæquate*, dum pro una vel altera parte ex communitate.

N. 4.

N. 4. Dum finis in - & extrinſecus in lege ſunt conjuncti, non ceſſat lex, quamvis ceſſet finis extrinſecus; alias homines, qui habent carnem ſuam debite ſubjectam ſpiritui, non tenerentur ad jejunium; cum in illis ceſſet finis extrinſecus talis legis; unde adhuc obligantur jejunare ob finem intrinſecum jejunii, qui eſt honeſtas temperantiæ; quia legis exiſtentia eſſentialiter dependet a fine intrinſeco legis.

(49) *D.* 1. Quando finis adæquatus legis univerſaliter ceſſat, ſive negative, ſive contrarie, ceſſat lex, ejusque obligatio. *Prob.* Lex ex natura ſua ordinatur ad bonum commune; ergo ubi materia ſub lege directe poſita perdit conducentiam vel neceſſitatem relate ad bonum commune, nequit amplius eſſe ordinata ordinatione rationabili ad bonum commune; atqui hoc hic fit; ergo.

Reſp. Lex tunc ceſſat, ſive ceſſet cauſa finalis extrinſeca, dum hæc ſola movit legislatorem; ſive intrinſeca ob mutatas circumſtantias.

(50) *D.* 2. Si finis legis ceſſet in caſu particulari tantum negative, non ceſſat obligatio; ſecus ſi ceſſet contrarie. *Prob.* 1. *pars.* Quando non tollitur ratio adæquata nec inadæquata primaria, lex non deſinit obligare; ſed quando ratio legis non militat pro caſu particulari tantum, non tollitur ratio adæquata primaria; remanet enim finis primarius legis, qui eſt directio communitatis, conformitatis operandi in illa materia, præſumptio periculi; *de quo ſupra*: (a) ergo 2. *Pars eſt certa*; quia ad illicitum & impoſſibile non datur obligatio. *Contra* 1. *partem*

Ob. 1. Si lex obliget totum Epiſcopatum, & finis legis ceſſet in hac urbe, etiam in hac urbe ceſſat obligatio legis; ergo ſi lex obliget omnes ſubditos, & finis legis ceſſet in hoc ſubdito, etiam in hoc ceſſat obligatio,

(a) *Num.* 43.

gatio. ℟. *t. a.* & *n.c. diſp. eſt*: quia hæc urbs facit perfectam communitatem, adeoque talis lex eſt virtualiter multiplex; hinc ſi reſpectu hujus communitatis ceſſet finis, jam ceſſat finis adæquatus hujus legis, prout erat lex hujus communitatis. Simile non eſt de ſingulis privatis: nam reſpectu privatorum non datur lex.

Ob. 2. Si lex Superioris prohibeat religioſis, ne reſpiciant per feneſtram, ut ſic conſulatur caſtitati, qui noctu reſpicit, non peccat; quia in hoc caſu particulari ceſſat finis legis; ergo idem eſt in ſimilibus. ℟. Lex nunquam prohibuit in illis circumſtantiis; quia ſic non eſſet rationabilis, & de re inutili; itaque tantum prohibuit, ubi ratione reſpectus erat ſecundum ſe periculum, quamvis forte per accidens ratione hujus vel illius ſubjecti non eſſet.

Reſ. 1. Si lex prohibeat geſtare arma ad vitandas rixas, tu vero valde pacificus es, & ne umbra quidem in te periculi rixarum, adhuc peccas geſtando arma; quia manet periculum commune; & finis primarius legis. Similiter non licet tibi legere libros hæreticos ſine ſpeciali licentia, licet non ſit in te periculum perverſionis, quod eſt præcipuus finis legis hujus, & *ſic de ſimilibus.*

Reſ. 2. Superior regularis ad vitandam ebrietatem graviter prohibuit ſuis; ne vinum bibant in civitate; duo ex ipſis bibunt, unus modicum, cogitans non eſſe periculum, adeoque ceſſare finem legis; alter multum bibit, cogitans ſe poſſe portare, adeoque & in ſe ceſſare finem, *An recte?*

℟. Primus recte: quia modicum bibendo in hoc ceſſat finis legis reſpectu omnium. Secundus male: manet enim finis legis reſpectu aliorum, qui communiter multum bibendo ſe periculo ebrietatis exponunt.

(51) Q. 1. *Quis poſſit abrogare leges?*

℟. Va-

℞. Valide poteſt legislator, ejus Superior vel ſucceſſor, non tamen ſemper licite. *Ratio 1mi eſt.* Per quascunque cauſas res naſcitur, per easdem diſſolvitur, niſi aliud obſtet; quod hic non eſt. *Ratio 2di eſt.* Quia ſine legitima cauſa legem reipublicæ utilem abrogare eſt abuti poteſtate; cenſetur autem eſſe cauſa ſufficiens, ſi omnibus prudenter conſideratis credatur legis abrogatio æque aut magis profutura communitati.

Q. 2. *An legislator poſſit abrogare legem ſuam per Superiorem confirmatam?*

℞. 1. Si confirmata ſit in favorem communitatis, non poteſt; quia Superior confirmando facit illam quaſi ſuam: ſi in favorem legislatoris, poteſt; quia cenſetur tantum illam confirmaſſe, ut haberet plus ponderis.

℞. 2. Inferior non poteſt abrogare legem Superioris; quia legislator inferior nullam habet poteſtatem in Superiorem; ergo nec in illius leges. Lex autem, aut præceptum tripliciter abrogari poteſt: per conſuetudinem contrariam, per expreſſam legislatoris revocationem, & per legem priori repugnantem. Ubi

Reſ. Lex generalis per legem generalem contrariam cenſetur revocata: lex vero particularis (quales ſunt ſpeciales locorum conſuetudines, ſtatuta, & privilegia) etiam ſi ponatur in lege hæc clauſula: *non obſtante quacunque conſuetudine*, non cenſetur revocari, niſi de ea fiat ſpecialis mentio, aut aliunde conſtet de mente legislatoris. Ita *Bonifacius VIII.* (a)

QUÆSTIO XIV.

(52) *Quid ſit diſpenſatio, quis, & qualiter diſpenſare poſſit in lege.*

D. 1. *Diſpenſatio* eſt relaxatio legis pro aliqua vel pluribus perſonis aut caſibus facta ab haben-

(a) *cap. licet de Conſtit. in 6.*

bente legitimam poteſtatem, manente vigore legis quoad reliquos. Differt ab *abrogatione*, quia hæc eſt ablatio legis, idque vel ex toto, diciturque ſimpliciter *abrogatio:* vel ex parte, & dicitur *derogatio.*

D. 2. Jure ordinario diſpenſare poteſt in ſuis legibus legislator, ejus Superior, & Succeſſor in jurisdictione; quia is poteſt tollere obligationem, qui poteſt imponere.

D. 3. Nullus inferior poteſt in lege Superioris diſpenſare, niſi ei concedatur. *Prob.* Diſpenſatio ſupponit in diſpenſante jurisdictionem, cum ſit actus jurisdictionis; ſed inferior non habet jurisdictionem circa leges Superioris; ergo. *dr. niſi ei concedatur;* hinc jurisdictionem habent *Epiſcopi* reſpectu legum pontificiarum in certis caſibus: & 1. ſaltem ex conſuetudine in feſtis, horis Canonicis &c. quia hoc exigit recta ſingularum Diœceſium gubernatio. 2. Dum occurrit neceſſitas, quæ eſt valde urgens, aut eſt difficilis ad Papam vel ejus Legatum recurſus ob paupertatem vel ſimilem cauſam; ſic poſſunt ante vel poſt matrimonium diſpenſare in impedimentis occultis, ubi hoc requirit gravis neceſſitas; quia merito præſumitur, Papam nolle fideles tam diu manere in peccato, aut peccandi periculo. *Deinde* adeſt tacita voluntas Pontificis; cum ſciat hoc communiter doceri, & non contradicat. Quod hic dicitur de Epiſcopis, valet de *Prælatis* Regularium exemptorum; quia in illis, quæ ſunt meræ jurisdictionis, ſunt quaſi Epiſcopi reſpectu ſuorum. Caveant autem Prælati, ne eam facultatem diſpenſandi, quam ipſi vi privilegiorum ſingulis quinquenniis renovandorum habent, ſibi arrogent. *De Parochis* dicetur ſuis locis.

Reſ. 1. Papa jure ordinario diſpenſare poteſt in omnibus legibus Eccleſiaſticis tam particularibus Diœceſium, quam totius Eccleſiæ.

Reſ. 2.

Reſ. 2. Papa poteſt diſpenſare in aliquibus pertinentibus ad legem divinam, poteſtate ipſi data (a) per hæc Chriſti verba ad Petrum: *Quodcunque ſolveris ſuper terram &c. Ratio eſt.* Quia conveniebat dari in Eccleſia poteſtatem diſpenſandi in aliquibus magis frequentibus. Hinc Papa poteſt in votis, juramentis promiſſoriis, matrimonio rato, non quidem diſpenſare proprie; ut iis manentibus non teneatur quis illa ſervare; ſed nomine Dei remittit jus quod Deus acquiſivit per votum vel juramentum; ſicut ſi creditor remittat debitum, ceſſat lex naturæ illud ſolvendi. Sic etiam dum diſpenſat in reſidentia Epiſcopi vel Parochi, quæ eſt legis naturalis, tantum declarat, legem illam hic & nunc non obligare. *Deinde* reſidentia non eſt de lege naturæ, niſi ubi eſt abſolute neceſſaria gregi, & tunc Papa diſpenſare non poteſt.

Reſ. 3. Epiſcopus *jure ordinario* diſpenſat cum ſuis ſubditis in votis & juramentis non ſpecialiter reſervatis Papæ; quia cum ſint frequentia, hoc requirit congruum ſuæ Diœceſis regimen.

Reſ. 4. Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum peregrinis, niſi conſenſus Superiorum eorum adſit; ſicut dum Epiſcopus cum ſuis diſpenſat in eſu carnium, labore ſervili; tunc enim diſpenſatione gaudent peregrini, quamdiu in ejus Diœceſi exiſtunt; conſenſum enim Papæ in hoc declarat conſuetudo: non autem poteſt cum iis diſpenſare in votis & juramentis; quia deeſt conſenſus Superioris eorum, & in non ſubditum non poteſt exerceri jurisdictio. Aliud eſt de vagis, qui præter Papam alium Superiorem non habent.

Reſ. 5. Regulariter poteſt Superior ſecum diſpenſare in iis, in quibus poteſt cum ſubditis; quia diſpenſatio eſt actus jurisdictionis gratioſæ, quæ non requirit diſtinctionem phyſicam perſonarum. *Dixi: regulariter*; quia non poteſt ſecum diſpenſare in irregularita-

(a) *Matth.* 16. *v.* 19.

ritate ex delicto, vel ex ſententia hominis declaratoria proveniente; quia tunc diſpenſatio requirit cognitionem delicti, & judicium Superioris, adeoque eſt actus jurisdictionis contentioſæ, ad quam pertinet condemnare, abſolvere; proinde requiritur phyſica diſtinctio perſonarum.

Reſ. 6. Si ſubditus diſpenſatione valde indigeat, tenetur Superior diſpenſare: vel ſi hoc requiratur ad vitandum ſcandalum, aut id exigat bonum commune: alias non tenetur; quia diſpenſatio eſt actus gratioſus & voluntarius.

(53) *D.* 4. Ut legislator diſpenſet in propria vel ſui prædeceſſoris lege *licite*, requiritur cauſa rationabilis, non ut *valide*, ſi nullitas cauſæ ipſi ſit nota. *Ratio primi eſt.* Quia diſpenſans ſine cauſa eſt infidelis diſpenſator poteſtatis acceptæ, peccatque tam dans, quam petens contra jus naturale dictans partem debere conformari toti, niſi juſta cauſa excuſet; attamen ſatis probabiliter venialiter tantum ſecluſo ſcandalo, ſpeciali gravamine aliorum &c. *Ratio ſecundi eſt.* Quia ſicut obligatio legis pendet a voluntate legislatoris in fieri, ita & in conſervari; ſicut igitur potuit ab initio aliquam perſonam lege ſua non comprehendere, quamvis male, ſi deſit juſta cauſa, ita poteſt ab ea eximere. *Dixi: ſi nullitas ſit nota;* quia ſi non ſit nota diſpenſanti, diſpenſatio eſt invalida, non præciſe ob defectum cauſæ, ſed quia non intendit diſpenſare, niſi juſta exiſtente cauſa. Facilius hic peccat petens diſpenſationem, ſi ſciat non adeſſe cauſam ſufficientem; attamen etiam diſpenſantis eſt inquirere in cauſas, & de his judicare, dum petens per ignorantiam & bonam fidem excuſatur. Sæpe tamen petentis improbitas & periculum, ne rejectus faciat pejus, Superiorem excuſat, dum ſine ſufficienti cauſa diſpenſat, & quaſi permiſſive ſe habet ad ſubditi peccata.

(54) *D.* 5. Si inferior, cui a jure, conſuetudine vel aliter conceſſum eſt diſpenſare in lege ſui Superioris, ſine juſta cauſa ſaltem prudenter exiſtimata diſpenſet, illicita & invalida eſt diſpenſatio. *Prob.* In tantum poteſt inferior diſpenſare in lege Superioris, in quantum ipſi permiſſum eſt; ſed non eſt credibile, quod Superior conceſſerit facultatem diſpenſandi ſine cauſa, adeoque illicite; ergo. Hinc Papa invalide diſpenſat in votis & aliis, quæ ſunt de jure divino, ſi non adſit cauſa legitima diſpenſandi.

Reſ. 1. Si adſit juſta cauſa, ceſſet autem, priusquam detur diſpenſatio, ſubſequens diſpenſatio eſt invalida; quia Superior non intendit diſpenſare, niſi preces veritate nitantur, dum ipſe diſpenſat. Econtra valida erit diſpenſatio, ſi ante conceſſionem non aderat cauſa, dum petebatur diſpenſatio, & in qua conceſſione adſit; non ſi tantum ſuperveniat, licet ante executionem; quia tunc ab initio eſt invalida, unde nequit fieri valida, niſi reiteretur.

Reſ. 2. Si diſpenſatio data *ſit in forma gratioſa*, hoc eſt: ſi Papa per ſe ipſum immediate diſpenſet, ſufficit, quod ſubſiſtat cauſa illo tempore, quo diſpenſatio conceditur: ſi autem detur *in forma commiſſoria;* irrita eſt diſpenſatio, ſi cauſa ceſſet, antequam commiſſio ab Officiali, ſeu Vicario Generali, ad quem miſſa eſt, executioni mandetur; quia tunc proprie non diſpenſat Papa, ſed facultatem concedit ſuo nomine diſpenſandi, ſi (ut ſtylus habet) preces veritate nitantur. In priori autem Officialis non diſpenſat, ſed tantum cognoſcit, an nil falſi ſit allegatum in ſupplica, aut omiſſum, quod erat allegandum.

Reſ. 3. Diſpenſatio legitime impetrata non ceſſat, ceſſante cauſa, etiam antequam mandetur executioni: niſi expreſſe vel tacite ſit reſtricta ad tempus, quo cauſa duraverit; quia diſpenſatio fuit valida; relaxavit igitur vin-

vinculum legis, quæ relaxatio deberet revocari a Superiore, ut vinculum illud revivifceret.

Ob. Ceſſante cauſa ceſſat effectus. ℞. 1. ergo mortuo patre ceſſat exiſtere filius. ℞. 2. *d.* ſi effectus etiam in conſervari dependeat a cauſa. *c.* ſecus *n.* Diſpenſatio non reſtricta, & legitime data per hoc conſervatur, quod Superior conſenſum ſuum non retractet.

Reſ. 4. Infirmus, cum quo eſt diſpenſatum in jejunio quadrageſimali, tenetur jejunare, ſi ante finem quadrageſimæ ceſſet infirmitas; nam quia ex praxi communi ſatis conſtat, hanc eſſe mentem diſpenſantis, ideo tacite reſtringitur. *Idem eſt de multis aliis.*

Ob. Diſpenſatus in voto caſtitatis ob graves ſtimulos carnis, iis ceſſantibus manet deobligatus a voto; ergo a pari ℞. N. *c. diſp. eſt*; quia diſpenſatio in voto caſtitatis non ſic habet tractum ſucceſſivum ſub novo vinculo, nec obligatio hujus voti eſt virtualiter multiplex affixa ſingulis diebus, ſicut eſt obligatio jejunii, & hinc ſingulis diebus reſpectu jejunii eſt virtualiter diſtincta diſpenſatio.

Reſ. 5. Romani ſæpe addunt cauſas in diſpenſatione, quæ non habent locum in iis, cum quibus diſpenſant, ne videantur diſpenſare ob alias cauſas minores, ob quas tamen revera diſpenſatur; vel quia ſic habet ſtylus curiæ. Hinc Confeſſarius non debet attendere, an illæ ſint veræ, ſed tantum an ſubſiſtant illæ, quæ ſunt allegatæ a petente diſpenſationem.

Reſ. 6. Qui allegavit cauſam falſam, non poteſt uti diſpenſatione, ſi hæc ſit cauſa finalis & motiva diſpenſandi, qua ſcilicet non ſubſiſtente non fuiſſet data diſpenſatio; ſi vero tantum ſit cauſa impulſiva, hoc eſt: non movens abſolute ad diſpenſandum, ſed tantum ad facilius, diſpenſatione uti poteſt.

Reſ. 7. Cauſæ hic juſtæ ſunt: *neceſſitas* ſaltem talis, ut prudenter judicetur, nimis grave fore carere

diſpenſatione : *magna difficultas obſervandi*, *utilitas*, &c. Sic diſpenſari poteſt in voto ſimplici caſtitatis ob grave periculum incontinentiæ, ſi votum ſit factum in tenera ætate, ex gravi metu emiſſum, &c. Neceſſitas autem non debet eſſe tanta, ut de ſe excuſet; alias non eſſet opus diſpenſatione; hinc qui ſine gravi incommodo non poteſt V. G. jejunare, intereſſe ſacro, non indiget diſpenſatione, quamvis melius ſit conſulere Parochum vel Confeſſarium de ſufficienti cauſa.

Reſ. 8. In dubio de ſufficientia cauſæ inclinandum eſt in partem benigniorem; hoc enim requirit ſuavitas regiminis; & ſi ſemper deberet conſtare de ſufficientia cauſæ, vix unquam auderent Superiores diſpenſare. Poſſunt autem plures cauſæ de ſe non ſufficientes conſtituere unam ſufficientem.

Reſ. 9. Dum diſpenſatus ſincere expoſuit caſum, & cauſas, quas habet, poteſt regulariter acquieſcere judicio diſpenſantis; hujus enim eſt diſcutere; an cauſæ ſint ſufficientes attenta gravitate legis, & materiæ, conditione, & merito perſonæ, aliiſque circumſtantiis.

(55) Q. 1. *An diſpenſatio ſub- & obreptitia ſit valida?*

N. Diſpenſatio eſt *ſubreptitia*, quando in ſupplica tacetur veritas alioquin exprimenda: obreptitia eſt, quando in ſupplica exprimitur falſitas, quæ eſt cauſa finalis & motiva; debent autem hæc eſſe circa cauſas directe pertinentes ad materiam conceſſionis. Nunc.

℞. 1. Si allegatur cauſa finalis falſa, diſpenſatio & quodvis gratiæ reſcriptum ad petitionem datum ſunt obreptitia & nulla; ſi taceatur aliquid, quod jura & ſtylus curiæ volunt exprimi, eſt ſubreptitia & pariter nulla; quia in utroque deficit voluntas diſpenſandi in Superiore, hinc additur: *ſi ita eſt; ſi preces veritate nitantur;* nec hic juvat error inculpabilis. Si bona fide duæ cauſæ allegentur, una vera, altera falſa, &

vera

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

vera ſufficiat ſe ſola ad movendum Superiorem, diſpenſatio ſubſiſtit.

℟. 2. Si obreptio, aut ſubreptio cadat ſuper cauſam tantum impulſivam ex malitia allegantis, diſpenſatio eſt nulla; ſi ex ſimplicitate & ignorantia eſt valida: ita expreſſe diſtinguit, & ſtatuit Innocent. III. Cap. *ſuper litteris* de reſcriptis. Si ex poſt deprehendatur una ex allegatis eſſe falſa, & dubitetur, an fuerit motiva, an tantum impulſiva, diſpenſatio præſumitur valida; quia in dubio præſumptio eſt pro valore actus.

Reſ. 1. Non valet diſpenſatio, quando tacetur certa qualitas, cujus expreſſionem jura vel ſtylus curiæ, qui jus facit, ſpecialiter requirunt; nec hic juvat error inculpabilis. Ideo nulla eſt diſpenſatio ſuper impedimento matrimonii, ſi non fuit expreſſa copula inceſtuoſa, quæ præceſſit. Invalida eſt impetratratio beneficii, quando impetrans non expreſſit, ſe aliud beneficium habere, licet tenuiſſimum. Item ſi illegitimus, quocum Papa diſpenſavit ad Ordines, & beneficium, poſtea petat diſpenſari ad habenda plura beneficia, & defectum natalium iterum non exprimat; quia difficilius diſpenſatur cum illegitimo ad plura beneficia, quam ad unum.

Reſ. 2. Si ſponſi diſtent in gradibus inæqualibus, debet exprimi, in quo gradu quælibet perſona diſtet a communi ſtipite; quo enim minor eſt diſtantia, eo difficilius diſpenſatur. Item exprimi debet, an *affinitas* orta ſit ex copula illicita: *honeſtas* an ex ſponſalibus, vel ex matrimonio; quia in hoc eſt major difficultas. Pariter ob eandem rationem in cognatione ſpirituali exprimi debet, an ſit paternitas, vel compaternitas.

Reſ. 3. Si duas habens affinitates, quia fornicatus eſt cum duabus ſororibus ſponſæ, vel duas conſanguinitates ex parte utriusque parentis, vel affinitatem ſi-

[library stamp]

mul & conſanguinitatem, petat diſpenſationem ſuper uno, tacendo ſecundum, & poſtea ſuper alio, tacendo primum, neutra eſt valida; ne tamen quis inde diffametur, in occultis occulte & ficto nomine petitur diſpenſatio in ſacra Pœnitentiaria; *De quo; ubi de matrimonio.*

Reſ. 4. Nulla eſt diſpenſatio in impedimento criminis, ſi omittas machinationem mortis, quia valde inde augetur difficultas dandæ diſpenſationis, quam pro foro externo nunquam dat Papa. Pœnitentiaria diſpenſat, ſi machinatio ſit occulta, aſt nonniſi ex cauſa urgentiſſima. Si non adſit machinatio, diſpenſat Ordinarius.

Reſ. 5. Si matrimonium ſit jam contractum, debet exprimi, an ſcienter cum impedimento dirimente, an ſub ſpe hoc modo impetrandi facilius diſpenſationem, (idem eſt de copula ante ſub eadem ſpe habita) an cum vel ſine ſolemnitatibus a *Tridentino* requiſitis; ita enim hoc expreſſe vult, & ex hoc diſpenſatio redditur notabiliter difficilior, præſertim ſi uterque mala fide contraxerit. Si alteruter culpa caruerit, non debet talis carere ſpe diſpenſationis, ne innocens patiatur ob culpam nocentis. *Tridentinum* a ſpe diſpenſationis excludit eos, qui omiſſis culpabiliter proclamationibus contrahunt, etſi impedimentum ignoraverint.

Reſ. 6. Si, cum ſis dives, facias te pauperem, ne ſolvas taxam divitum, diſpenſatio eſt nulla; quia non cenſetur velle diſpenſare Pontifex, aut dare hanc diſpenſationem; ut conſtat ex praxi.

Reſ. 7. Quando in petitione ſecundæ diſpenſationis non ponitur diſpenſatio ante obtenta, ſi moraliter loquendo inde multum augeatur difficultas diſpenſandi, diſpenſatio eſt nulla. Hinc nulla eſt ſuper impedimento criminis, ſi hanc jam alias obtinuiſſes. Nulla

la eſt diſpenſatio non reſidendi in loco beneficii per tempus aliquod notabile, ſi immediate ante ſimilem diſpenſationem obtinueris, & non exprimas.

Reſ. 8. Si in poſtulatione etiam ignoranter committatur error circa moralem rei ſubſtantiam, V. G. petis diſpenſationem pro affinitate, & eſt conſanguinitas, pro quarto gradu, & eſt tertius &c. diſpenſatio nulla eſt; quia diſpenſans cenſetur tantum hoc concedere, quod petitur: non obeſt autem, ſi erretur in nomine petentis (niſi diſpenſans forte ex falſo nomine intelligeret perſonam ſibi notam, cui vellet favere) nec ſi erretur in nomine Diœceſis, loci. Nec refert, ſi per incuriam Scriptoris, qui reſcriptum expedivit, error aliquis irrepat, ut ſæpe contingit V. G. pro ſecundo gradu affinitatis, quem petiviſti, ſcribitur ſecundus conſanguinitatis, vel in reſcripto loco cauſæ veræ, quæ allegata eſt, ſubſtituitur alia ſecundum formulam ſcribendi &c. quia credendum eſt fuiſſe errorem Scriptorum, & negligentiam expedientium, & Papam diſpenſaſſe in eo, quod petitum fuit.

Reſ. Denique ſi in reſcripto addatur: ***motu proprio***, ut ſæpe fit, jam ſuppletur defectus ſubreptionis.

(56) Q. 2. *An gratia diſpenſationis exſpiret morte concedentis?*

℟. Quando in litteris gratiæ in favorem alicujus conceſſis miniſter executurus eſt *voluntarius*, hoc eſt: cui non præcipitur, ut exequatur, ſed ſola conceditur exequendi facultas in favorem ejus, cui gratia eſt concedenda, jam eſt gratia facienda, quæ exſpirat morte concedentis re adhuc integra. Si vero ſit executor *neceſſarius*, qui exequi jubetur, ſi preces veritate nitantur, jam cenſetur gratia facta, quæ non exſpirat morte concedentis. *Ratio utriusque eſt;* quia in *primo* non eſt jus acquiſitum illi, qui diſpenſandus eſt;

in *ſecundo* per mandatum jus aliquod eſt acquiſitum, ut a delegato diſpenſationem exigat. *Denique* obſervandum hic eſt, non ſufficere diſpenſationem præſumptam, quam Superior daret, ſi peteretur, ſufficere tamen tacitam; quia ut ſubditus agendo contra legem non peccet, debet actu & de præſenti eſſe exemtus; hoc autem habet per tacitam, non per præſumtam. Sicut generaliter dum ad valorem actus requiritur conſenſus actualis, vel ſaltem habitualis moraliter perſeverans, non ſufficit licentia præſumpta.

Ob. Ut religioſus non peccet contra votum paupertatis, ſufficit licentia præſumpta; ergo & ſufficit talis diſpenſatio. ℞. *t. a. n. c.;* quia, ut non peccet contra votum paupertatis, tantum requiritur, ut non agat Superiore invito, ideoque nomine alieno, non proprio: quod habetur per præſumptam licentiam. Licentia non lædit legem, ſed eſt quaſi impletio legis; Diſpenſatio eſt quaſi legis vulneratio, & ideo eſt ſtricte interpretanda; attamen poteſtas diſpenſandi præſertim ordinaria, vel univerſaliter delegata amplæ interpretationis eſt; cum ex una parte ſit neceſſaria bono communi, ex altera juri communi non repugnet.

QUÆSTIO XV.

(57) *De interpretatione Legis, & Epykia.*

D. 1. *Interpretatio* legis eſt mentis & intentionis, quam in condenda lege habuit legislator, explicatio; eſtque triplex: *Authentica*, *uſualis*, & *doctrinalis*. *Authentica* eſt, quæ fit ab eo, qui poteſt legem ponere, obtinetque vim legis, ſi debite promulgetur. *Uſualis* eſt, quam ſuo modo facit uſus ipſe, ſeu conſuetudo recepta. *Doctrinalis*, quæ fit a viris peritis rem attente conſiderantibus; hæc, licet obligationem non inducat, eam tamen aperit.

D. 2.

D. 2. Ad legislatorem & ejus ſucceſſorem pertinet legem authentice interpretari; quia illius ſic eſt interpretari, cujus eſt legem ferre; poteſt etiam conſuetudo non tantum Eccleſiæ univerſalis, ſed & alicujus communitatis particularis legem interpretari; patet *ex lege* 36. (a) ubi dicitur: ***Si de interpretatione quæratur, imprimis inſpiciendum eſt, quo jure civitas retro in ejusmodi caſibus uſa fuerit***; optima enim legum interpres conſuetudo. *Doctrinaliter* interpretari poſſunt non tantum illi, qui ſunt ex profeſſo aut Judices, aut Doctores, vel animarum Paſtores, ſed & omnes illi, quibus ineſt prudentia & ſcientia ſufficiens; imo in neceſſitate poteſt illam interpretari de bono & æquo homo ſimplex. Pro his

Obſ. 1. In legum interpretatione ſervandus eſt ſenſus verborum proprius, communis, & magis receptus, niſi ſequatur aliquod inconveniens; quia præſumitur legislatorem in hoc ſenſu eſſe locutum.

Obſ. 2. Verba generalia legis generaliter ſunt accipienda; nam ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, prout loquitur ſummarium, niſi aliud obſtet.

Obſ. 3. Lex favorabilis & nulli nociva in dubio debet ampliari, odioſa reſtringi juxta *R. J.* 15. *in* 6. quantum tamen patiuntur verba legis in proprio ſenſu attentis omnibus circumſtantiis; hinc in lege pœnali tantum eſt ſervanda naturalis verborum ſignificatio, in favorabili attenditur etiam civilis. Sic in hac nomine filii etiam venit adoptatus, nomine legitimi legitimatus, nomine civium Clerici, nomine religioſi etiam novitii & moniales, nomine Clerici religioſus; non ſic in lege pœnali.

Obſ. 4. In legibus humanis regulariter non fit argumentum a pari, nec a majori ad minus; quia in his,

(a) *ff. de Legibus.*

his, quæ pendent a libera voluntate, non concluditur a pari; potuit enim legiſlator velle punire minus crimen & non majus, eoquod minus ſæpius committatur, & ſit bono communi pernicioſius; ſecus in lege naturali; quia obligatio hujus eſt ex natura rei, & ipſa ratione, quæ dum militat pro uno caſu, etiam militat pro alio, ubi ſimilis vel fortior eſt ratio. *Dixi: regulariter;* quia in correlativis, ut in marito & uxore, ſponſa & ſponſo, item in iis, quorum unum ſubordinatur alteri, fit argumentum a pari. Similiter extenditur lex, ſi unus caſus V. G. crimen, vel perſona exprimatur tantum exempli cauſa, V. G. ſi lex pœnam imponeret furto centum imperialium, extenditur ad furtum alterius rei ejusdem valoris. Item ſi unum ponatur frequentioris uſus gratia, comprehenditur caſus minus frequens: *Sic Bulla Pauli V.* contra confeſſarios ſollicitantes ad turpia mulieres, extenditur ad ſollicitantes maſculos. Si prohibeatur in Diœceſi aliqua audire confeſſiones in privatis ædibus, exceptis infirmis, permiſſio extenditur ad ſanos, qui nequeunt domo exire, & ſic de ſimilibus.

Reſ. 1. Male facit Parochus, qui dum cum adoleſcente ſibi condormiente per turpem mutuum tactum absque pollutione peccaverat, hunc in proximo feſto confitentem ab hoc peccato abſolvit, judicans reſervationem tantum loqui de peccato cum muliere complice, quod frequentius eſt: item cum reſervatio ſit odioſa, reſtringi debere ad actum luxuriæ conſummatum, qualis hic non eſt. Male, inquam; quia *primo* reſervatio comprehendit complicem marem. Quare valet hæc regula: *Cum lex frequentioris uſus gratia aliquid decernit, caſum minus frequentem comprehendit.* Sic dum *Pius V.* prohibuit, ne moniales clauſtris exeant, niſi incendii, lepræ, epidemiæ cauſa, extenditur ad caſum invaſionis hoſtium & ſimiles. *Secundo*, de ſe requi-

requiritur peccatum conſummatum; adhuc tamen intelligitur omne peccatum mortale contra caſtitatem cum alia perſona, quod in actum externum inhoneſtum prodiit.

Benedictus XIV. ſua conſtitut. cavit, ne ullus extra mortis articulum, & deficiente tunc quocunque alio ſacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit (qua phraſi ſacerdos etiam non approbatus includitur) confeſſionem complicis in peccato turpi atque inhoneſto contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo excipere audeat, adempta ei jurisdictione abſolvendi ab hujusmodi culpa; qui ſecus facere auſit, excommunicationem Romano Pontifici reſervatam ipſo facto incurrit. Alia ſubinde Conſtitutione declaravit, Sacerdotem in articulo mortis ſuæ impudicitiæ complici abſolutionem ſacramentalem impertiri poſſe, etſi alius ſacerdos præſto ſit, ſi alioquin probabile infamiæ periculum revera pœnitenti immineret, quod anteverti, depellique non poteſt. *Vid. eund. Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. L.* 7. *c.* 14. *n.* 4. Quocirca ſi improbus ſacerdos periculum infamiæ fingeret, cum revera nullum ſit, aut, ſi quod erat, evitari potuiſſet, rata quidem foret abſolutio, ne æterna ſalus ægroti periclitetur; ſacerdos tamen complicem abſolvens excommunicationem latæ ſententiæ Rom. Pontifici reſervatam ſubiret. Exiſtit autem quæſtio, quid nomine peccati turpis atque inhoneſti contra ſextum præceptum admiſſi veniat; an ſolum peccatum operis venerei, vel etiam peccatum oris impurum & inhoneſtum?

℞. Et operis & oris intelligi, dummodo mortale ſit. Nam in utroque ſubeſt (magis minusque) idem omnino finis, quem in condendo decreto Pontifex ſibi propoſitum habuit, quemque etiam ſatis in eo expreſſit, uſus generali ac indefinita verborum formula. Sic Pœnitentiarii S. Petri, Theologi S. Pœnitentiariæ, alii-

que

que viri docti Romæ interpretantur; diciturque Pontifex rogatus deſuper reſpondiſſe, generales verborum formulas in decreto fuiſſe adhibitas, ut omnia peccata inhoneſta operis & oris complecteretur, ſecutus exempla aliarum Conſtitutionum, quas Pontifices adverſus ſollicitantes edidere. Igitur res extra dubium jam eſt poſita. Sed quid ad *Caſum ſeq.?* Cajus aliquot ante menſes, dum eſſet Diaconus, turpi tactu peccavit cum Berta; factus ſacerdos ejus confeſſionem excipit, abſolvitque ab hoc peccato, cujus eſt complex. *Inciditne in excommunicationem Pontificiam?*

℟. Probabilius affirm. ſic enim perſuaſum eſt ſacræ Pœnitentiariæ, nec aliter nos opinari ſinunt verba Apoſtolicæ Conſtitutionis, qua generatim, indefiniteque ſancitur, ut nullus ſacerdos Confeſſionem complicis in peccato turpi excipere valeat ſub pœna Excommunicationis. Nihil ergo refert peccatum fuiſſe commiſſum, dum eſſet Diaconus; excommunicatio fertur in ſacerdotes, qui rei venereæ complicem abſolvunt.

Reſ. 2. In dubio, an percuſſio Clerici ſit enormis, adeoque Papæ reſervata, cenſeri debet illi non reſervata; quia licet lex prohibens percuſſionem Clerici ſit favorabilis reſpectu Status Clericalis, ideoque extendatur ad Novitios V. G. eſt tamen odioſa quoad pœnas, & benignius interpretanda.

(58) *D.* 3. Epikia eſt benigna interpretatio & reſtrictio legis, qua interpretamur aliquem caſum particularem propter certas circumſtantias ſub lege & intentione legiſlatoris non contineri. Ordinarie non licet uti Epykia in legibus irritantibus vel confirmantibus contractus; quia per has leges præſcribitur forma contractuum; res autem nequit ſubſiſtere ſine ſua forma; V. G. matrimonium ſine Parocho & teſtibus contractum eſt invalidum, licet ob bellum, peſtem &c. non

non potuerit haberi Parochus aut teſtis, imo etſi ad vitandam mortem; quia bonum notabile, quod ex obſervatione illarum legum provenit reipublicæ, prævalere debet particulari aliorum incommodo. In legibus autem humanis ad actionem vel omiſſionem obligantibus licet aliquando uti Epikia; cum enim hæ leges ferantur univerſaliter, nec caſus particulares quandoque excipiendos excipiant, ne in immenſum excreſcant, neceſſe eſt interdum contra aperta legis verba, non tamen contra mentem legislatoris aliquid facere vel omittere, ne alioquin lex in certis caſibus reddatur moraliter impoſſibilis, imo quandoque injuſta. Caſus ſunt: ſi obſervatio legis foret nimis difficilis, incommoda; ſi adſit periculum gravis damni; ſi legis obſervatio repugnet legi Superiori, ſive quando ex aliqua loci, perſonæ aut temporis circumſtantia redderetur iniqua, aut bono communi pernicioſa: item dum omnibus prudenter & ſecundum Deum conſideratis probabilius judicatur, non fuiſſe mentem legislatoris talem caſum comprehendere. Cavendum tamen, ne in judiciis facile utamur Epykia, quia facile aperiretur janua fraudibus. *Denique* univerſaliter interpretatio & Epykia in dubio locum non habent, quando legislator interrogari poteſt.

QUÆSTIO XVI.

(59) *Quid de conſuetudine?*

Conſuetudo alia eſt *facti*, & eſt repetitio actuum ſimilium a majori parte communitatis exercitorum, alia *juris*, quæ naſcitur ex prima, & eſt jus aliquod moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur.

D. 1. Poteſt conſuetudo facti legem novam inducere ſive conſuetudinem juris, quæ habeat vim legis: patet *ex lege* 32. *ff. c.* 1. *de legibus*; ubi dicitur: *Inveterata*

terata conſuetudo non immerito pro lege cuſtoditur. Deinde conſuetudo poteſt verſari circa materiam legi proportionatam accedente Superioris conſenſu, voluntatem ſubditorum obligationem ſibi imponentium approbantis, ſive perſonaliter, ſive legaliter; ſed plus non requiritur ad legem introducendam. Ergo.

(60) *Obj.* Ut conſuetudo inducat legem, quinque requiruntur. 1. Ut materia conſuetudinis ſit juſta, honeſta, rationabilis, bono communi utilis, attenta natura rei, conſuetudine patriæ, ac hominis fragilitate. 2. Ut accedat conſenſus illius, qui poteſt legem ferre, vel perſonalis, vel juridicus. *Perſonaliter* conſentire cenſetur, quando vel expreſſe aliquo ſigno, vel tacite diſſimulando permittit conſuetudinem introduci: conſenſus *juridicus* datur vi juris communis, in quo ſæpe exprimitur, conſuetudinem certis conditionibus veſtitam habere vim legis, ideoque Princeps tam Eccleſiaſticus, quam civilis cenſetur omnes conſuetudines habentes illas conditiones approbare. 3. Conſuetudo debet pluribus actibus liberis eſſe frequentata a majori parte communitatis; quia in perſona ficta, qualis eſt communitas, conſenſus majoris partis reputatur pro conſenſu totius; quot autem requirantur actus, definiri non poteſt: ſed tot requiruntur, quot ſufficiunt, ut populus poſſit judicare, id fieri ex lege obligante. *Dr. actibus liberis;* hinc non introducitur per actus factos ex ignorantia, vel errore circa ſubſtantiam, nec per actus gravi metu extortos. 4. Conſuetudo debet eſſe inchoata, vel ſaltem continuata cum voluntate inducendi obligationem; hinc conſuetudines ex ſola populi devotione introductæ V. G. audiendi tres Miſſas in Natali Domini, orandi ad Angelus Domini, &c. non habent vim legis. Nec obeſt, quod aliqui ſint, qui ſe ad hoc obligatos falſo ſibi perſuadeant. In dubio, an conſuetudo ſit introducta ex ſo-

la

la devotione, videndum eſt, an Superiores obſervantiam urgeant, delinquentes corrigant, an conſtanter etiam cum aliquo incommodo ſervetur, an homines pii male ſentiant de non obſervante eam: ut V. G. fieret, ſiquis in diebus rogationum, ubi non ſunt abrogati, carnes manducaret; & ex his ſatis colligitur habere vim legis. 5. Conſuetudo introducta per viam præſcriptionis debet durare per decennium; ſi autem lex nova introducatur, vel abrogetur via conniventiæ, nullum tempus determinatum requiritur, ſed ſufficit illud, quod ſpectata Superioris ab- vel præſentia, rei gravitate, aliisque circumſtantiis ſatis videtur declarare tacitum conſenſum.

(61) *D.* 2. Poteſt conſuetudo rationabilis legem humanam etiam irritantem abrogare. Habetur in utroque jure, & ubi jus loquitur indiſtincte, nec nos diſtinguere debemus. Nec refert, quod non poſſit ſtare Matrimonium, aut alius contractus ſine eo, quod neceſſario lex requirit ut aliquid ſubſtantiale; quia licet hoc requiratur ante elapſum tempus præſcriptionis, non tamen poſt illud; quia tunc conſuetudo declarat non amplius requiri. Interim 1. debet eſſe rationabilis; hoc enim expreſſe requirit *cap.* 18. *de conſuetudine*; illa autem eſt rationabilis, quæ remota lege, quam molitur evertere, nil involvit legi divinæ aut naturali contrarium, nec jure canonico reprobatur, nec bono communi nociva eſt. 2. Debet Superior non contradicere; quia requiritur conſenſus illius, ſaltem juridicus, etſi legislator conſuetudinem ignoret, ſive hic & nunc agi contra legem; quia jura plus non requirunt, quàm ut conſuetudo ſit rationabilis, & præſcripta: præſcriptio autem procedit contra ignorantem, eſtque moraliter impoſſibile, ut Papa V. G. ſciat omnes conſuetudines locorum, & tamen non omnes improbat.

Reſ.

Reſ. 1. Ad abrogandam legem etiam Eccleſiaſticam probabilius ſufficiunt decem anni, idque cum mala fide. *Ratio eſt:* quia hic non eſt proprie præſcriptio; alias contra legem Papæ requirerentur centum anni; quia tot requiruntur ad præſcribendum contra Eccleſiam Romanam. *Deinde* ſubditi volentes introducere conſuetudinem legi contrariam, debent habere animum agendi contra hanc legem; proinde requiritur notitia legis. Hinc conſuetudo proprie abrogat legem ex conſenſu legislatoris, qui rationabiliter poteſt legem remittere etiam illis, qui per decennium ſcienter & mala fide contra eam operantur, expeditque hoc fieri, ne culpæ multiplicentur, ſicque conſuetudo adhuc eſt rationabilis. Simile non eſt in aliis præſcriptionibus, ubi dominus non conſentit, & requiritur bona fides, ne detur occaſio, alienum rapiendi, retinendi, &c.

Reſ. 2. Ut conſuetudo introducat, vel abroget legem, non debent tempore præſcriptionis actus conſuetudini contrarii a majori parte communitatis exerceri; alias tempus præſcriptionis interrumpitur.

Reſ. 3. Conſuetudines, quæ vel juri naturæ vel divino repugnant, nullius ſunt roboris; quia nequit eſſe conſenſus legitimi Superioris.

Reſ. 4. Pariter nullius ſunt roboris conſuetudines in detrimentum immunitatis Eccleſiaſticæ introductæ: quia Eccleſia illas reprobat.

Reſ. 5. Idem eſt de illis, quæ enervant Eccleſiaſticam vel religioſam diſciplinam, fovent occaſiones peccandi, aut bonis moribus adverſantur; quia abuſus ſunt, qui approbari non poſſunt, licet ſæpe permiſſive ſe habeant Superiores.

Reſ. 6. Si in lege ponatur: *Non obſtante quacunque conſuetudine*, per hoc tantum derogatur conſuetudini præteritæ, & quidem generali, niſi aliud exprimatur,

tur, non autem futuræ: quia legiſlator nequit ſuo ſucceſſori adimere poteſtatem abrogandi legem, præſertim ſi circumſtantiæ fuerint mutatæ.

Reſ. 7. Quod per conſuetudinem eſt introductum, in odioſis non venit nomine privilegii; hinc non revocatur revocatis privilegiis. Conſuetudo non extenditur de loco ad locum, de caſu ad caſum.

(62) Q. 1. *Quid ſit jus gentium?*

℞. Eſt jus poſitivum humanum ſtatutum conſuetudine omnium aut fere omnium nationum: eſt quidem affine legi naturæ, in ſe tamen eſt lex poſitiva humana pendens a libera voluntate hominum; poſſent enim homines, ſi vellent, non conſentire in libertatem V. G. commerciorum, quæ eſt de jure gentium.

(63) Q. 2. *Quid de privilegiis?*

℞. 1. Privilegium eſt conſtitutio legiſlatoris tribuens ſpecialem favorem ad plures actus; differt a diſpenſatione, quæ cum ſit reſtricta ad actum particularem, eſt *tranſiens*, privilegium vero *permanens.* Aliud eſt *perſonale*, quod immediate conceditur alicui perſonæ ratione ſui, cujus ſignum eſt, ſi perſona nomine ſuo exprimatur, aut allegentur ejus merita: aliud *reale*, quod conceditur intuitu alicujus rei V. G. loci, officii, dignitatis. *Primum* adhæret perſonæ, qua exſpirante exſpirat: *ſecundum* adhæret rei & tranſit ad omnes, ad quos tranſit ipſa res, re autem pereunte perit. Aliud eſt *odioſum*, quod ita in unius favorem datur, ut principaliter in alterius incommodum cedat, V. G. immunitas a ſolvendis decimis: aliud *favorabile*, quod præter exemptionem a jure communi nulli adfert incommodum, V. G. privilegium diſpenſandi in voto. Aliud eſt *contra legem*, quo quis eximitur a lege V. G. ſolvendi onera communia: aliud *præter legem*, quo quis a lege non eximitur, ſed datur facultas ei de jure non competens V. G. diſpenſandi.

℟. 2. Privilegium *contra jus* concedere poteſt ſolus ille, qui in lege poteſt diſpenſare, & quidem nonniſi ſubdito; eſt enim exemptio a lege, & actus jurisdictionis. Privilegium *præter jus* poteſt dari etiam non ſubditis; quia eſt actus meræ facultatis, & quaſi donatio: ſic Princeps poteſt extraneo dare jus venandi in ſuo territorio.

℟. 3. Privilegia non ceſſant morte concedentis; quia *decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum* (a): nec per mortem revocatur voluntas ſemel poſita. Item non ceſſant privilegia, licet concedentis jurisdictio ceſſet: neque ceſſant ante certam cognitionem de revocatione; in dubio enim non cenſentur revocata.

℟. 4. Nemo tenetur uti ſuo privilegio, ſed poteſt ei renuntiare per ſe loquendo, cum poſſit cedere juri ſuo. *Excipe* 1. *Dum eſt datum in favorem communitatis;* quia tunc non utendo cenſetur præjudicare aliis: ſic Clericus citatus ad tribunal ſæculare tenetur uti ſuo privilegio, nec poteſt comparere. 2. *Dum concurrit aliqua lex præcipiens actum ſine uſu privilegii non implebilem;* ſic ſi die feſto non poſſis adire Eccleſiam pro audienda Miſſa, habeas autem privilegium oratorii privati, teneris ibi audire Miſſam, ſaltem ſi illam habere poſſis: ſicut qui in carcere detentus habet licentiam a Judice adeundi Eccleſiam pro audienda Miſſa; imo probabilius videtur (quamvis contrarium a nonnullis doceatur) quod tenearis conducere Sacerdotem pro ſtipendio, ſi ſis dives; quia hoc non eſt medium valde difficile. Similiter ſi haberes privilegium non ſolvendi decimas, & ſolvendo fieres impar ſolvendis tuis debitis, tenereris uti privilegio; econtra ſi prævideas te cras impediendum a recitando officio canonico, non teneris hodie ſub veſperum recitare matu-

(a) *R. J.* 16. *in* 6.

matutinum & laudes, quamvis ex privilegio poſſis; quia vi privilegii non teneris, & præceptum necdum urget. In praxi tamen tenendum eſt tutius.

℞. 5. Ut uſus valeat, privilegium debet eſſe acceptatum, cum ſit inſtar donationis; hinc datum motu proprio effectum non habet, niſi ſciatur conceſſum vel expeditum; datum ad inſtantiam petentis ſortitur effectum, quamprimum conceſſum eſt, licet conceſſio ignoretur; quia adeſt tacita acceptatio incluſa in petitione. Sic qui ſcripſit Romam pro diſpenſatione ſuper impedimento affinitatis, & poſtquam ibi impetrata eſt, contrahit Matrimonium cum affine, valide contrahit. Qui per nuntium petit facultatem a Parocho aſſiſtendi Matrimonio, valide aſſiſtit, modo data ſit, quamvis non ſciatur eſſe data. Idem eſt de privilegio abſolvendi ab hæreſi &c. licet graviter peccent propter periculum, cui ſe exponunt diſpenſationem vel licentiam ignorantes.

℞. 6. Per ſe loquendo licite uteris privilegio extra territorium concedentis; ſic Colonienſis a ſuo Ordinario privilegiatus ſuper jejunio Quadrageſimali, ſecluſo ſcandalo, licite manducat carnes, quocunque ierit. Idem eſt de aliis privilegiis, niſi quid obſtet.

APPENDIX
DE
QUINQUE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.
QUÆSTIO I.
Quid requirat primum Eccleſiæ Præceptum: Statutos Eccleſiæ dies feſtos celebrato?

(64) *D.* 1. Eſt obligatio gravis diebus Dominicis & Feſtis abſtinendi ab operibus ſervilibus. (a) *Opus ſervile* dicitur, quod immediate tendit in utilitatem corporis, vel potius tam corporis quam animi viribus efficitur, & a vulgaribus communiter hominibus committi ſolet, ut ſunt omnia opera artium mechanicarum, item opera ruralia: arare, ſerere &c. Econtra *opus liberale* dicitur, quod vel mente exercetur vel corpore quidem, ſed potiſſimum animi excolendi gratia, ut ſunt opera artium liberalium: docere, cantare, concionari &c. Impertinens autem eſt; ſive opus fiat ex intentione lucri, ſive ex recreatione, pia intentione, cum vel ſine defatigatione; quia hæc non mutant intrinſecam rationem operis.

Reſ. 1. Tranſcribere non eſt opus ſervile, quia per ſe ordinatur ad declarandos conceptus mentis; hinc licet ex officio fiat, non eſt peccatum: quid enim aliud eſt, quam ſcribere? Romæ paſſim Amanuenſes ſine ulla reprehenſione tranſcribunt brevia diebus Dominicis & feſtis.

Reſ. 2. Idem eſt de delineationibus artificum; ſunt enim magis ingenii quam corporis operationes. Depingere *Vide caſum* 11.

(a) *ex cap. Omnes de feriis.*

Reſ. 3. In typographia ordinare characteres probabiliter ſervile non eſt, probabilius tamen eſt oppoſitum; prelo autem ſubjicere omnino ſervile eſt, ideoque illicitum.

Reſ. 4. Itinerari pedibus, equo, curru, navi ſervile non eſt, adeoque & licet equos ad hoc parare, remos ducere, alia ad iter neceſſaria peragere, quamvis ſint in ſe ſervilia; acceſſorium enim ſequitur principale, & ſaltem ita fert conſuetudo, ac tacita diſpenſatio per hanc declarata.

Reſ. 5. Ducere jumenta, currum, navim mercibus onuſtam, opus ſervile eſt, ideoque die feſto illicitum. Inchoatum tamen die non feſto iter proſequi permittitur ab Eccleſia ob publicam utilitatem, vel damnum, quod ex quiete ſequeretur.

Reſ. 6. Venari, piſcari cum magno apparatu, retia magno niſu & labore attrahere, ſervile opus, & corporale eſt a mercenariis plerumque exerceri ſolitum. Leporem inſequi cum uno vel altero cane, aucupari parvis retibus, piſcari arundine & hamo, ſervile non videtur, & permittit conſuetudo.

Reſ. 7. Si cooperatio cum animalibus, ventis, aqua, igne &c. modica ſit, ut voce, baculo incitare animal ferens onus, molere, diſtillare, & ſimilia, non cenſetur opus ſervile; aliud eſt, ſi onus ſæpe deponendum, mola ſæpe obvertenda, ligna findenda ad alendum ignem.

(65) *D.* 2. (a) Prohibentur opera, quæ forenſia dicuntur & ſunt 1. *Placitum*, id eſt: omnis actus judicialis, qui fit cum ſtrepitu, nempe opera Judicum, Notariorum, teſtium, Advocatorum ad hoc concurrentium; imo (b) hæc ſunt ipſo facto nulla; non tamen prohibetur privatim informare Judicem &c. 2. *Mercatus*, id eſt: nundinæ ſive ſolemnes, ſive hebdomada-

 mada-

(a) *Cap. 1. & final. de feriis.* (b) *ex dicto cap. fin.*

madariæ; item actus mercandi V. G. contractus emptionis, locationis, qui fiunt cum inſtrumento publico. 3. *Juramentum* non tantum judiciale coram Judice, ſed & quo firmantur contractus ſub nomine mercatus prohibiti; prohibito enim principali prohibetur acceſſorium.

(66) *D.* 3. Obligatio abſtinendi a ſervilibus, & forenſibus eſt gravis ex genere ſuo. Conſtat id ex communi fidelium ſenſu, & ex prop. 52. *ab Innoc. XI.* damnata: *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus. Deinde Prob.* hæc obligatio eſt ex Virtute religionis ob Dei & Sanctorum cultum; atqui religio ex genere ſuo obligat graviter; ergo

Reſ. 1. Laborans per duas tantum horas, ſecluſo ſcandalo, ſemper non peccat graviter; quia duæ horæ non ſunt pars diei notabilis reſpective ad 24. horas: ſi notabiliter ultra duas, eſt mortale, ob rationem contrariam.

Reſ. 2. Vendens rem magni momenti cum magna ſolemnitate, licet brevi tempore, per ſe loquendo peccat graviter; quia in forenſibus & judicialibus ſpecialiter prohibitis gravitas materiæ non ex quantitate temporis, ſed ex qualitate operis deſumitur, ut fert communis ſententia.

(67) *D.* 4. Cauſæ hic a peccato excuſantes ſunt 1. *Diſpenſatio*, quam ex conſuetudine dare poteſt Parochus in Parochia, Superior regularis pro ſuis ſubditis, non pro famulis ſæcularibus. Ubi cauſa laborandi eſt moraliter certa, non eſt opus diſpenſatione; attamen petenda eſt a ruſticis, niſi periculum ſit in mora, ne dent ſcandalum, aut cauſa non adſit ſufficiens. 2. *Conſuetudo legitime* introducta; tunc enim adeſt conſenſus Superioris & tacita diſpenſatio. Sic licitum eſt vendere & emere clauſa officina, & contractus inire

ſine

ſine inſtrumentis judicialibus, imo & ſolemniter a ruſticis aliisque alias labore occupatis, cibos etiam minus neceſſarios præparare, fructus ſapidiores colligere, pullos occidere, non oves aut vitulos, nec pinſere panem, niſi propter aliquam neceſſitatem V. G. ob concurſum populi, Feſtorum concurrentiam; licitum eſt verrere cameras, utenſilia leviter lavare, veſtes purgare, corpori aptare, ad id aliquid leve ſuere &c. Sic excuſantur mechanici, qui die Feſto ad veſperum acuunt falcem, vel præparant materias pro labore diei ſequentis. Ubi conſuetudo habet, licet molere, non frumenta vel farinam vehere. 3. *Pietas erga Deum*, propter quam licent opera ad Dei cultum proxime pertinentia, ut pulſare campanas, portare ſtatuas in Proceſſionibus, ornare altaria ſertis, candelabris &c. *Dixi: proxime.* Non enim licent ea, quæ ad Dei cultum remote ſpectant, ut conficere ornamenta etiam gratis, verrere templum, tapetibus ornare parietes & ſimilia, quæ anticipari debent; ſi ſine cauſa hoc non fiat, eſt veniale, ut paſſim docent authores. Otii autem vitandi cauſa laborare non licet: quia otium aliis modis vitari poteſt. 4. *Charitas erga proximum:* ſic licet exercere actus judiciales in favorem pauperum, fodere ſepulchrum pro illa die ſepeliendo. 5. *Utilitas publica:* ut in adventu Principis theatra perficere, ignes artificioſos exſtruere. 6. *Neceſſitas propria, vel aliena*, quæ præveniri non potuit.

Reſ. 1. Excuſantur pauperes, præſertim ſi Confeſſarium prius conſulant, & ſine ſcandalo clam laborent poſt divinum officium, dum aliter ſe & ſuos alere non poſſunt.

Reſ. 2. Ancillæ pauperes (ut ordinarie ſunt) excuſantur, ſi ſua reficiant, & ſibi laborent, dum id aliis diebus non permittitur ab heris, vel non habent tempus id faciendi.

Reſ. 3. Similiter excuſantur ſartores pro luctu vel nuptiis laborantes: item ſi bona fide promiſerint veſtem paratam, & laborent ultra mediam noctem, ſi alias haberent incommodum; qui tamen non raro peccant, ſi in eam neceſſitatem ſua culpa ſe conjecerint.

Reſ. 4. Barbitonſores communiter excuſantur vel ob parvitatem materiæ, ſi unum vel alterum tondeant, vel ob neceſſitatem, ſi aliis diebus impediti veniant, vel cum gravi damno desererentur, ſi petentibus non ſervirent.

Reſ. 5. Excuſantur coctores laterum, & qui abſque notabili damno opus inchoatum interrumpere non poſſunt.

Reſ. 6. Ruſtici illi excuſantur, qui ob aeris intemperiem fruges demeſſas colligunt, & in horrea vehunt; ſed rogandus eſt Parochus.

QUÆSTIO II.

(68) *Ad quid obliget ſecundum Eccleſiæ præceptum: Sacrum Miſſæ officium diebus Feſtis reverenter audito?*

D. 1. Ex præcepto Eccleſiæ graviter obligante tenentur fideles uſum rationis habentes ſacrificio Miſſæ aſſiſtere ſingulis diebus dominicis & feſtivis: cumque res ſit gravis, graviter obligat, ut ſatis demonſtrat communis perſuaſio.

Reſ. 1. Miſſam tenetur audire Sacerdos, ſi ipſe non celebret, teneturque in hunc finem celebrare, ſi alias audire non poſſit: ſi ſit in peccato mortali, & confiteri non poſſit, debet miſſam omittere, ſi poſſit ſine ſcandalo, vel gravi infamia; quia eam legere non poteſt ſine violatione præcepti divini de præmittenda confeſſione.

Reſ. 2.

Reſ. 2. Pueri doli capaces completo anno ætatis ſeptimo obligantur hoc præcepto: eſtque conſultum parentibus, ut dum in iis apparet uſus rationis, ſecum aſſumant, licet nondum obligentur, ut ſic aſueſcant: niſi tam parvi ſint, ut neque res divinas apprehendere, neque in templo quieti, decenterque contineri poſſint; tunc enim ſunt relinquendi domi, ne alios perturbent.

Reſ. 3 In die Natalis Domini non eſt obligatio audiendi tres Miſſas; nullum enim de hoc extat præceptum, & conſuetudo, ſi quæ ſit, non obligat.

Reſ. 4. Non eſt obligatio audiendi Miſſam die Jovis, Veneris, & Sabbato Sancto, in feſto Marci, animarum, cinerum, nec Coloniæ in feſto Theophoriæ.

Reſ. 5. Miſſa audiri poteſt in quocunque loco etiam profano, quem Eccleſia non excipit, V. G. in caſtris cum militibus, quamvis aliquis non ſit miles; præcipitur enim auditio Miſſæ, non autem locus. Saltem non eſt amplius obligatio audiendi illam in Parochia, ut conſtat ex privilegiis poſt Tridentinum conceſſis, & conſuetudine timoratorum generali. *Dixi: quem Eccleſia non excipit*; excipiuntur autem oratoria privata; hinc in tali Miſſam audiens, ſi ſit extraneus, non ſatisfacit, quia expreſſe in bullis privilegii additur: *Nolumus autem, ut alii, qui non ſunt de familia, cenſeantur liberi ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia.* Dicunt quidem aliqui, hæc addi de ſtylo antiquo, ubi erat obligatio audiendi Miſſam in Parochia; ſed cum verba ſint clara, & illorum interpretatio dubia, tenendum eſt non ſatisfieri. Aliud eſt de oratoriis, quæ ex privilegio erigunt Regulares, de ſacellis publicis &c. Hinc qui non ſunt de familia, monendi ſunt, ut audiant Miſſam in Eccleſia, ſed non ſunt terrendi ut rei peccati mortalis, ne peccent formaliter, dum alias tantum materialiter (a).

(a) *Vid. Tract. de Euchariſt. n.* 93.

(69) *D.* 2. Ut ſatisfiat huic præcepto, requiritur intentio, præſentia corporalis & moralis, attentio aliqua & auditio integra Miſſæ. *Ita omnes.*

Reſ. 1. Requiritur intentio per Miſſam colendi Deum; quia Eccleſia præcipit Dei cultum: ſufficit autem implicita, quam habet, qui Eccleſiam accedit, ut impleat officium Chriſtiani, ut ſua præſentia honoret ſacrificium, ut interſit Miſſæ tanquam rei ſacræ &c. Qui autem ſolum intereſt, ut loquatur V. G. amico, comitetur Dominum, honoret pompam funebrem, non ſatisfacit; quia non adeſt ex intentione colendi Deum, ſeu audiendi Miſſam.

Reſ. 2. Non eſt opus videre, ut audire celebrantem: ſatis eſt, ſi adſit aliis, qui vident & audiunt, ſeque illis conformet ſurgendo & flectendo, aut ſi per hæc videat, quousque celebrans pervenerit; hinc extra templum ob ejus anguſtias exiſtens ſatisfacit, ſi ex ſignis vel geſtibus aliorum intra præſentium, quibus moraliter conjungitur, colligat, quid in ara fiat, imo ſecundum plurimos qui ex vicina domo, licet intercedat via publica, cernere poteſt ſacerdotem celebrantem, modo diſtantia non ſit notabilis, quod arbitrio prudentis metiendum eſt.

Reſ. 3. Ebrius vel dormiens non ſatisfacit; quia humano modo non cenſetur præſens, idque licet inculpabiliter dormiat, teneturque, ſi poſſit, novam Miſſam audire.

Reſ. 4. Non audit Miſſam, qui tempore Miſſæ eſt in templo, ſed animo voluntarie prorſus diſtracto; quia deeſt aſſiſtentia moralis.

Reſ. 5. Non audit Miſſam, qui toto illo tempore confabulatur, litteras, nova vel aliud ſimile legit, licet per intervalla advertat, quid agatur in altari; quia hæ actiones externæ continuatæ ſunt incompoſſibiles cum attentione: ſi vero interruptim fiant, nunc

V. G.

V. G. colloquendo, nunc advertendo, quid agatur in Miſſa, non obſtat, quo minus ſatisfiat præcepto quoad ſubſtantiam; ſic enim non impediunt attentionem neceſſariam. Econtra.

Reſ. 6. Qui ſub Miſſa legit librum ſpiritualem, recitat horas canonicas, pœnitentiam &c. ſatisfacit: quia non impediunt attentionem requiſitam magis, quam preces voluntariæ, & aſſiſtit religioſe, poteſtque uno actu & eodem tempore duobus præceptis ſatisfieri, *de quo ſupra.* Contrarium videtur de confeſſione ſacramentali longa; hæc enim ex natura ſua diſtrahit animum ab attentione ad ea, quæ in Miſſa aguntur; aliud eſt, ſi confeſſio ſit brevis, & non fiat ſub parte ſubſtantiali V. G. conſecratione, aut aliquo modo adhuc attendatur ad Miſſam.

Reſ. 7. Non eſt neceſſe orare ſub Miſſa, ſed ſufficit cum intentione colendi Deum religioſe aſſiſtere & attendere ad ea, quæ aguntur in altari, ita ut dicere poſſit, quousque circiter pervenerit Sacerdos, ſaltem ubi aguntur partes principaliores, ut offertorium, conſecratio, communio.

Reſ. 8. Qui, dum inſervit celebranti, brevi mora recedit ad pulſandas campanas, ad afferendum vinum, thus, aliaque neceſſaria, adhuc ſatisfacit; cum enim hæc ſpectent ad ſacrificium, cenſetur moraliter, religioſe illi adeſſe.

(70) *Reſ.* 9. Peccat graviter, qui ſine juſta cauſa omittit partem Miſſæ notabilem: alias leviter tantum peccat; quæ autem ſit notabilis, facile definiri non poteſt. Qui venit poſt Evangelium, communius dicitur peccare mortaliter; quia cenſetur pars notabilis: qui ante Evangelium & manet usque ad finem, vel qui venit ab initio, & exit poſt communionem ſacerdotis, peccat tantum venialiter; quia cenſetur pars exigua.

Reſ.

Reſ. 10. Peccat graviter, qui non eſt præſens tempore conſecrationis, aut etiam ſumptionis; quia Eccleſia præcipit Miſſam principaliter, ut eſt ſacrificium, & communio etiam videtur pars dignitate notabilis. Peccat venialiter, qui non eſt præſens ſub ſolo offertorio.

Reſ. 11. Non ſatisfacit, qui ſucceſſive audit duas Miſſæ medietates a diverſis celebrantibus; quia Eccleſia obligat ad audiendam Miſſam, quæ ſit unum & integrum ſacrificium, quale non eſt, ſi ſucceſſive legatur a duobus: aliud eſt, ſi in caſu neceſſitatis deficiente uno celebrante alter ſuppleat; quia ibi ex intentione ſupplentis uniuntur cum antecedentibus, non ſic in aliis.

Reſ. 12. Sero venientes ad Miſſam oportet interrogare, an per negligentiam expoſuerint ſe periculo ommittendi partem notabilem; ſæpe enim caſu ſero veniunt, eoquod Miſſa ſolito maturius incepta ſit: peccarunt tamen mortaliter, ſi per negligentiam ſe expoſuerunt periculo multum ſero veniendi.

(17) *D.* 3. Ab auditione Miſſæ *impotentia* 1. *phyſica* excuſat: 2. *moralis*, ſi non poſſit niſi cum magna difficultate vel jactura bonorum animi, corporis, fortunæ ſua vel proximi audiri; quia Eccleſia pia mater non cenſetur obligare cum gravi incommodo, *de quo ſupra Num.* 23. Excuſat & *conſuetudo.*

Reſ. 1. Excuſatur ſurdus ſimul & cæcus; quia percipere non poteſt, quid agatur in altari.

Reſ. 2. Excuſatur, qui ſine pudore vel infamia non poteſt exire, ut honeſta mulier carens honeſta veſte, prægnans ex occulta fornicatione.

Reſ. 3. Excuſatur infirmus & convaleſcens, cui graviter obeſt prodire foras juxta conſilium Medici, vel alterius prudentis, in dubio non tenetur ſe exponere periculo, *de quo alibi*: ſerviens infirmo, dum hic non eſt ſolus relinquendus.

Reſ.

Reſ. 4. Excuſatur Mater vel famula, quæ debet aſſiſtere infanti, expeditque infantem inquietum, alios in devotione perturbantem cum matre manere domi.

Reſ. 5. Qui longe diſtat ab Eccleſia: ubi ponderandæ ſunt circumſtantiæ, conditionns perſonæ (an robuſta vel debilis) viæ, temporis, auræ, conſuetudinis loci.

Reſ. 6. Qui ad cavenda damna cuſtodit pecora, domum &c. hic tamen monendus eſt, ut ſi poſſit, alternet; tenentur autem cuſtodes pecorum & ſimiles mutari vices, ſi ſint plures, & a paucioribus cuſtodia convenienter peragi poſſit, fiantque ſucceſſive plures Miſſæ.

Reſ. 7. Itinerans occaſionem vel ſocium ſibi valde utilem amiſſurus; quia V. G. viam non novit, periculum eſt latronum &c. hic tamen ſi poſſit, tenetur prævenire, niſi bona fide ſupponat, ſe in via habiturum Miſſam.

Reſ. 8. Excuſari quandoque poteſt ſponſa timens irrideri ab aliis, dum fiunt denuntiationes, ſed ſpernendi ſunt hi timores vani: ſaltem ſi poſſit, tenetur alibi audire Miſſam.

Reſ. 9. Excuſantur viduæ maritum lugentes per aliquod tempus, ubi eſt conſuetudo: puerperæ tempore purificationis. Interim omnibus a Miſſa impeditis inculcandum eſt, ut diebus illis ſpeciali cultu in- & externo Deum colant, licet forte ad hoc ſtricte non ſatis conſtet de tali præcepto.

QUÆSTIO III.

(72) *Quid de tertio Eccleſiæ Præcepto: indicta certis diebus jejunia, & a quibusdam cibis abſtinentiam obſervato?*

§. I.

In quo examinatur obligatio jejunii.

N. Jejunium aliud eſt *naturale*, quo abſtinetur ab omni re ſumpta per modum cibi, potus vel medicinæ: aliud *Eccleſiaſticum*, de quo in præſenti, & eſt abſtinentia a quibusdam cibis cum unica in die refectione hora competenti ſumenda.

D. 1. Jejunium hoc requirit tria; 1. abſtinentiam a carne & cibis vetitis; 2. unicam tantum intra diem naturalem refectionem excepta collatione: 3. certum refectionis tempus, quod modo eſt circa meridiem. Duo priora ſunt de ſubſtantia jejunii, eorumque transgreſſio peccatum eſt ex genere ſuo mortale: tertium vero videtur non eſſe; qui enim mane immemor jejunii plene ſe refecit, adhuc tenetur, & poteſt ſervare jejunium, ideoque tempus hoc notabiliter præveniens peccat contra uſum Eccleſiæ, ſed venialiter tantum; ſalva enim manet jejunii ſubſtantia. Nec obeſt, quod minuatur difficultas jejunii, quia hæc diminutio difficultatis ſaltem tanta non eſt, ut præveniens mereatur pœnam æternam. Si cauſa legitima adſit V. G. iter, negotium, debilitas ſtomachi, &c. nullum eſt peccatum, ſicut & ſi per quadrantem circiter præveniat. Si in veſperum majoris mortificationis cauſa differas, auges meritum.

Reſ. 1. Lardum, ſanguis, omnis pinguedo de carne veniens licet proprie non ſit caro, conſuetudo tamen vim legis habens ſaltem in Germania obtinet, ut ſint prohibita, & merito, ne illorum permiſſio extendatur

datur ad farcimina, juſculum ex carne cum ſcandalo & detrimento jejunii, niſi neceſſitas vel paupertas aliud non permittat; pauperibus enim non eſt faciendus ſcrupulus, ſi in defectu alterius pinguedine utantur pro condiendis cibis ex præſumpta benignitate Eccleſiæ.

Reſ. 2. Non prohibentur teſtudines, limaces, lutræ, caſtores, gallinæ aquaticæ; quia vel reducuntur ad piſces, vel timoratorum conſuetudine receptum eſt iisdem veſci.

Reſ. 3. Jure communi in quadrageſima prohibentur ova & lacticinia, ut lac, caſeus, butyrum; aſt conſuetudine legitima huic derogatum eſt in his partibus.

(73) *Reſ.* 4. Peccas mortaliter toties, quoties diſtinctis moraliter vicibus in notabili quantitate carnem vel cibos vetitos comedis; quia toties transgrederis præceptum negativum in materia gravi, imo probabilius peccas mortaliter ſecunda refectione & ſequentibus, etſi cibi ſint liciti; prohibentur enim plures refectiones, ſicut dum Sacerdoti dicitur: *Semel tantum celebrabis in die*, non ſecunda tantum celebratione, ſed & tertia &c. peccat graviter.

Ob. Qui ſecunda vice ſe refecit, non poteſt amplius ſervare jejunium, cum de ſubſtantia jejunii ſit negatio refectionis. ℞. *d.* non poteſt amplius ſervare integre. *c.* Secundum aliquid *n.* Poteſt abſtinere a refectione tertia, quæ etiam prohibita eſt. Deinde ſi quis mane & in prandio ſe plene refecerit, adhuc notabilis mortificatio eſt abſtinere veſperi.

Reſ. 5. Qui ſine juſta cauſa refectionem ſic dividit, ut non remaneat moraliter una, frangit jejunium; jam enim eſt moraliter multiplex. Juſta cauſa dividendi eſt: ſi Parochus inchoata refectione vocetur ad infirmum periculoſum: ſi occurrat mercatori occaſio notabile quid vendendi alias non vendendum, *&*

ſic

ſic de ſimilibus. Major vel minor requiritur cauſa, quo major vel minor eſt diviſio; tunc autem propter intentionem redeundi & circumſtantias cenſetur unicum prandium, ſicut & ſi a menſa ſurrexiſti cum animo ad eandem vel aliam intra quadrantem circiter redeundi.

Reſ. 6. Protrahere prandium ad quatuor horas non video, quomodo ſit per ſe licitum; eſt enim æquivalenter duplex refectio. *Nec juvat*: quod non ſemper comedatur; nam inter fabulandum cibi ingeſti digeruntur, & corpus non minus confortatur, quam ſi ſecunda refectio ſumeretur. Si poſt duas horas ſola bellaria & leviores cibi apponantur, & abſtineatur a collatione, poteſt tolerari: quia ſic hæc videtur anticipari.

Reſ. 7. Qui cum vel ſine culpa mane comedit, quantum ad juſtam refectionem ſufficit, debet eſſe contentus collatione: ſi non æquivalens refectioni plenæ, poteſt prandium ſumere veſperi: ſi æquivalens collationi, debet ab illa abſtinere: ſi nequidem huic æquivalens inadvertenter ſumpſit, poteſt ſumere collationem.

Reſ. 8. Qui extra tempus refectionis ſæpe ſumit modicum, peccat mortaliter, dum advertit ſe perveniſſe ad quantitatem notabilem; uniuntur enim in effectu ſeu nutritione.

(74) *Reſ.* 9. Non prohibetur potus proprie talis, id eſt: qui ex ſe & principaliter ordinatur ad refrigerationem, alterationem & digeſtionem, licet aliquo modo nutriat, ut vinum, muſtum, cereviſia &c. ſecus eſt de lacte, juſculo carnium, quæ ad nutriendum principaliter ordinantur, adeoque habent rationem cibi, licet bibendo ſumantur.

Reſ. 10. Electuaria conſervativa, ut vocant, habent rationem cibi; hinc non licent, niſi in parva quan-

quantitate per modum medicinæ. Similiter inter potum, ne noceat, Germanis ex conſuetudine parum quid V. G. media uncia panis levioris conceditur.

Reſ. 11. Uvæ, poma, & ſimilia frangunt jejunium, cum ſint cibus; ſed plus requiritur ad peccatum mortale.

Reſ. 12. Etiam in eſu carnis datur parvitas materiæ; non enim tam rigide obligat Eccleſia. Sunt, qui non damnant mortalis, qui modicum inſtar nucis communis ſumeret; ſi vero adſit juſta cauſa V. G. in coquo ad probandum, nullum eſt peccatum. Quoad cibos eſuriales duæ unciæ non videntur materia gravis.

D. 2. Omnes baptizati poſt ſeptennium completum, & adeptum uſum rationis tenentur per ſe loquendo abſtinere a carnibus, diebus ab Eccleſia præſcriptis: poſt completum vero annum vigeſimum primum inſuper a ſecunda refectione, non ante, licet ſat fortes ſint; quia id per accidens eſt, ad quod non attendit Eccleſia.

Reſ. 1. Qui in quadrageſima complet annum vigeſimum primum, tenetur reliquo tempore, etſi unus tantus dies ſuperſit, jejunare; quia præceptum obligat diviſibiliter pro ſingulis diebus.

(75) *Reſ.* 2. Profeſſi noſtri ante annum vigeſimum primum tenentur ad jejunia in Regula expreſſa, puta: quadrageſimale, ſingulis feriis ſextis per annum, & a feſto omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini; quia per profeſſionem ceſſerunt juri ſuo. Idem dic de ſexagenariis, ſi ſat robuſti ſint; eſt enim paritas rationis. Non tamen ante annum vigeſimum primum completum videntur obligati ad alia Eccleſiæ jejunia; quia nullibi legitur, quod hos potius, quam ſæculares voluerit obligare Eccleſia.

Reſ. 2. Religioſi exempti non tenentur ad jejunia ſpecialiter ab Epiſcopo indicta, ſecluſo ſcandalo; quia

licet jure novo teneantur ad feſta Diœceſana, & interdictum commune, de jejunio tamen adhuc nihil conſtitutum eſt.

(76) Q. *Quid de collatiuncula?*

℞. 1. Hanc licet ſumere etiam ad ſedandam famem; eſt enim permiſſa ab Eccleſia.

℞. 2. Practice tutæ ſunt ſequentes Regulæ: 1. Regulariter ſumi poteſt quarta pars cœnæ ordinariæ, quæ alicui ſpectatis circumſtantiis ſuæ perſonæ, ætatis, conditionis, occupationis, regionis, in qua degit, competit ſecundum leges temperantiæ naturalis; ſic enim & fini legis, & neceſſitati conſulitur, etſi per hoc totaliter ſaturetur; hoc enim mere per accidens eſt. 2. Pro collatione licite ſumuntur cibi, quos juxta morem regionis, ubi quis degit, timorati ut licitos ſumere ſolent; quia cum collatio ortum habeat a conſuetudine, etiam conſuetudine modus ejus regi debet. 3. Collatiuncula ex conſuetudine ſumenda eſt Veſperi; qui autem ex aliquali ratione V. G. itineris, ſtudii, alicujus negotii peragendi, amici adventuri &c. collationem ſumit meridie, prandium veſperi, non peccat. Qui poſt prandium ſumit aliquid cibi, tanto minus debet ſumere in collatione; niſi per modum medicinæ apud hauſtum parum ſumpſerit.

§. II.

(77) *In quo adducuntur Cauſæ a Jejunio excuſantes.*

D. 1. Excuſat *diſpenſatio legitima.* Cum particulari in ſua Parochia ex uſu diſpenſat *Parochus* (hoc enim poſtulat bonum animarum propter occurrentem ſæpe neceſſitatem) non *Confeſſarius* qua talis, qui nonniſi declarare poteſt exemptionem, ſicut poteſt Medicus, & alius vir expertus; hinc ubi dubium

eſt

eſt de exemptione, pœnitens remittatur ad Parochum, ut ipſe diſpenſando ſuppleat, ſi forte non ſit ſufficiens cauſa.

Reſ. Diſpenſatio in comeſtione carnium non ideo licita eſt multiplex refectio; ſunt enim diviſibilia, & dividi ſolent, eſtque nunc certum ex declaratione Papæ Benedicti XIV. in Epiſtola encyclica: *Libentiſſime;* ubi etiam ſub mortali prohibetur pro collatione eſus carnium, & in prandio eſus carnis & piſcium ſimul. Circa hoc ultimum ex Germania Sacræ Pœnitentiariæ propoſita ſunt ſequentia dubia. 1. An in quadrageſima aliisque jejunii diebus Limaces, Ranas, Lutram, Oſtreas, Cancros, Conchas licite cum carnibus in prandio permiſceant ii, qui carnibus veſcendi facultatem habent; ſi hoc non. An 2. talibus liceat carnibus addere Oſtreas, Haleces, Sardinias (italice ſardæ) pro condimento carnium. Sacra Pœnitentiaria ex deductis in hoc duplici libello, iisque mature diſcuſſis reſpondit,

Ad 1. Conditionem de non apponendis in caſu epulis interdictis, intelligi de piſcibus; itaque vetari, quidquid in communi acceptatione inter piſces numeratur.

Ad. 2. Licere in modica quantitate, & ſervata ratione ſolius condimenti, ſeu ſalſamenti, dummodo in fraudem legis non fiat. Ita S. Pœnitentiaria Romæ 21. Decemb. 1753.

(78) *D.* 2. Excuſat impotentia moralis, dum non poteſt quis jejunare ſine gravi incommodo vel damno; tunc enim non obligat Eccleſia pia mater.

Reſ. 1. Excuſat infirmitas juxta judicium timorati medici (quales in hac materia aliqui non ſunt) aut eo deficiente viri prudentis & probi. Eximuntur, qui febri tertiana aut quartana laborant, aut ab ea immediate convaleſcunt, prægnantes & nutrices; quia egent cibo pro ſe & pro fœtu vel prole.

Reſ. 2. Non omnes infirmi eximuntur a toto jejunio, ſed prout exigit infirmitas; hinc aliqui a toto; aliqui poſſunt manducare carnes, non tamen plures refectiones ſumere, vel econtra; aliis ſufficit pinguior collatio; aliqui, qui V. G. dormire non poſſunt, niſi cœnati, debent invertere ordinem ſumendo collationem meridie, cœnam veſperi: *Denique* aliqui curantur per jejunium.

Reſ. 3 Ob impotentiam moralem excuſantur pauperes iis diebus, quibus ſufficiens non habent pro una congrua refectione; nec ſufficit illis ſolus panis, non enim ſemel ſumptus ſufficit ad ſufficientem confortationem; imo ſi nonniſi panem, aquam & pauca olera habeant, carnes ſibi datas licite comedunt ex præſumpto conſenſu Eccleſiæ, ex quo etiam toleratur conſuetudo, ut finitis bacchanalibus dentur pauperibus carnium reliquiæ.

(79) *D.* 3. A Lege jejunii excuſat omnis labor honeſtus cum jejunio incompoſſibilis etſi non neceſſarius, modo non ſit in fraudem jejunii, ſeu ideo aſſumptus, ne quis teneatur jejunare. *Dixi* 1. *Etſi non neceſſarius;* quia juxta declarationem Eugenii IV. Anno 1440., quam viri ſide digni referunt, divites laborando eximuntur a jejunio, ut etiam docet praxis quotidiana; divitibus autem labor non eſt neceſſarius. *Dixi* 2. *Modo non ſit in fraudem legis:* Quia tunc non præſumitur Eccleſia relaxare legem ſuam; uti & ſi labor ſit illicitus, adeoque contra legem jejunii peccant laborem peragendo, & probabilius etiam poſtea non ſunt liberi, niſi ex nimia defatigatione immineret periculum gravis infirmitatis.

Reſ. 1. Excuſantur agricolæ, fabri ferrarii, lignarii, piſtores, ſutores calceos conſuentes (non ſi tantum ſcindant corium) aliique opera per ſe valde laborioſa exercentes, ut ſunt arare, fodere, onera gravia

por-

portare, remigare, merces vendendo urbem percurſare &c.

Reſ. 2. Non excuſantur ſartores, pictores, typographi tantum collocantes characteres, nec tonſores, niſi tota die per urbem currant; ſic enim per accidens excuſantur; uti ſi ſartor etiam per medias noctes cogatur laborare.

Reſ. 3. Excuſantur famuli, famulæ, & alii, quando tantis laboribus occupantur, ut nimis difficile ſit jejunare; non vero per ſe excuſantur famuli pediſſequi & ſimiles, qui non multum laborant.

Reſ. 4. Excuſantur iter notabile agentes pedibus. Non poteſt autem determinari numerus leucarum, quia eundo alii plus, alii minus laboris habent: viæ aliæ aliis ſunt difficiliores: tempeſtas auræ ſæpe difficultatem auget. Unusquisque hic ſuæ debilitatis conſcius conſideret ſincere, an ſit gravis difficultas, & ſi poſſit, alium conſulat.

Reſ. 5. Non excuſantur iter agentes equo, rheda, curru, navi; quia parum fatigat, niſi per accidens ob debilem V. G. complexionem, vel dum iter equeſtre eſt longum, equus moleſtus, pavimentum aſperum, &c.

Reſ. 6. Qui honeſtæ V. G. recreationis vel exercitationis cauſa venatur, piſcatur, inviſit amicos, iter agit pedibus, cum poſſit rheda, aut navi, eximitur a jejunio, ubi defatigatio eſt gravis; non enim fit in fraudem legis: a fortiori, ſi peregrinetur ex devotione.

(80) *Q. Quid de Sexagenariis?*

℞. Hos indifferenter a jejunio probabiliter eximunt multi, quia ætas eorum vergit ad interitum; hoc aliqui dicunt eſſe certum; quia declaratum a Pio V. vivæ vocis oraculo, & quia ita habet conſuetudo; ſed probabilius alii dicunt non eſſe determinatam ætatem pro illis, uti eſt pro adoleſcentibus; & ratio eſſe

potuit, quia hi habent determinatum tempus, quo omnes ordinarie adhuc creſcunt, & indigent cibo frequentiori, non ſic ſenes; cum alii anno quadrageſimo, alii quinquageſimo, alii ſexageſimo, vel ſeptuageſimo ſeneſcant. De iſto autem vivæ vocis oraculo non conſtat Authoribus etiam iis, qui tempore Pii V. Romæ ſcripſerunt, nec de conſuetudine; hinc res eſt ſaltem dubia, adeoque lex jejunii eſt in poſſeſſione. Unde attendenda eſt debilitas ex ſenio cauſata, quæ frequenter circa ſexageſimum, ſi non ex toto, ſaltem ex parte excuſat.

QUÆSTIO IV.

(81) *Quid de quarto Eccleſiæ præcepto: Peccata Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate ſingulis annis confitetor?*

D. *Omnis utriusque ſexus fidelium, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Ita Innocentius III. in Concilio Later.

Reſ. 1. Puer peccati mortalis reus tenetur hoc præcepto ante ſeptennium, cujus rei exemplum habemus apud S. Gregorium de puero quinquenni in blaſphemiis moriente, & damnato. *Ratio eſt:* Quia Concilium non refert præceptum hoc ad ætatem, ſed ad annos diſcretionis, hinc ſi malitia ſuppleat ætatem, & pueri peccent mortaliter ante ſeptennium, æque obligantur ac alii.

Reſ. 2. Hoc præceptum non eſt præciſe propter communionem, quia diverſus eſt finis utriusque præcepti; hinc qui propter vomitum V. G. vel quia nondum eſt inſtructus, non poteſt ſumere communionem, debet ſemel in anno confiteri. Econtra confeſſio præ-

ciſe

ciſe circa tempus paſchale eſt ratione communionis, hinc talis non teneretur confiteri in Paſchate.

Reſ. 3. Non tenetur hoc præcepto, qui tantum peccavit venialiter; cum venialia ſint materia libera: teneretur tamen ſtricte loquendo talis ſe ſiſtere Parocho vel delegato, & illi hunc ſuæ conſcientiæ ſtatum declarare, ut ſciat, cur hoc præceptum non impleat.

Reſ. 4. Qui nulla die anni confeſſus eſt mortale nondum rite confeſſum, licet ſæpius venialia, ſi ultima die peccet mortaliter, vel recordetur mortalis non confeſſi, tenetur illa ultima die confiteri; quia necdum ſatisfecit præcepto, quod eſt de confeſſione peccati mortalis nondum rite confeſſi.

Reſ. 5. Qui per annum ſemel confeſſus eſt mortale dubium cum venialibus, ſatisfecit præcepto, quia eſt obligatio confitendi peccata negative dubia; ergo poſuit materiam præcepti.

Reſ. 6. Hæretici tenentur ad confeſſionem annuam: ſunt enim ſubjecti Eccleſiæ: excommunicati tenentur vi hujus præcepti petere abſolutionem ab excommunicatione: incarcerati, ſi pariter confiteri nequeant, tenentur curare, ut liberentur. Similiter Papa obligatur; quia præceptum quoad ſubſtantiam eſt divinum, & licet foret tantum Eccleſiaſticum, adhuc teneretur quoad vim directivam ſaltem indirecte.

Reſ. 7. Ut ſatisfiat præcepto, debet confeſſio fieri Sacerdoti proprio, qualis non tantum eſt Parochus, ſed etiam Epiſcopus, & Papa: unde Regulares privilegiati audientes confeſſiones de licentia Papæ non excluduntur; dicitur enim: Sacerdoti proprio, vel alteri de ejus licentia, de quo non ſupereſt prudens dubium, nec Parochus prohibere poteſt, ne ſui in Paſchate illis confiteantur.

Reſ. 8. Per confeſſionem voluntarie nullam non ſatisfit præcepto nequidem Eccleſiæ, patet ex prop. 14. damn-

damnata ab Alexandro VII. *qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Imo quamvis confeſſio fuerit nulla involuntarie, V. G. confeſſus es non habenti jurisdictionem; quia hæc non eſt vera confeſſio; ergo non ponitur ſubſtantia præcepti, nec per eam obtinetur finis præcepti, qui eſt reconciliatio cum Deo; hinc advertens nullitatem tenetur illo anno repetere.

(82) *Reſ.* 9. Annum aliqui numerant a prima Januarii ad ultimam Decembris; alii conformius praxi Eccleſiæ a paſchate ad paſcha: utrimque probabiliter. Sufficit autem, quacunque anni die fiat confeſſio, ideo juxta ſententiam probabilem, qui hoc anno prima Januarii eſt confeſſus, ſatisfacit, ſi anno ſequenti confiteatur ultima Decembris; quia adhuc verum manet, quod ſingulis annis ſit confeſſus.

Reſ. 10. Quo quis diutius differt confeſſionem ultra annum, eo gravius peccat; quia magis recedit ab intentione præcepti, dilatio tamen erit unicum peccatum continuatum, aut ſaltem ſufficit exprimere tempus dilationis, niſi aliquando retractaſſet priorem voluntatem jam volendo confiteri, jam iterum omittendo.

Reſ. 11. Siquis anno priore non ſit confeſſus, obligatur ſub initium hujus anni; quia annus erat ad urgendam executionem, ne nimium differatur, non ad terminandam vel extinguendam obligationem, patet ex eo; quia non ceſſat finis præcepti, qui eſt reconciliatio cum Deo per confeſſionem.

Reſ. 12. Qui prævidet ſe impediendum, quominus hoc anno confiteatur mortalia, vel reſervata habenti poteſtatem abſolvendi, V. G. ſi ingreditur longam navigationem, tenetur prævenire; quia jam adeſt præceptum, & impleri poteſt; ergo debet, cum poſtea non poſſit. Probabilius tamen eſt non teneri hoc an-

anno anticipare pro ſequenti; quia obligatio anni ſequentis nondum adeſt.

Reſ. 13. Qui multis annis non eſt confeſſus, hodie confitendo ſatisfacit pro omnibus annis præteritis; quia per unam hanc confeſſionem obtinet finem præcepti; ſimile non eſt de omiſſis penſionibus V. G. in materia juſtitiæ.

Reſ. 14. Qui confeſſus eſt aliquod mortale, & aliud omiſit ex oblivione V. G. inculpabili, aut alia juſta cauſa, non tenetur eo anno iterum confiteri; quia tantum præcipitur una confeſſio omnium mortalium tunc memoriæ occurrentium.

Reſ. 15. Non confitens ſemel in anno arcetur ab ingreſſu Eccleſiæ, mortuus caret ſepultura Eccleſiaſtica Cap. *Omnes utriusque ſexus*, ſed ſunt pœnæ ferendæ tantum ſententiæ.

QUÆSTIO V.

(83) *Quid de quinto Eccleſiæ præcepto: Sacroſanctam Euchariſtiam ut minimum ſemel in anno, idque circa Feſtum Paſchæ ſumito?*

D. Omnes baptizati, cum ad annos diſcretionis pervenerint, obligantur ad communicandum ſemel in anno, idque in Paſchate, hoc eſt: *a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis* incluſive, in quibusdam locis diutius. Ita ſtatuitur *Cap. Omnis utriusque ſexus* & Trid. Seſſ. 13. Cap. 9.

Reſ. 1. Quo anno ætatis pueri incipiant obligari, non poteſt determinari generaliter, cum aliqui citius, alii ſerius attingant annos diſcretionis: relinquitur ergo judicio Parochi vel prudentis Confeſſarii. Non facile ante annum decimum incipit obligatio, nec per ſe multum ultra communio eſt differenda, in quo per negligentiam graviter peccare poſſunt parentes & Parochi;

ob reverentiam tamen tanti Sacramenti conſuetudo optima legum interpres habet, ut paulo ſerius communicent, quam confiteantur, excipe caſum mortis, *de quo alibi.*

(84) *Reſ.* 2. Eſt obligatio gravis communicandi in propria parochia, vel alibi de manu parochi, aut cum ejus licentia. Patet ex *Clement. Religioſi de privileg.* & ſatis declarat conſuetudo Eccleſiæ vim legis habens.

Reſ. 3. Leo X. conceſſit privilegium famulis, & commenſalibus mendicantium, ut ſatisfaciant communicando in monaſteriis, ſicut ſatisfaciunt omnes Religioſi. Interim notandum eſt, quod famuli tales debeant degere intra domos ac ſepta monaſterii, & ſub obedientia, de quo *vide Inſtit. Eccleſ. Bened. XIV. pag.* 379. Pariter Sacerdotes ſæculares ex conſuetudine legitima ſatisfaciunt ubique celebrando, ſi autem communicent ut laici, tenentur in parochia: dum enim agunt, ut laici, tenentur ut laici. Quoad ſtudioſos, ſeminariſtas, convictores attendenda eſt conſuetudo, conniventia vel contradictio Parochorum.

Reſ. 4. Vagi, cum nullius ſint parochiæ, poſſunt tempore paſchali communicare, ubi volunt: peregrini pariter & alii abſentes a ſua Parochia, ad quam accedere commode non poſſunt, communicare poſſunt, ubi volunt; cum enim alibi non acquirant quaſi-domicilium, non ſunt his parochis ſubjecti.

Reſ. 5. Sufficit quidem licentia Parochi præſumpta, ſed non debet facile præſumi, ſi facile adiri poſſit; quia petitio eſt agnitio paſtoris; ſi vero non petatur, non recognoſcitur paſtor, ſicque eſt rationabiliter invitus: ſi adiri non poſſit, ex ſe ceſſat obligatio.

(85) *Reſ.* 6. Qui prævidet ſe non poſſe communicare in paſchate, probabilius non tenetur prævenire: quia præceptum communionis paſchalis qua talis eſt

affixum

affixum tempori illi; ſi tamen initio temporis V. G. in dominica Palmarum prævideas poſtea impedimentum, teneris tunc communicare, ſicut beneficiatus, qui mane prævidet impedimentum recitandi veſperas poſt prandium, tenetur recitare mane; quia jam currit tempus obligationis; hinc etiam tenetur prævenire, qui iſto anno non communicavit, nec probabiliter eſt habiturus occaſionem iſto anno communicandi, non ex obligatione communionis ut paſchalis, ſed ut annua eſt.

Reſ. 7. Ob eandem rationem, qui tempus paſchale prævenit etiam ex juſta cauſa, tenetur iterum communicare in paſchate, ſi tunc impedimentum ceſſet: quia quoad hanc partem nondum ſatisfecit præcepto, eo modo, quo poteſt.

(86) *Reſ.* 8. Qui nec tempore paſchali, nec ante communicavit, vel extra parochiam ſine licentia hoc fecit, tenetur adhuc iſto anno communicare in ſua parochia, quia præceptum Eccleſiæ vult tria: *primum*, ut ſemel in anno; *ſecundum*, ut in paſchate: *tertium*, ut in propria parochia: ſecunda obligatio ceſſat elapſo tempore paſchali, quia facta impoſſibilis; prima, quæ eſt principalis, & tertia cum adhuc impleri poſſint, præceptum perſeverat.

Reſ. 9. Qui toto anno non communicavit, tenetur, quamprimum commode poteſt, tantoque magis peccatum auget, quanto magis differt; quia annus non conceditur, ut finiat obligationem, ſed ut eam urgeat, ſicut in contractibus quando ſtatuitur tempus faciendæ ſolutionis, ſi tunc non fiat, obligatio non extinguitur, ſed magis urget. Simile non eſt de communione paſchali: nam particularis eſt ratio celebrandi cum aliis commemorationem Cœnæ ultimæ & paſſionis, quæ ex poſt ceſſat.

Reſ.

Reſ. 10. Præcepto tam divino quam Eccleſiaſtico communicandi non ſatisfit per communionem ſacrilegam, licet materialiter tantum, quia Deus & Eccleſia volunt communionem fructuoſam, quæ ſit cibus & vita animæ, qualis ſaltem per ſe non eſt communio etiam materialiter tantum ſacrilega.

Reſ. 11. Qui ſacrilege communicavit in paſchate, tenetur iterum durante tempore communicare, non tamen iterum in parochia. *Ratio eſt:* quia præceptum eſt diviſibile communicandi fructuoſe pro ſalute animæ & communicandi in parochia ad cognoſcendum Paſtorem, quod jam factum eſt.

Decalogus breviter explicatus.

(87) *Q.* 1. *Quid eſt Decalogus?*

℟. Eſt *lex poſitiva divina decem complectens præcepta, quæ Deus tulit in monte Synai, & Moyſi tradidit duabus tabulis inſculpta populo Iſraelitico promulganda.* Horum priora tria, quibus homo recte diſponitur in ordine ad Deum, vocantur *primæ tabulæ:* alia, quibus homo recte diſponitur in ordine ad ſeipſum & proximum, vocantur *ſecundæ tabulæ.* Omnia ſunt de jure naturæ, & quæ fiunt contra aliquod horum, ſunt peccata mortalia, niſi imperfectio actus, & in aliquibus excuſet parvitas materiæ.

Q. 2. Quid continet primum decalogi præceptum: *Ego ſum Dominus Deus tuus &c.*

℟. Hoc præceptum eſt partim *affirmativum*, partim *negativum*, eſtque illius ſenſus ex Catechiſmo Romano: *Me verum Deum coles, & Diis alienis cultum non adhibebis.* Unde hujus præcepti materia, ut affirmativum eſt, ſunt actus virtutum religionis tam inquam externi, imo & actus virtutum Theologicarum, prout vero eſt negativum, prohibet vitia religioni & virtutibus Theologicis oppoſita.

Q. 3. Quid ſecundum: *Non aſſumes nomen Domini in vanum?*

℟. Eſt iterum partim *affirmativum*, partim *negativum*, licet verbis negativis exprimatur; præcipit, ut Divino nomini reverentia ſumma exhibeatur: prohibet omnem inordinatam ſine debito reſpectu uſurpationem Divini nominis. *Reverentiam* exhibemus, ſervando juramenta, adimplendo fideliter vota Deo facta: *Irreverentiam* committimus blaſphemando, pejerando, temere jurando, vota non ſervando.

Q. 4. Quid de tertio: *Memento, ut diem ſabbati ſanctifices?*

℟. Hoc præceptum eſt partim *morale & naturale*, in quantum præcipit Deum aliquo tempore, ſepoſitis negotiis temporalibus, eſſe colendum, hoc enim ratio naturalis dictat, cum ſit noſtri principium & finis; partim *cæremoniale*, quatenus in memoriam diei ſeptimæ (qua Deus conditis per ſex dies rebus omnibus requievit ab opere) determinat certum diem ad cultum Deo exhibendum; quia naturalis ratio non potius illa die, quam alia dictat Deum eſſe colendum. Hæc dies pro lege veteri erat ſabbatum, ſed per Apoſtolos ex inſtinctu Spiritus Sancti mutata eſt in diem Dominicam; quia iſta die Chriſtus a mortuis reſurrexit. Dein aliæ feſtivitates ſucceſſu temporis ab Eccleſia ſunt inſtitutæ pari obſervantia & cultu celebrandæ in honorem Chriſti & Sanctorum, ut declarat Catechiſmus Romanus. Inſuper præſcriptus eſt modus colendi, ut quædam opera illis diebus fiant, quædam non fiant.

Q. 5. Quid præcipit quartum: *Honora patrem & matrem?*

℟. 1. *Parentum* nomine veniunt *primo*, qui nobis vitam corporalem dederunt. *Secundo*, Qui ſpiritualem, ſeu qui in Chriſto Jeſu per Evangelium nos genuerunt

nuerunt ut Epiſcopi, Parochi, Sacerdotes, &c. *Tertio*, Tutores, Curatores, Patrini. *Quarto*, Reges & Magiſtratus. *Quinto*, Magiſtri & Præceptores. Denique ſenes, ut colligitur ex illo (a): *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem . . . anus uti matres.*

℟. 2. Nomine *honoris* parentibus exhibendi tria præcipue ſignificantur, *Reverentia*, *amor & obedientia*, qui ſunt actus virtutis pietatis. Reverentiam tenemur parentibus exhibere non ſolum externe, ſed & interne illos æſtimando, honorando, vilipenſionem fugiendo &c. *amorem* illos vere diligendo: *obedientiam* illis obediendo in iis, quæ ſpectant ad bonos mores, ad domus gubernationem, ita ut filius, ſi obedire recuſet in materia gravi, peccet mortaliter ſpecialiter contra obedientiam, ſi parentes ſerio præcipiant, non ſi tantum moneant, quamvis & tunc peccare poſſint proles peccato alterius ſpeciei, cujus periculo ſe exponunt.

℟. 3. Quamvis explicite tantum præcipiatur pietas liberorum erga parentes, implicite tamen etiam præcipitur pietas parentum erga liberos.

Q. 6. Quid prohibet quintum: *Non occides?*

℟. Prohibetur homicidium injuſtum tum proximi, tum ſui ipſius, quævis injuſta læſio corporalis, ut eſt mutilatio, vulneratio, verberatio, aliaque ſimilis afflictio injuſta: deinde interior deliberata voluntas lædendi proximum, ut Chriſtus ipſe docet Matth. 5. Inſuper prohibetur omne convitium, quilibet iræ motus præſcriptum a ratione modum excedens, quilibet injuſtus vindictæ appetitus; hæc enim omnia remote ſaltem reducuntur ad homicidium.

Q. 7. Quid prohibetur ſexto: *Non mœchaberis?*
℟. Quamvis in rigore ſolum adulterium prohiberi videatur, Deus tamen per illud omnem omnino vetuit impu-

(a) 1. *Tim.* 5.

impudicitiam mentis, oris & corporis. Patet ex declaratione Chriſti Matth. 5. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: non mœchaberis; Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Si autem prohibeatur aſpectus mulieris ordinatus ad ejus concupiſcentiam, a fortiori verba impudica, tactus, oſcula &c. Itaque prohibetur omnis inordinatus actus in materia venerea, ſeu caſtitati oppoſita; eſt autem *caſtitas* ſpecies temperantiæ, quæ moderatur inordinatum appetitum uſumque venereorum: alia eſt *perfecta*, quæ ab omnibus voluptatibus carnis etiam licitis abſtinet: alia eſt *imperfecta*, quæ tantum ab illicitis, ut in matrimonio. Patet etiam ex S. Aug. q. 71. in Exodum, ubi ſic habet: *Si furti nomine bene intelligitur omnis uſurpatio rei alienæ illicita . . . profecto & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi.*

Q. 8. Quid prohibet ſeptimum: *Non furtum facies?* ℟. Prohibetur omnis injuſta damnificatio proximi in bonis fortunæ; quæ fit *primo* per furtum & rapinam. *Secundo* per omiſſionem reparationis damni illati. *Tertio* per iniquitatem contractuum.

Q. 9. Quid prohibetur octavo: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium?*

℟. Prohibetur omnis injuſta læſio famæ & honoris proximi, præcipue omnis falſitas, mendacium, ac læſio verbalis, quæ fit contra proximum tum in actibus judicialibus, falſo accuſando vel verum celando, tum extra illos damnoſe mentiendo, ſecreta revelando, detrahendo &c.

Q. 10. Quid prohibet nonum: *Non concupiſces &c.* ℟. Prohibet omnem affectum carnalem circa objectum illicitum. Sextum itaque præceptum actus exteriores caſtitati repugnantes, nonum vero internos

directe

directe & explicite interdicit. Cæterum deſiderare filiam proximi in matrimonium non eſt prohibitum.

Q. 11. Quid vult decimum?

℟. Prohibetur *primo* omnis injuſta voluntas alienum uſurpandi, aut alieno nocendi. Dicitur *injuſta*; ſi enim optes alienum fieri tuum per juſtum titulum V. G. donationem, emptionem, non peccas; ſicut nec peccant, qui videntes aliorum divitias deſiderant fieri æque divites, cum tunc objectum illius deſiderii non ſit bonum alienum. Hoc itaque præceptum directe prohibet deſiderare, quod Septimum prohibet facere. *Secundo* prohibetur voluntas calamitatum aut miſeriarum proximi ſub ſpecie lucri proprii; deſideratur enim damnificatio proximi, hinc contra hoc præceptum peccant graviter *primo mercatores*, qui, ut ſua carius vendant, penuriam annonæque caritatem expetunt, quod utinam non facerent multi Clerici, uti & illi, qui ut ſoli mercaturam exerceant, optant aliorum indigentiam. *Secundo medici*, qui morbos deſiderant, ſicut & *Parochi* ac *æditui* deſiderantes mortuos turpis lucri gratia. *Tertio Advocati, & ſimiles*, qui cauſarum litiumque copiam concupiſcunt. Hæc deſumpta ſunt ex Catechiſmo Concilii Trid. *Denique* violant hoc præceptum, qui ſervos, ancillas, opifices, mercenarios, & alios, qui ſe ſponte dominis addixerunt, ſollicitant verbis & promiſſis, ut relicto proprio Domino ad ſui obſequium ſe transferant.

NB. Dum in ultimo additur: *Nec deſiderabis uxorem ejus*: Non ſumitur in ordine ad concubitum, ſicut nono præcepto, ſed in ordine ad bona fortunæ, ad regendam familiam, ſicut appeteretur famulus vel ancilla.

Caſus I. Titius novit decretum eſſe a Principe, ut ducatorum ſimul & frumenti valor minuatur,

tur, econtra alterius monetæ argenteæ valor eleve-tur, hinc antequam hoc promulgetur, petit a Judæo magnam ſummam de illa ſpecie argentea, cujus loco dat ducatos & frumentum: 2. filio ſuo ſevere mandavit, ne certam domum ingrederetur, cumque pater ante paucos dies obierit, filius domum ingreditur. *Q.* 1. *Quid & quotuplex ſit lex? 2. An peccaverit Titius? 3. An filius?*

℞. *Ad* 1. *Lex eſt regula ſtabilis actionum humanarum ingenita, vel lata ob bonum commune ab habente authoritatem publicam, obligans ad aliquid faciendum vel omittendum;* alia *affirmativa*, alia *negativa;* alia *æterna*, alia *naturalis*, alia *poſitiva.* (a) ℞. *Ad* 2. Cum ante publicationem decreti ducati & frumentum adhuc manſerint in priſtino valore, & Titius non fuerit obligatus ad hoc decretum Judæo indicandum, uſus fuit jure ſuo ad damnum evadendum, adeoque nullam ei intulit injuriam, & ad nihil tenetur: imo, niſi per hoc Judæus incidiſſet in gravem neceſſitatem, per ſe non videtur peccaſſe contra charitatem, ſaltem ſi inter plures diſtribuere non potuit; quia poſuit actum de ſe licitum ſibique utilem, ex quo per accidens ſequitur damnum proximi. Aliud eſt, ſi promulgato decreto & ignorante Judæo factum eſſet; tunc enim vel contractum reſcindere, vel exceſſum utpote ſibi non debitum refundere tenebatur titulo injuſtæ acceptionis, ſi ſcivit; vel rei acceptæ, ſi etiam Titius ipſe ignoraſſet promulgationem. ℞. *Ad* 3. Filius vi mandati patris non tenetur amplius vitare domum, quia præceptum per mortem exſpirat (b); ſed ob periculum ibi peccandi, tenetur ex lege naturali vitare.

Caſus

(a) *Vid. Num.* 2. (b) *Vid. Num.* 1.

Caſus II. Cajus Parochus ab amico Romæ accepit, quod Papa lege Romæ promulgata ſevere inhibuerit Sacerdotibus portare capillos fictos: 2. quod edita ſit conſtitutio, in qua privantur aſylo, qui meditatum committunt homicidium contra conſtitutionem Gregorii XIV., qui tantum excepit homicidium proditorium: 3. quod damnata ſit propoſitio: *licet retinere partem ſtipendii pro Miſſa, ſi ille, cui committitur, ſit contentus. Denique* quod editæ ſint aliæ conſtitutiones variæ, concernentes reformationem totius Cleri, ac varia privilegia revocantes, cum vero hæc nondum hic ſint publicata, neſcit, quomodo in his ſe gerere debeat. Q. 1. *Quæ & qualis requiratur promulgatio legis humanæ? 2. quid ad caſum?*

℞. 1. Requiritur promulgatio publica facta communitati, pro qua lex lata eſt (a): ante hanc non obligat. De ſe ſufficit hanc fieri in reſidentia legislatoris; jam enim poteſt in ſubditorum notitiam venire; lex tamen imperatoria, ut ubique obliget, debet in ſingulis Provinciis publicari, & niſi alud exprimat, nonniſi poſt duos menſes a publicatione ibi facta obligat. *Novell.* 66. Idem probabilius valet de lege univerſali Papæ novum jus ſtatuente, niſi aliud exprimatur; lex enim canonica ſequitur civilem, ubi nil ſpeciale ordinat (b); eſtque identitas rationis; ideoque non obligat, niſi ſaltem æquivalenter in Diœceſi per Epiſcopum (qui melius novit, an ob ſpeciales circumſtantias ſuis expediat) ſit promulgata. Hinc. ℞. 2. Non tenetur deponere capillamentum, quia in his portandis major ratio eſt in his partibus ob frigus. ℞. 3. Si homicida meditatus non proditorius ad ſuam Eccleſiam confugiat, non tenetur extradere; quia lex Benedicti XIII. *Ex quo divina diſponente Clementia* hic non exiſtit; lex enim non debite promulgata non eſt lex: attamen for-

(a) *Vid. Num.* 3. (b) *Vid. Num.* 4.

forte poterit; quia oppoſita eſt vere probabilis. ℞. 4. Partem ſtipendii retinere non poteſt; non enim remittitur plene liberaliter, ſed ex metu, ne deinceps non dentur ſtipendia. Papa hoc damnando non ſtatuit jus novum, ſed tantum declarat jus naturale vel divinum hactenus non ita cognitum aut declaratum. Ex his patet reſponſio *ad ult.*

Caſus III. Berta conjugata 1. ſolet diebus Veneris prolibus ſuis dare carnes reſiduas. 2. Filio fatuo diebus feſtivis opera ſervilia imponit, & ſæpe tot, ut ad blasphemias incitet; virum nuper vino cremato ebrium in feſto domi incluſit, ut Miſſam non audiret. *Q. Quinam obligentur legibus, an & qualiter peccet Berta?*

℞. 1. Legibus humanis per ſe & directe obligantur ſoli ſubditi ratione utentes (a); hinc legislator abſolutus nonniſi indirecte ex æquitate naturali per ſe ſub veniali tantum obligatur ſuis legibus; ideo V. G. Papa non legens horas Clerici ſe non conformantes legibus civilibus, per ſe non peccant graviter: infideles non obligantur legibus Eccleſiæ, bene tamen hæretici. ℞. 2. Prolibus ante completum ſeptennium licite dat carnes; nondum enim illas obligat Eccleſia quæ attendit ad id, quod communiter fit. Poſt ſeptennium, ſi ratione utuntur (quod in dubio præſumitur) peccat graviter; jam enim tenentur ſervare leges ſuæ ætati accommodatas. Fatuum incitando ad blasphemias peccat; eſt enim ſubjectus legi naturæ, eſtque blasphemia objective mala. Imponendo opera ſervilia non peccat; non enim ſubditur legi humanæ. Virum plene ebrium prudenter incluſit; non quod deobligaretur audire Miſſam, ſed quia non poterat præcepto ſatisfacere (b).

(a) *Vid. Num.* 8. & 9. (b) *Vid. Num.* 10. & 11.

Caſus IV. Decanus ruralis celebrato nuper Capitulo menſæ præſidet, cumque duo de congregatis mutuis ſe contumeliis afficerent, jubet eos tacere; cumque non parerent, jubet abire; demum, cum neglectis ejus juſſis perſiſterent, dictat ſingulis mulctam unius aurei caſſæ capitulari inferendam, altero die mittit, qui eam exigat, ſed illi renuunt ſolvere, dicentes, officium Decani tantum eſſe referre ad Ordinarium, ſiquid habeat. *Q. An fuerint obligati obedire & ſolvere mulctam.*

℞. Fuiſſe obligatos ad utrumque: competit enim Decano jurisdictio in ſuos Capitulares in rebus minoribus, cum ſit Vicarius Epiſcopi forenſis; graviora autem debet referre ad Epiſcopum.

Caſus V. Nobilis habet filium nondum ſeptennem, ſed valde aſtutum, qui quandoque graviter iraſcitur, & blaſphemat, quem pater deſuper non reprehendit, cogitans eſſe puerum. *Q. quibus legibus obligetur iſte filius, & qualiter peccet?*

℞. Non obligatur quidem humanis, bene tamen divinis poſitivis; hinc dum graviter peccat, tenetur confiteri, tenetur elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis: non tenetur abſtinere a carnibus, nec intereſſe Miſſæ, quamvis aſſuefieri talibus, ſi aliud non obſtet, conveniat. Peccant igitur graviter ambo; filius blaſphemando, pater non reprehendendo.

Caſus VI. Titius 1. tempore quadrageſimæ vadit in pagum vicinum Diœceſis Leodienſis, in qua eſt diſpenſatum, ut ibi carnes comedat: 2. anno ſequente, cum diſpenſatum ſit in Colonienſi, non Leodienſi, negotii cauſa illuc veniens carnes ſibi (ut putat) permiſſas jubet parari: 3. volens contrahere matrimonium cumBerta, obſiſtentibus parentibus ideoque nolente Parocho aſſiſtere vadit in Saxoniam, ubi (ut

(ut audit) ſine Parocho contrahitur. *Q. An & qualiter peregrini obligentur legibus particularibus? & quid ad caſum?*

℞. 1. Peregrini regulariter & per ſe non tenentur legibus particularibus locorum, per quæ tranſeunt, cum non ſint ibi ſubditi (a): tenentur tamen legibus communibus, licet in ſuo territorio non ſint receptæ; quia hoc tantum concernit locum; nec obligantur legibus ſuæ patriæ, ſi alibi ſint, ubi hæ non vigent; quia ſtatuta localia non extenduntur ultra territorium ſtatuentis, & lex afficit locum, modo non tantum Phyſice, ſed & moraliter abſint: aliud eſt de præcepto particulari, quod afficit perſonam, eamque comitatur. ℞. 2. *In* 1. Licite fecit; utitur enim jure ſuo. In 2. Peccat graviter; quia lex jejunii eſt communis, ad quam tenetur, licet in ſuo domicilio per privilegium, diſpenſationem, vel contrariam conſuetudinem ſublata ſit; deinde ſimilis diſpenſatio localis eſt, non perſonalis. *In* 3. Matrimonium eſt invalidum, ſi ideo vadat mox reverſurus: quia caſus eſt ſpecialiter exceptus.

Caſus VII. Epiſcopus Titio Clerico de nimia cum monialibus familiaritate accuſato graviter inhibet, ne ullam alloquatur: dein præter alia mandat, ut per octiduum in quodam monaſterio ſervet exercitia ſpiritualia. Primum non curat Titius cogitans ſe nil mali agere, aut ſaltem eſſe rem levem, imo ſemel clauſuram parumper ingreſſus eſt: ſecundum nolens volens facit, ſed tempus otioſe perdit, nil ſpeciale facit, ſaltem meditationem non inſtituit, cogitans actum internum non poſſe præcipi.

Q. 1. *Quæ ſit materia legis humanæ?* 2. *quæ gravis:* 3. *quid ad caſum?*

(a) *Vid. Num.* 13. 14. & 15.

℞. *Ad* 1. Materia legis *affirmativæ eſt* actio humana ſaltem negative honeſta conducens ad bonum commune. *Negativæ* eſt omiſſio etiam involuntaria ſaltem negative honeſta &c. (a) Legi tantum *directivæ* & interne *coactivæ*, ad quam non requiritur poteſtas cognoſcendi, ſubjacet actus etiam mere internus. ℞. *Ad* 2. *Gravis* eſt, quæ vel in ſe eſt magni momenti, vel ex circumſtantiis multum conducit ad finem gravem a legislatore intentum, ideoque ſi vel finis non ſit magni momenti, vel materia ad talem finem non multum conducat, cenſeri debet *levis*, eſtque obligationis gravis incapax. (b) ℞. *Ad* 3. Peccavit graviter alloquendo; quia ſupponere debet, Epiſcopum habuiſſe gravem cauſam ſibi notam. Quoad ingreſſum præciſe, ſi unum vel alterum pedem tantum intulerit, ſtatimque receſſerit, non peccavit graviter; eſt enim parvitas materiæ; alias peccavit graviter, & incurrit excommunicationem ex ſtylo curiæ reſervatam. *Ad ult.* quia materia in morali æſtimatione cenſetur gravis, ideo præſumitur Epiſcopus obligaſſe graviter, & licet probabile ſit, non poſſe præcipere actum mere internum; quia tamen oppoſitum eſt etiam ſaltem probabile, poſſeſſio eſt pro Superiore (c). *Deinde* præcipiendo exercitia ſpiritualia, ſine dubio voluit obligare ad legendos libros ſpirituales, examen conſcientiæ, & ſimiles actus, qui a ſimilibus fructuoſe fieri ſolent, & debent, quia ſunt actus mixti.

Caſus VIII. Titius muſicus 1. duas Miſſas, unam ex voto, alteram ex præcepto Confeſſarii audit die feſto, totus circa muſicam occupatus, ut non ſciverit Miſſas privatas legi, donec ad *Sanctus* audiſſet campanulam, nec de voto, nec de pœnitentia cogitans. 2. Tem-

(a) *Vid. Num.* 16. (b) *Vid. num.* 21. & 22.
(c) *Num.* 17. & 18.

2. Tempore paſchali confitetur, & communicat ex ſola devotione, nolens per hoc ſatisfacere præcepto, cui poſtea vult ſatisfacere; quod tamen omittit. 3. Pro impetranda pace princeps præceperat jejunium, ipſe jejunat, quia nihil habet, quod manducet, vel ex mera avaritia. *Q. Qualiter debeat impleri lex? & quid ad caſum?*

℟. 1. Ut ſatisfiat præcepto affirmativo, requiritur intentio ponendi actum (a); præceptum enim debet impleri humano modo; hinc Miſſas, quas non ſcivit legi, non audivit. ℟. 2. Si ſine ulla devotione ſe habuit, ita ut ſe non reflexerit ad Miſſas privatas, non audivit illas; quia non adfuit aſſiſtentia devota; ſecus ſi ad partes ſaltem principales attenderit. ℟. 3. Quod de voto non cogitaverit, nihil refert, modo ad Miſſam attenderit; aliud eſt de pœnitentia; eſt enim pars integralis Sacramenti; hinc implenda eſt cum reflexione aliquali ad illud. Dum autem vovit audire Miſſam, aut ei hæc injungitur, intelligitur de Miſſa diſtincta. ℟. 4. In 2. non peccavit, niſi forte contra conſcientiam; jam enim poſuit actum præceptum. ℟. 5. Quod nil habuerit ad manducandum, nil obeſt, ſecluſo affectu malo, quia præcepta negativa nonniſi omiſſionem actus petunt: quod ex avaritia, quoque non obeſt; quia præſtat opus perfectum.

Caſus IX. Cajus non tantum vectigalia defraudare ſolet, ſed & contra legem ſub pœna graviſſima prohibentem venationem venatur; dumque propter hæc & alia furta damnaretur ad mortem, amicis ſuadentibus & inſtrumenta præbentibus & adjuvantibus, disruptis vinculis infregit carcerem, cuſtodem ad ſe ingreſſum enormiter percuſſit, & ſic aufugit. *Q. Quomodo obliget lex pœnalis?*

M 4 ℟. 1.

(a) *Vid. a Nro.* 24. *ad* 29.

℟. 1. Lex pure pœnalis obligat ad ſolam pœnam; (a) quam, ſi non ſit gravis, reus per ſe ipſum exequi tenetur; non tamen pœnam, V. G. mortis, ut a cibo abſtinere, &c. Pœna etiam latæ ſententiæ requirit ſententiam declaratoriam criminis aut pœnæ, ſi agatur de perdendo jure acquiſito, ut eſt privatio officii, vocis activæ & paſſivæ; nimis enim durum eſt ſe ſpoliare jure poſſeſſo, & incertæ eſſent electiones plurimæ: non, ſi agatur de jure acquirendo, de cenſuris, impedimentis matrimonii &c. ℟. 2. Si leges ſimiles ferantur verbis præceptivis immediate directis ad ſolutionem vectigalis, & conſtet de juſtitia, peccat graviter defraudando: ſi verbis indifferentibus, ſunt mere pœnales; niſi aliud conſtet. Contra prohibitionem venando non peccavit graviter aliquot V. G. cervos capiendo in loco aperto, ſi tamen periculo ſe temere expoſuit, aliunde peccare potuit. Effringendo carcerem non peccavit; quia præceptum ibi manendi ſuperat humanam infirmitatem; ideo alter poterat licite ſuadere fugam, præbere inſtrumenta, non proxime cooperari ad effractionem; ſic enim periret carceris ſecuritas. Miniſter juſtitiæ nequidem conſulere poteſt; quia ipſius eſt curare, ut reus in carcere detineatur. Ex cuſtodis manibus poterat ſe extricare, non autem illum graviter percutere, aut vim inferre; hoc enim eſt poteſtati publicæ reſiſtere.

Caſus X. Parochus invenit moribundum ſenſibus deſtitutum: 2. tam graviter infirmum, ut vix confiteri poſſit: 3. infectum peſte, cujus confeſſionem ſi audiat, timet infectionem. Q. 1. *Quomodo excuſet impotentia? 2. Quid facere debuerit Parochus? 3. Quæ Sacramenta cum periculo mortis miniſtrare?*

℟. 1.

(a) *Vide a Nr.* 33.

℟. 1. Lex naturæ obligat ad moraliter impoſſibile; ſic teneor potius eligere mortem, quod eſt moraliter impoſſibile, quam ullum peccatum. Leges poſitivæ etiam quandoque ſic obligant, dum ſcilicet requirit bonum commune, vel adeſt alia cauſa graviſſima; his præciſis non obligamur ad impoſſibile moraliter; talis enim lex exponeret nos certis periculis peccandi: quanta autem difficultas excuſet a lege, pendet a judicio prudentum. ℟. 2. Quilibet ex charitate, parochus proprius ex juſtitia ſimul tenetur abſolvere moribundum ſenſibus deſtitutum, licet nullum poſſit exprimere peccatum; hoc enim exigit neceſſitas: modo det, aut proxime dederit ſigna doloris in ordine ad abſolutionem, quod præſumitur de quolibet Catholico taliter conſtituto, licet Confeſſarius non diſtincte percipiat illud ſignum, prævie tamen acclamandi ſunt actus doloris, & petendum ſignum, ſi tempus patiatur. ℟. 3. Infirmus non tenetur cum gravi ſuo incommodo confiteri integre, nec Parochus cum periculo infectionis audire: adeſt enim impotentia moralis. ℟. 4. Parochus non tantum baptismum, pœnitentiam, ſed & euchariſtiam tenetur ſuis miniſtrare cum periculo vitæ; adeſt enim gravis neceſſitas, cui ille ex officio ſuccurrere tenetur.

Caſus XI. Cajus mercator petit ab Ordinario ſecum diſpenſari in jejunio, ſed cum ille neget, ſcribit Romam allegans debilitatem ſtomachi, & nauſeam piſcium; quare diſpenſatus fuit, dubitat tamen de valore; tum quia non expreſſerat hoc ſibi negatum eſſe ab Ordinario; tum quia non videtur ſibi ſatis infirmus, aut jam convaluiſſe. Q. 1. *Quis poſſit diſpenſare in Legibus? 2. Quæ diſpenſatio ſit ſub- vel obreptitia? 3. Quid ad caſum?*

℟. 1. Diſpenſare authoritative poteſt legislator, ejus ſucceſſor, & ſuperior, (a) & quidem ſine cauſa

(a) *Vid. Num.* 52.

 valide;

valide; cum tota vis legis pendeat a voluntate legislatoris, non tamen licite; ſed ſecluſo ſcandalo aut alio extrinſeco nonniſi venialiter peccant, dum ſine cauſa diſpenſant in ſua lege. Inferior non poteſt in lege ſuperioris, niſi ex hujus conſenſu vel authoritate aliunde accepta aut a jure, aut conſuetudine; hinc ſine cauſa diſpenſat invalide. ℟. 2. Confeſſarius non poteſt diſpenſare, poteſt tamen interpretari legem, & ſic infirmum exemptum declarare. ℟. 3. Diſpenſatio eſt *ſubreptitia*, dum in ſupplica tacetur aliquid, quod de jure, conſuetudine, vel ſtylo curiæ erat exprimendum: eſt *obreptitia*, ſi allegetur falſum attingens cauſam finalem. Licet autem Cajus non expreſſerit negatam ſibi diſpenſationem, non ideo eſt ſubreptitia; Papa enim abſolute diſpenſavit. ℟. 4. Licet dubitet de ſufficientia cauſæ, poteſt uti; quia in dubio præſumitur pro valore actus, pro quo eſt poſſeſſio. ℟. 5. Si ex integro convaluerit, nec ſit periculum reincidentiæ in eandem vel aliam infirmitatem, non poteſt amplius uti; quia cenſetur tacite reſtricta ad tempus infirmitatis.

Caſus XII. Cajus habens votum ſimplex perpetuæ caſtitatis propter periculum incontinentiæ & frequentes lapſus diſpenſatur, ut matrimonium contrahere poſſit; hoc antequam contrahat, peccat carnaliter cum conſanguinea, ideoque & diſpenſationem impetrat illam ducendi: antequam autem ducat, denuo cum eadem carnaliter peccat. Q. 1. *An periculum incontinentiæ ſit ſufficiens cauſa diſpenſandi in voto caſtitatis? 2. Quidſi hoc periculum precibus, jejuniis & macerationibus extraordinariis vinci poſſet? 3. An Cajus poſt diſpenſationem adhuc peccaverit contra votum? 4. An contra pietatem ob conſanguinitatem?*

℟. *Ad* 1. Si periculum ſit grave ortum ex fragilitate carnis aut vehementia paſſionis, oratione & jejunio &c. non facile vincibile, eſt cauſa ſufficiens: non, ſi oriatur ex neglectu mediorum ordinariorum ſervandi caſtitatem. *Ad* 2. Adhuc diſpenſatur valide; quia periculum eſt, ne etiam ob fragilitatem in iſtis mediis extraordinariis adhibendis deficiat. *Ad* 3. Peccavit contra votum, ſive contra caſtitatem peccaverit ante matrimonium, ſive in matrimonio V. G. ſe polluendo, vel etiam cum propria uxore ſodomiam exercendo &c. quia vinculum voti, quod eſt juris divini, tantum tollitur ad licite ineundum matrimonium & hujus uſum licitum. *Ad* 4. Non peccavit contra pietatem, quia vinculum morale conſanguinitatis jure Eccleſiaſtico matrimonium dirimens tollitur ſimpliciter, cui acceſſoria eſt lex prohibens copulam ex motivo pietatis inter conſanguineos. Sic dum Tridentinum ſtatuit, ut quintus gradus non amplius dirimat, copula in quinto gradu non eſt amplius inceſtuoſa.

Caſus XIII. Titius mercator 1. vino aquam miſcet: 2. in menſura & pondere emptores decipit, cogitans, hæc ſibi licere quia eſt praxis communis aliorum, qui ad ſe indemnizandos (ut ajunt) ita practicant. 3. Veniens Ambſtelodamum carnes cum cæteris comedit diebus vetitis; quia putat legem Eccleſiaſticam abſtinentiæ ibi contrario uſu & præſcriptione abrogatam. Q. *Quid de conſuetudine? Et quid ad caſum?*

℟. *Ad* 1. Conſuetudo facti poteſt legem novam inducere, modo ſit de re honeſta, & accedat conſenſus legislatoris ſaltem juridicus, fueritque a majori parte communitatis inchoata aut continuata animo inducendi obligationem; poteſt & legem abrogare, niſi ſit jure reprobata, aut conſtanter a Principe contradica-

dicatur. (a) ℞. *Ad* 2. Praxis illa mercatorum corruptela eſt; cum enim regulariter pretia rerum juſte ſint taxata, peccant contra juſtitiam cum onere reſtitutionis; ſecus, ſi de iniquitate taxæ certo conſtaret. Similiter peccavit graviter comedendo carnes; hæretici enim per Baptiſmum ſunt ſubjecti legibus Eccleſiæ, eorumque conſuetudo violandi etiam per mille annos continuata nequit abrogare præcepta Eccleſiæ, cum ei continuo reclametur.

Caſus XIV. Sartor tribus famulis ſuis hæreticis præcipit, ut per horam laborent die feſto in conficienda veſte aliqua non neceſſaria: pictor diebus feſtis pingere ſolet: monialis iisdem diebus occupari ſolet conficiendis Scapularibus, quandoque etiam floribus ſericis. *Q. An, & qualiter hi peccaverint; & quid his dicet Confeſſarius?*

℞. *Ad* 1. Quod famuli fuerint hæretici, non juvat; nam & hi obligantur legibus Eccleſiæ. 2. Si præceperit, ut laborent ſimul, non peccavit mortaliter, ſecluſo ſcandalo; quia non eſt una gravis inhonoratio feſti; ſi ut ſucceſſive, probabilius peccavit mortaliter: quia fuit cauſa, ut per notabilem partem laboraretur die feſto. *Ad* 2. Pingere probabilius eſt opus ſervile; quia non minus, quam ſculpere aut acu pingere, eſt opus corporale immediate ordinatum ad artefactum ſenſibile: ſi tamen perſuaderi non poſſit, ut abſtineat, moneat de probabilitate ſententiæ oppoſitæ, ne cum remorſu conſcientiæ pingendo peccet: deinde non fiat publice, nec colores terat, aut alia craſſiora faciat; hæc enim indubie ſunt ſervilia. *Ad* 3. Si per multas horas faciat, peccat graviter; quia hic labor non minus quam ſartorum ſervilis eſt; nec excuſat motivum pietatis aut religionis; quia remote tantum ad eam pertinent.

(a) *Vid. a Nro.* 59. *ad* 62.

Caſus XV. Puer 1. annorum decem diebus feſtis ſub ſacro, quod audit valde invitus metu præceptoris, nugatur, & garrit. Secundus ſub illo audit concionem. Tertius occupatur colligendis eleemoſynis vel candelis per Eccleſiam accendendis. Quartus ſero venire ſolet; dumque eſt ad januam Eccleſiæ, audit conſecrationem mox peractam, ideo revertitur. *Denique* quintus veniens ad *ſanctus* manet ad finem, ex poſt usque ad *ſanctus* miſſæ ſubſequentis. *Q. Quos obliget præceptum audiendi miſſam? quomodo audienda? & quid ad caſum?*

℞. 1. Obligat ſub mortali omnes fideles uſum rationis habentes, quod in pueris regulariter præſumitur poſt completum ſeptennium. (a) 2. Requiritur intentio ſaltem implicita & exercita colendi Deum (b): præſentia corporalis & moralis, attentio ſaltem externa, imo & interna, & auditio integræ miſſæ. 3. Si per notabile tempus garriat, præſertim ſub partibus principalioribus, peccat graviter (c); ſæpe tamen non ita apprehendunt. Præceptores attendere debent, & facere, ut aliam miſſam audiant. 4. Si habuerit hunc actum: nollem audire, niſi timerem, peccat graviter; quia tamen metus non tollit voluntarium, ex hac parte adhuc ſatisfecit. Secundus & tertius ſatisfaciunt, ſi ſimul attendant ad illud, quod in ara agitur. Quartus potuit peccare graviter, licet caſu ſat mature venerit, ſi per negligentiam expoſuerit ſe periculo multum ſero veniendi; de quo ſimiles ſunt interrogandi: (d) tenebaturque audire reliquam partem; eſt enim notabilis pars ceremoniæ ſacræ ab Eccleſia præſcriptæ. Quintus non ſatisfacit: quia Eccleſia obligat ad audiendam miſſam, quæ ſit integrum & totum ſacrificium; quod hic non eſt.

Caſus

(a) *Vid. Num.* 68. (b) *Vid. Num.* 69.
(c) *Vid. Num.* 70. (d) *Vid. Num.* 71.

Caſus XVI. Berta 1. ſervit accatholico, qui ipſam impedit a miſſa audienda. 2. Catholico, ubi pariter ſæpe miſſam omittit, vel ſaltem ſero venit: labores enim peragere non poteſt, niſi maturius ſurgeret, quod non facit. 3. Alibi ſervit cum alia ancilla, cumque una debeat domum cuſtodire, illa quaſi ſemper permittit ire aliam. *Denique* Pater Bertæ advertens filiam male converſari cum juvene; hinc dum eam ad Eccleſiam comitari non poteſt, nec permittit ire, ne ſeducatur. *Q. Quæ ſint cauſæ excuſantes? Et quid his dicet Confeſſarius?*

℞. 1. Excuſat impotentia phyſica, moralis, conſuetudo (a). 2. Si Bertam impediat in odium fidei, non poteſt obedire; quia intrinſece malum. 3. Si impediatur ex juſta cauſa, quia occupatur miniſterio, non tenetur ideo deſerere; quia tale ſervitium ex ſe eſt licitum: ſi ſine juſta cauſa frequenter, tenetur, quamprimum commode poteſt, abire. Idem eſt de iis, quos ſutores, ſartores & ſimiles in ſabbatis V. G. poſt duodecimam frequenter cogunt ſine juſta cauſa laborare. Non autem tenetur abire cum jactura ſalarii: hoc enim eſt damnum notabile; modo abſit periculum perverſionis: nec ſi ab alio acciperet tantum dimidium illius, quod accipit ab acatholico; quia tam parva ſolent dari ſalaria, ut, ſi dimidium minuatur, quaſi ſeminudi incedere debeant. Interim debent jam ante paciſci, ut liceat ſatisfacere præceptis Eccleſiæ. Si non frequenter fiat, excuſantur, ſi detrectare nequeant ſine gravibus V. G. rixis. 4. Non tenetur ideo detrahere de ſomno ordinario & moderato: attamen differre laborem poſt miſſam. In 3. debent alternare; ſi tamen ſubinde ex pigritia permittat aliam ire, peccat venialiter. 5. Patri dicatur: ut, ſi non poſſit perſonaliter ducere & reducere, ut committat alteri amico;

(a) *Vid. Num.* 72.

co; ſicque evitabitur periculum ſeductionis. Interim in pœnam juſtam delicti poteſt pater filio negare veſtes, & Dominus ſervo prohibere egreſſum detinendo domi, licet per accidens non audiant miſſam; habent enim jus corrigendi, & non intendunt niſi emendationem.

Caſus XVII. Cajus ventrem in prandio replet cibis, ut 1. veſperi non habeat difficultatem in jejunando, & 2. plus poſſit ſumere in collatione ſcilicet quartam partem: nihilominus 3. ſemper in hac excedit: 4. bibit cereviſiam craſſam per diem, ut non ſentiat famem. *Denique* ſemel ter in die jejunii ad ſatietatem comedit, imo veſperi uxori mandavit, ut comederet. *Q.* 1. *Quid judicandum de Cajo.* 2. *Quomodo examinandus, qui de fractione jejunii ſe accuſat?*

℟. 1. Propter primum non frangit jejunium; quia implet ſubſtantiam Præcepti, utpote unica refectione contentus, licet contra temperantiam peccet. *Nec obſtat:* quod non obtineatur finis præcepti, ſcilicet maceratio; hic enim ſub præceptum non cadit. *Ad* 2. Non poteſt quartam partem ſumere illius, quod in prandio ſumpſit; dum enim permittitur quarta pars cœnæ, intelligitur de cœna competente ſecundum leges temperantiæ, non de illa, qua venter impletur, & lex temperantiæ notabiliter exceditur. *Ad* 3. Si non niſi duas uncias ultra juſtam quantitatem ſumpſit, non peccavit mortaliter; quia non reputatur exceſſus gravis. *Nec obeſt*, quod ſæpe faciat; quia fractiones diverſis diebus factæ non uniuntur. *Ad* 4. Non peccavit contra legem jejunii. (a) *Ad* 5. Non ſufficit dicere: *Non jejunavi;* quia bis peccavit graviter: mandando uxori, ſi hæc excuſata non fuerit, peccavit graviter, nec illa poterat obedire, niſi blaſphemias timeret,

(a) *Vid. Num.* 74.

meret, aut graves diſcordias; tunc enim non cenſetur Eccleſia obligare.

℞. 2. Interrogari debet: 1. an carnes comederit? 2. an ſecundam refectionem ſumpſerit, & ſi hoc, an putaverit ſe excuſatum, & quare? An apprehenderit peccatum grave? An non alio titulo ad jejunium obligetur? Qui in Paſchate ſe accuſat de non ſervato jejunio in quadrageſima, interrogetur de annis prioribus, & ſi conſuetudinarium inveniat, nec det ſigna ſpecialia, imponat jejunia, & non prius abſolvat, niſi jejunando, probet propoſiti efficaciam.

Caſus XVIII. Cajus laborat per diem, ſed quia robuſtus eſt, non defatigatur: Titius econtra multum defatigatur ex labore, ex quo alii defatigari non ſolent; dumque ob infirmitatem diſpenſatus eſſet in quadrageſima in eſu carnium, comedit carnes porcinas (ut audit) nocivas, attamen circa finem quadrageſimæ videtur ſibi plene convaluiſſe. Q. 1. *Quæ ſint cauſæ excuſantes a jejunio? 2. An Cajus tenebatur jejunare? 3. Quid ſi aliquot diebus non laboret? 4. Quid de Titio?*

℞. *Ad* 1. Cauſæ a jejunio excuſantes ſunt: diſpenſatio legitima, impotentia moralis, & omnis labor honeſtus cum jejunio incompoſſibilis. *Ad* 2. ſi labor de ſe excuſet, non tenetur; quia lex non comprehendit exercentes opera laborioſa. *Ad* 3. licet uno vel altero die non laboret, non tenetur jejunare; quia labor præteritus & futurus eximit: ſi tribus vel quatuor, per ſe teneretur; tunc enim labor non eximeret. Titius excuſatur: quia ſufficit, quod ille per laborem multum defatigetur ob ſuam complexionem debilem, ſi ſimpliciter ſit diſpenſatus in eſu carnium, non peccat comedendo porcinas; eſt enim ſimpliciter exemptus, & forte ipſi proſunt, ſi magnus ad eas ſit appetitus, & mo-

modice ſumat: ſi conſtet plene convaluiſſe, ceſſat diſpenſatio. *Vide Nrum.* 54.

Caſus XIX. Cajus gravibus peccatis oneratus a multis annis non eſt confeſſus, licet prævideri periculum obliviſcendi multa, & ſemel graviter infirmatus fuerit: nuper confeſſus eſt, ſed ſine vero dolore. Uxor ejus ob diſpenſationem juſſa ſingulis menſibus confiteri, quod & vovit, attamen quandoque omiſit; modo proxima partui non confitetur, cogitans necdum adeſſe periculum. Q. *Quando obliget præceptum confeſſionis? & quid ad caſum?*

℟. *Ad* 1. Præceptum divinum Confeſſionis omnium mortalium, quod colligitur ex illo *Joan.* 20. *Quorum retinueritis &c.* Obligat omnes poſt baptismum in mortale lapſos; per ſe in articulo & morali periculo mortis & aliquoties in vita: determinatur per Eccleſiaſticum de Confeſſione annua (a). ℟. 2. Non peccavit ob periculum obliviſcendi; tantum enim tenetur confiteri peccata, quæ poſt diligens examen occurrunt. Peccavit graviter omittendo in periculoſa infirmitate; confitendo ſine vero dolore commiſit grave ſacrilegium, ſimul non implevit legem Eccleſiaſticam nec divinam. ℟. 3. Omittendo injunctam a ſacra pœnitentiaria confeſſionem etiam peccavit graviter, licet nonniſi venialia habeat. Idem eſt de debita ex voto, de injuncta a Confeſſario; quia hæc ſe habent per modum legis, quæ de Confeſſione obligat graviter. ℟. 4. Si ſit primus partus, præſertim ſi ipſa ſit complexionis teneræ, vel, ſi in prioribus fuerit periculum, vel modo ex certis circumſtantiis judicetur prudenter adeſſe, tenetur confiteri, nec poteſt differre usque ad partum; quia in his anguſtiis non ſolent eſſe diſpoſitæ ad rite confitendum.

(a) *Vid. Num.* 81.

Caſus XX. **B**erta ante Paſcha partui proxima, quia periculum timet, ſumit Sacramenta; tempore paſchali nondum introducta in Eccleſiam dubitat, an communionem ſumere debeat. 2. Ejus maritus in quadrageſima profecturus ad partes infidelium, dubitat, an ibi detur occaſio communicandi. 3. Proficiſcitur Francofurtum, ubi communicare poterit, dumque 4. In Dominica in Albis ibi confitetur, Confeſſarius de ipſius diſpoſitione prudenter dubitat, tamen ſub conditione abſolvit, ut præcepto paſchali ſatisfaciat. *Denique*, cum anno ſequenti in parochia manens communicare negligat, a Parocho jubetur expelli ab ingreſſu Eccleſiæ. Q. 1. *Quos & quando obliget præceptum Eccleſiæ de communione? 2. An Berta debuerit de novo communicare? 3. An ejus maritus prævenire? 4. An bene egerit Confeſſarius? & An bene Parochus?*

℟. *Ad* 1. Obligat omnes baptizatos, ubi ad annos diſcretionis pervenerint circa feſtum paſchatis ſingulis annis (a). Excommunicati tenentur in hunc finem petere abſolutionem; tenentur enim vi hujus præcepti mundare conſcientiam; ergo tollere vincula. Simile non eſt juxta alios de audienda Miſſa die feſto. *Ad* 2. tenebatur vel domi intra tempus paſchale, vel curare tempus extendi, quod ex rationabili cauſa poteſt Parochus, imo & Confeſſarius; eſt enim lex nova, cui per priorem communionem non ſatisfecit. *Ad* 3. Si iſto anno nondum communicaverit, tenetur prævenire; præceptum enim dicit duo: unum de communicando ſemel in anno, & quidem in parochia; alterum de communicando in Paſchate, alia vice nec prævenire tenebatur, nec petere licentiam alibi Paſcha celebrandi, poteratque peregrinus Francofurti communicare, ubi volebat; attamen ubi licentiam non petit, manet obli-

(a) *Vid. Num.* 85.

obligatio ſemel communicandi in parochia. *Ad* 4. male fecit, poterat enim, & debebat prolongare tempus, ut ſe diſponeret. Parochus etiam male fecit; cum enim hæ pœnæ ſint ferendæ ſententiæ, ipſeque careat jurisdictione in foro externo, requiritur commiſſio Ordinarii.

DISSERTATIO IV.

DE CONSCIENTIA.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Conſcientia.

(1) *D.* 1. Conſcientia proprie (prout hic de ea agimus) eſt judicium ſeu dictamen intellectus practicum dictans, quid hic & nunc agendum ſit vel omittendum, ut vel præceptum, vel prohibitum, vel permiſſum, licitum vel illicitum. *Dr. Dictamen;* quia conſcientia eſt quædam intimatio legis æternæ, a qua omnis honeſtas derivatur, ut a prima regula moralitatis. *Dr. Intellectus;* quia conſcientia pertinet ad intellectum, non voluntatem, ut aliqui putant; eſtque *juxta D. Thomam* quaſi concludens ſcientia, quatenus ex principiis univerſalibus concludit in particulari, quid agendum vel omittendum ſit hic & nunc, hoc eſt: penſatis omnibus circumſtantiis, ſub quibus actio executioni eſt mandanda.

Reſ. 1. Triplex eſt actus intellectus practicus: Primus eſt, quo aſſentimur principiis univerſaliſſimis agibilium, V. G. bonum eſt faciendum, malum fugiendum; hic actus producitur a ſintereſi, quæ eſt habitus primorum principiorum practicorum inclinans ad aſſentiendum principiis univerſaliſſimis practicis. Se-

cundus eſt judicium univerſale ex his principiis deductum; V. G. ergo commodatum eſt reſtituendum, vocaturque judicium ſpeculativo - practicum; quamvis enim ſit de agendis, non tamen de agendo hic & nunc; adeoque non eſt proxima regula actionis humanæ; actiones enim ſunt ſingularium, produciturque vel ab habitu fidei vel Theologiæ moralis, vel Ethicæ, prout eſt motivum. Tertius eſt judicium particulare, quo judicamus omnibus ponderatis hic & nunc aliquid agendum V. G. huic homini furioſo non eſſe reſtituendum gladium commodato acceptum; vocaturque judicium practico - practicum elicitum a prudentia, & eſt ipſa conſcientia.

Reſ. 2. Hoc judicium: non licet furari, mentiri, in die feſto audiendi Miſſam, &c. non eſt conſcientia; quia non dictat, quid hic & nunc penſatis omnibus circumſtantiis ſit faciendum vel omittendum.

Reſ. 3. Conſcientia primario verſatur circa actiones futuras: 2dario etiam circa præteritas, quatenus in actuali opere vel ex poſt rem bene geſtam approbat, male geſtam redarguit, cauſatque inquietudinem ob male geſta, quæ vocatur remorſus conſcientiæ & vermis, diciturque conſcientia conſequens; ſed hæc per ſe attendenda non eſt, prima enim ſive ſola antecedens eſt regula, a qua proxime derivatur bonitas vel malitia actionis.

(2) *D.* 2. Conſcientia varie, ſed minus proprie dividitur. 1. Ex parte *objecti* alia eſt *recta* ſive *vera*, & eſt dictamen ex principiis practicis veris rite applicatis dictans aliquid eſſe præceptum vel licitum, aut econtra, quod revera tale eſt: alia *erronea* ſeu *falſa*, quæ ex uno ſaltem principio falſo dictat eſſe licitum, quod eſt illicitum, aut econtra V. G. Actus charitatis eſt bonus & licitus; ſed mentiendo pro conſervanda vita proximi exerceo actum charitatis; ergo licet mihi modo mentiri. *Er-*

ronea

ronea alia eſt *invincibilis*, dum error morali diligentia vinci non potuit, aut veritas inquiri; quia erranti vel nulla incidit cogitatio de errore, aut quod non deberet inquirere, vel non habuit, quem interrogaret: alia *vincibilis*, dum hoc incidit, & tamen debitam diligentiam non adhibuit, *prout alibi de ignorantia dictum eſt.*

Obſ. 1. Conſcientia *recta* alia eſt *recta* vel *vera phyſice*: quæ enunciat de ſuo objecto, ut vere a parte rei eſt: *erronea* vel *falſa phyſice* eſt, quæ aliter enunciat de ſuo objecto, ac revera eſt; V. G. hic & nunc pro concordia domus mentiri licet: alia *recta* & *vera ethice* vel *Theologice*, quæ dictat hic & nunc agendum vel omittendum, quod ſecundum eam conſcientiam legem Dei hic & nunc agendum vel omittendum eſt: *erronea* & *falſa* eſt, quæ dictat agendum vel omittendum, quod ſecundum legem Dei hic & nunc agendum vel omittendum non eſt. Pro quo

Obſ. 2. Conſcientia ethice recta, ſi ſit phyſice vera, dicitur & ſpeculative & practice vera, eſtque ſimpliciter vera & recta; ſi autem ſit phyſice falſa, ſed ethice vera, ut eſt conſcientia invincibiliter erronea (*de qua infra*) dicitur ſpeculative falſa, & practice vera; ethice autem erronea dicitur practice falſa, licet etſi ſpeculative vera; pro quo

Obſ. 3. Conſcientia 1. poteſt eſſe & ſpeculative & practice vera, V. G. hic & nunc honeſtum eſt ſuccurrere pauperi infirmo. 2. Poteſt eſſe & ſpeculative & practice falſa, ut ſi quis ex errore vincibili judicet hic & nunc licere mentiri. 3. Poteſt eſſe ſpeculative vera & practice falſa, V. G. ſi de tuo parente temere dicas: hic non eſt meus pater, ideoque nec a me honorandus; poſito, quod a parte rei non ſit pater, conſcientia eſt phyſice & ſpeculative vera, practice & ethice falſa; quia non eſt conformis legi Dei jubentis honorare eum, quem ſupponere debes eſſe tuum patrem.

Econtra 4. ſi de eodem dicas: hic eſt meus pater, ideoque honorandus, conſcientia eſt phyſice & ſpeculative falſa, ethice & practice vera; quia conformis eſt legi Dei jubentis honorare eum, quem ſupponere debes eſſe tuum patrem; his pro notitia terminorum notatis.

D. 3. Conſcientia ex parte *aſſenſus* alia eſt *certa*, alia *probabilis*, alia *dubia*, alia *perplexa*, alia *ſcrupuloſa*. *Certa* eſt, quæ ex principiis veris & certis dictat aliquid eſſe licitum vel illicitum, adeoque excludit prudentem formidinem de oppoſito. *Probabilis* ſive *opinativa* eſt, quæ ex motivo gravi judicat aliquid eſſe licitum vel illicitum, ſed cum prudenti formidine partis oppoſitæ. *Dubia* eſt ſuſpenſio judicii circa aliquid, an ſit licitum vel illicitum. *Perplexa* eſt, quæ judicat ineſſe peccatum utrique oppoſitorum, quorum tamen unum neceſſario fieri debet. *Scrupuloſa* eſt inanis apprehenſio peccati, ubi peccatum non eſt: *de quibus plura inferius.* Interim nec dubia, nec ſcrupuloſa eſt proprie conſcientia; cum non ſit judicium.

D. 4. Ex parte *ſubjecti* Conſcientia alia eſt *tenera*, quæ ſollicite curat vitare peccata tam levia, quam gravia: alia *laxa*, quæ ſolum curat vitare gravia; vel etiam *laxa* dicitur, quæ ex levi fundamento judicat non eſſe malum, quod malum eſt, vel eſſe leve, quod eſt grave: alia *phariſaica*, quæ magna parvi & parva magni æſtimat.

D. 5. Ex parte *modi* conſcientia alia eſt *obligans*, quæ dictat aliquid eſſe permiſſum ſine obligatione: alia *conſulens*, quæ ſuadet vel diſſuadet pro meliori eſſe.

(3) Q. *An & qualiter Conſcientia debeat eſſe certa?*

℟. Ut actus aliquis ſit honeſtus & licitus, debet Conſcientia practico-practica ſeu dictamen ultimo directivum eſſe ſaltem moraliter certum, aut bona fide

credi

credi eſſe tale, ut excludatur omnis prudens formido peccati formalis; alias ſtabit hoc judicium; forte operando pecco, ſicque operans exponit ſe periculo peccati formalis, & virtualiter contemnit legem, adeoque ultimum hoc dictamen non poteſt niti motivo probabili, imo nec probabiliori, cum ſit fallibile, *de quo infra*. Dixi: *moraliter;* quia major certitudo in moralibus ſæpe haberi nequit, nec Deus exigit niſi certitudinem humanam, quali in negotiis magni momenti contenti eſſe ſolent homines prudentes; ideoque dubium imprudens ſatis eſt contemni: ut autem aliquis actus ſit malus, ſufficit dubium practicum, vel prudens ſuſpicio de malitia actionis: *ut pluribus infra.* Attamen

Obſ. Non eſt neceſſe, me reflexe judicare, quod ſim certus, ſatis eſt operationem bona fide poni ut indubitanter licitam vel bonam, & ſic rudes facile in plurimis Conſcientiam certam habere poſſunt. Si Jacob accedens ad Liam, quam invincibiliter putabat eſſe Rachelem, ſic virtualiter diſcurrebat: licite accedo ad meam; ſed hæc eſt mea, prout ego invincibiliter puto, ergo licite accedo ad hanc; ubi Conſcientia erat practice vera, imo certa; quia major & minor certa. Hoc vel ſimili modo & nos virtualiter ac imperceptibiliter diſcurrimus, dum operamur.

QUÆSTIO II.

(4) *An & quomodo obliget Conſcientia?*

D, 1. Omnis Conſcientia ſive recta, ſive erronea, ſive vin- ſive invincibilis, aliquid præcipiens vel prohibens obligat *negative*, ne contra eam operemur, ideoque contra talem Conſcientiam non depoſitam agere, ſemper eſt peccatum ejusdem ſpeciei & gravitatis, ſicut putatur eſſe. *Excipe:* niſi hoc quod con-

conſcientia vincibiliter errans dictat veniale, in ſe ſit mortale; quia talis error non tollit gravitatem peccati. Unde qui furatur aureum, putans vincibiliter eſſe veniale, adhuc peccat mortaliter. Aliud eſt de errante invincibiliter. Ratio eſt 1. Quia (a) *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt;* hoc eſt, prout explicant SS. PP. quod eſt contra dictamen propriæ conſcientiæ. Ratio eſt 2. Quia contra conſcientiam operans vere conſentit in malum, habetque ſufficientem affectum ad malum, quod apprehenditur, licet in ſe malum non ſit: eſtque adeo intrinſece malum agere contra conſcientiam, ut nec Deus poſſit in hoc diſpenſare; quia repugnat fieri licitum, acceptare malum cognitum ut tale, utpote repugnans primo principio morali: *Malum eſt fugiendum.*

Reſ. 1. Qui putat eſſe jejunium, dum non eſt, peccat contra temperantiam, ſi non jejunet. Si percutiat laicum putans eſſe Clericum, committit ſacrilegium, & ſic de aliis; quia lex exiſtimata eſt ejusdem ſpeciei, ac lex exiſtens: non tamen incurrit pœnas Eccleſiaſticas, quas incurrit operans contra veram legem, V. G. excommunicationem annexam percuſſioni clerici; quia ſimiles pœnæ requirunt transgreſſionem legis vere exiſtentis.

Reſ. 2. Si erronee putes mentiri in aliquo caſu eſſe mortale, peccas mortaliter mentiendo, licet in ſe ſit veniale tantum.

Reſ. 3. Si conſcientia dictet aliquid eſſe malum, non cogitando nequidem confuſe: *An veniale? An mortale?* Si operans ita conſtitutus ſit, ut agere velit, ſive ſit mortale, ſive veniale, aut advertat periculum peccati gravis, peccat mortaliter; ſic enim indeterminate amplectitur mortale, & ſe illius periculo exponit. Idem eſt, ſi advertat ad obligationem gravem magis inqui-

(a) *Rom.* 14. *v.* 23.

inquirendi in veritatem, & negligat inquirere; quod maxime verum eſt apud doctores, qui obligationem inquirendi ſolent apprehendere; non ſic rudes & pueri. His præciſis, probabilius peccat tantum venialiter; quia ad mortale requiritur advertentia malitiæ gravis vel in ſe, vel in periculo. *Deinde* dum tantum apprehenditur malitia communis mortali & veniali, non apprehenditur malitia major veniali; ergo ſic operans non eſt poſitive indifferens ad utramque, ſed tantum ad illam, quæ non excedit veniale, & malitia ſic cognita eſt negative levis in ejus mente. Nec qui ſe exponit periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter, niſi tale periculum ſaltem confuſe advertat. In praxi qui non ſolet facile conſentire in mortale, præſumere poteſt, ſe non ſatis advertiſſe, niſi conſtet de oppoſito.

Reſ. 4. Agere contra conſcientiam erroneam non eſt ſpeciale peccatum; quia conſcientia nullam per ſe imponit obligationem, ſed tantum proponit obligationem alicujus præcepti aut virtutis, nec aliter peccatur contra conſcientiam, niſi quatenus agitur contra legem vere vel erronee apprehenſam exiſtere.

Reſ. 5. Ut quis contra conſcientiam erroneam agendo peccet, debet actio ipſius eſſe libera; hinc ſi conſtitutus in carcere V. G. judicet ſe peccare non audiendo Miſſam, non ideo peccat: nec peccat, qui diſtractiones involuntarias in oratione judicat eſſe peccata, quia omne peccatum requirit libertatem.

Reſ. 6. Caſum obvium: homo ſimplex ſe accuſat de omiſſione V. G. Miſſæ, dicendo ſe audire non potuiſſe, attamen judicaſſe, quod peccaret non audiendo; ſi hic abſolute audire non potuit, quia V. G. erat in loco, ubi non legebatur Miſſa, gravi morbo decubuit, &c. non peccavit; quia omiſſio non erat libera: ſi abſolute audire potuit, ſed ob juſtam cauſam non tene-

batur, & nihilominus practice judicavit ſe omittendo peccare, probabilius peccavit contra conſcientiam; quia auditio erat ipſi ſimpliciter poſſibilis, & practice judicabat ſe ad eam teneri.

(5) *D.* 2. Conſcientia recta & invincibiliter erronea præcipiens vel prohibens obligat poſitive ad ſui ſequelam, ſub peccato pro ratione dictaminis. *Ratio eſt:* quia voluntas tenetur ſe conformare regulæ proximæ actionum humanarum, aliquid præcipienti vel prohibenti. *Denique* voluntas noſtra eo modo tenetur obedire legibus, quo ipſi per intellectum repræſentatur earum obligatio; hinc non tantum legi veræ, ſed & exiſtimatæ, quamdiu durat hæc exiſtimatio, licet a parte rei non ſit, tenetur obedire.

Reſ. Qui invincibiliter judicat ſe hic & nunc ſub peccato mortali teneri ex charitate mentiri ad conſervandam alterius vitam, tenetur mentiri, & non mentiendo peccat contra charitatem.

Ob. 1. Conſcientia, quam ſequi poſſum, debet eſſe vera & certa; atqui erronea etiam invincibilis non eſt talis; ergo. ℟. *d. M.* debet eſſe vera & certa & ſpeculative & practice. *n.* ſaltem practice. *c.*

Ob. 2. Conſcientia in tantum obligat, in quantum derivatur a lege æterna Dei, ſed ab hac non derivatur erronea, nam dictat oppoſitum illius, & a lege per eſſentiam vera nequit derivari judicium falſum; ergo. ℟. *d. M.* a lege æterna vel in re vel in exiſtimatione. *c.* præciſe in re. *n.* derivatur ab illa exiſtente invincibiliter in exiſtimatione. Dictat oppoſitum & ſcitur eſſe oppoſitum, *n.* non ſcitur invincibiliter. *c.*

Inſt. 1. Vel ergo obligat virtute propria vel virtute legis divinæ? Non primum, quia non eſt regula prima morum: nec ſecundum, quia Deus obligaret ad malum V. G. mendacium, nec Deus poteſt eſſe cauſa erroris. ℟. Obligat virtute præcepti divini naturalis

turalis generaliter prohibentis agere contra hoc, quod eſt aut putatur eſſe a Deo præceptum vel prohibitum. *Deinde* vi virtutum particularium, prout conſcientia dictat, Deus non obligat ad mendacium, ſed obligat ad hoc, quod conſcientia dictat, ſcilicet ad obediendum ei, quod per modum legis proponitur. Nec Deus eſt cauſa erroris; ſed ſuppoſito errore vult, ut faciamus, quod putamus a Deo præcipi.

Inſt. 2. Nequit eſſe obligatio ad intrinſece malum; mendacium eſt tale; ergo. ℟. *d. M.* cognitum ut tale *c. M.* materialiter & exiſtimatum ut præceptum *ſubd.* obligatio per ſe *c.* per accidens *n.*

(6) *D.* 3. Actus, qui fit juxta conſcientiam invincibiliter erroneam, eſt poſitive honeſtus, moraliter bonus ea bonitate, ſub qua obligabat conſcientia. *Prob.* Actus humanus ſumit ſuam bonitatem & malitiam ab objecto non ſecundum ſe, ſed ut proponitur per intellectum; ergo ſi mendacium invincibiliter proponatur ut bonum, obligatorium ex charitate, voluntas illud amplectendo facit actum charitatis. Sic reditio debiti conjugalis, dum matrimonium erronee invincibiliter creditur eſſe validum, eſt actus formalis juſtitiæ. *Deinde* talis actus non eſt moraliter malus, ut concedis, nec eſt moraliter bonus, nec admittis actum indifferentem in individuo, qualis ergo erit?

Ob. Qui invincibiliter judicat aliquid eſſe revelatum a Deo, ſi a parte rei non ſit revelatum, non habet actum fidei: ergo nec hic actum honeſtum. ℟. *n. c.* motivum fidei eſt authoritas Dei per revelationem re ipſa exiſtentem applicata, cum fidei nequeat ſubeſſe falſitas; motivum autem honeſtatis eſt bonitas per intellectum propoſita, licet a parte rei non ſit.

Dices. Ergo mentiendo merebitur præmium apud Deum. ℟. ita eſt; non tamen præciſe per mendacium,

cium, ſed quia mentiendo voluit exequi divinam voluntatem, quæ executio in tali caſu bona eſt.

(7) *D.* 4. Conſcientia vincibiliter erronea non obligat poſitive, ſaltem abſolute, obligat tamen negative, quamdiu durat. *Eſt in re communis, licet differant in modo loquendi. Ratio primi eſt:* quia nemo poteſt obligari ad malum formaliter tale; actus autem procedens ex conſcientia vincibiliter erronea eſt formaliter malus, quia indirecte voluntarius in errore vincibili, quem culpabiliter negligit vincere. *Ratio ſecundi eſt:* quia nunquam licet agere contra conſcientiam.

Ob. Qui obligatur ad non omittendum mendacium, obligatur ad mentiendum, quia non omittere mendacium intranſitive eſt mentiri; ſed qui vincibiliter judicat ſe debere mentiri, obligatur ad non omittendum mendacium: obligatur enim ad non agendum contra conſcientiam; ergo ad mentiendum; ergo obligatur poſitive. ℞. 1. obligatur ad non omittendum mendacium, niſi ſit obligatus ad deponendam conſcientiam *c.* ſi ſit obligatus. *n.* *Deinde* obligatur ad non agendum contra conſcientiam, & ſimul ad eam deponendam. *c.* aliter. *n.* Semper manet obligatio, ut hæc conſcientia deponatur, eaque depoſita agatur juxta conſcientiam & legem veram; ſi autem error non poſſit deponi phyſice, debet deponi moraliter eliciendo ſaltem dolorem univerſalem de peccatis præteritis. ℞. 2. *cum aliis* obligari ad mentiendum, non abſolute, ſed ex ſuppoſito, quod conſcientiam deponere nolit; & ſic dicunt poſſe obligari ad peccandum; hinc dixi non obligari poſitive ſaltem abſolute; ſed in praxi parum refert, quid dicas.

Reſ. 1. Si hæc conſcientia dictet, aliquid eſſe præceptum, quod tale non eſt, modo non ſit prohibitum, licitum eſt eam ſequi, V. G. vincibiliter judicas in die

cinerum

cinerum audiendam eſſe Miſſam, potes non depoſita conſcientia audire. Econtra

Reſ. 2. Si dictet eſſe præceptum, quod eſt prohibitum, vel econtra V. G. vincibiliter judicas te teneri mentiri, ut evites damnum tertii, peccas & mentiendo, quia agis contra legem, quam hic & nunc potes & debes ſcire: etiam peccas non mentiendo ſtante conſcientia, quia agis contra conſcientiam; non tamen ideo neceſſario peccas: quia potes & debes conſcientiam deponere inquirendo veritatem; hoc ſi non poſſis, ceſſat quæſtio, & conſcientia redditur erronea invincibilis.

Reſ. 3. Cæteris paribus gravius eſt agere contra conſcientiam, quam eam ſequi: quia cæteris paribus gravius eſt peccatum, quod fit ex ſcientia, quam quod fit ex ignorantia etiam culpabili; hæc enim, niſi ſit affectata, minuit voluntarium, adeoque & peccatum. *Dixi: cæteris paribus;* quia attendenda eſt gravitas materiæ ex utraque parte, & quomodo apprehenderit legem; ſic ſi vincibiliter judices eſſe mentiendum pro conſervanda vita, ſi mentiaris, peccas leviter peccato mendacii officioſi; ſi non mentiaris, reus es homicidii contra charitatem; ſi judices eſſe in hunc finem pejerandum, gravius eſt falſum jurare.

Reſ. 4. Dum homo incipit dubitare, vel ſuſpicari, ſe laborare conſcientia erronea, quia V. G. videt alios aliter agere, aut ipſa actionis malitia aliquam ſui ſuſpicionem ingerit; ut conſcientiam deponat, debet moveri tali ratione vel authoritate, qua prudenter judicet prius ſuum judicium fuiſſe erroneum, ideoque debet rem examinare, libros aut viros doctos ac timoratos conſulere, adhibendo diligentiam moralem; quo facto ſi error maneat, cenſetur invincibilis; ſufficit autem regulariter indoctis, imo & doctis ſcrupuloſis judicium Parochi, Confeſſarii, vel Superioris; quia

jure

jure præſumitur, Deum iis, quos poſuit aliorum Rectores, non negare lumen neceſſarium. *Pro clariori luce in re maxime practica.*

Reſ. 5. Caſum ſequentem: mulier audiens in concione, eſſe peccatum mortale uti capillis alienis, format ſibi conſcientiam erroneam, mota authoritate concionatoris, & ex eo, quod ſit ſcandalum; hæc manente tali conſcientia non poteſt alienis capillis uti, nec pro libitu ab illa conſcientia recedere, niſi bona fide putet, vel a viro docto ſe audiviſſe, non eſſe mortale, vel concionatorem dixiſſe exaggerative; alias ſi pro libitu ab iſta perſuaſione recedat, temere agit, & contra conſcientiam virtualiter ſaltem manentem graviter peccat.

Reſ. 6. Temere conſcientiam deponunt, ideoque peccant, qui advertentes conſcientiam ſibi aliquid dictare, eam non curant, ſed pergunt agere vel omittere; qui voluntarie a dictamine conſcientiæ ſe avertunt; qui culpabili diſtractione vel oblivione contra conſcientiam prius habitam agunt; qui levibus ac inſufficientibus motivis ad eam deponendam moventur.

(8) Q. 1. *Si Superior mandet aliquid ſubdito, quod ille judicat eſſe illicitum, teneturne obedire?*

℞. Si conſcientia ſubditi ſit erronea invincibiliter, quæ etiam ſtante præcepto Superioris deponi nequeat, non poteſt ſine peccato obedire; quia conſcientia eſt ultima regula actionum humanarum, contra quam agere eſt peccatum. Nec obſtat, quod præceptum Superioris ſit juſtum; quia non poteſt habere vim proximam obligandi, niſi ut tale applicetur a conſcientia, & tunc valet illud: *Oportet magis obedire Deo, quam hominibus.* Si vero conſcientia ſubditi ſit vincibilis, tenetur eam deponere & obedire, cogitando, quod Superior habeat rationes ſibi notas, prout plerumque eſt præſumendum, præſertim ſi Superior ſit vir prudens,

dens, timoratus, ſine paſſione procedens; & ideo accedente mandato Superioris ordinarie fit vincibilis: tenetur enim obedire in omnibus, quæ non ſunt certo & aperte contra Deum; quia in dubio Superior eſt in poſſeſſione ſuæ authoritatis, & alias enervaretur ipſius authoritas. Practice ergo ſic ſe reſolvat; poſſum & teneor obedire, ubi non ſum certus eſſe contra Deum; atqui &c. *M.* eſt moraliter certa *m.* eſt ipſi phyſice & experimentaliter certa. Si ſubditus vincibiliter ſic ſe non reſolvat, peccat, ſive obediat, ſive non obediat; gravius tamen juxta *D. Thomam* obediendo; quia conſcientia plus ligat, quam Superior.

(9) *Q. 2. Quid de Conſcientia perplexa?*

Caſus communiter adfertur: die Feſto aſſiſtens moribundo judicas te peccare, ſi infirmum deſeras pro audienda Miſſa, pariter judicas te peccare, ſi maneas & Miſſam non audias.

℞. 1. Habens conſcientiam ſic perplexam tenetur adhibere diligentiam moralem, ut errorem & perplexitatem deponat, V. G. alios interrogando, libros conſulendo, &c. ſi poſſit deponere, & non deponat, peccat contra conſcientiam, quidquid agat; quia perplexitas eſt illi voluntaria in omiſſione diligentis inquiſitionis.

℞. 2. Si adhibita diligentia morali perplexitas maneat, tenetur facere hoc, quod ei apparet eſſe minus malum, non quidem ut malum, ſed ut minus, & non peccat; quia facit, quod in ſe eſt ad vitandum peccatum, nec poteſt magis a malo recedere.

℞. 3. Si utrumque ei appareat æqualiter malum, poteſt facere, quod vult, nec peccat; quia non habet libertatem ad peccatum ſufficientem, cum neceſſario unum eligere debeat, & in utroque æqualem malitiam apprehendat; aliud eſt in priori, cum ad exceſſum ſit liber.

℞. 4.

℟. 4. Pro tollenda perplexitate oportet attendere ad leges concurrentes, quænam prævaleat; ut in caſu lex naturalis aſſiſtendi moribundo prævalet legi Eccleſiaſticæ de audienda Miſſa.

QUÆSTIO II.

(10) *Quid agendum Confeſſario habenti pœnitentem laborantem conſcientia erronea?*

D. 1. Quandocunque pœnitens laborat conſcientia quacunque erronea circa aliquod requiſitum ad validam & fructuoſam abſolutionem, Confeſſarius ſub mortali tenetur eum inſtruere V. G. ſi judicet non requiri dolorem ſupernaturalem, non eſſe deſerendam occaſionem proximam, non ignoſcendum inimico &c. talis enim non habet propoſitum efficax, & Confeſſarii eſt procurare, quantum eſt de ſe, ut Sacramentum valide & fructuoſe adminiſtretur. Idem eſt, ſi advertat etiam ſub dubio, pœnitentem ignorare, quæ ſub mortali ſcire tenetur, ut ſunt neceſſaria neceſſitate medii & præcepti; in prioribus quidem requiritur ſcientia actualis; ſine illa enim nequit haberi dolor ſupernaturalis: in aliis ſi ignorantia ſit culpabilis, ſufficit dolere de culpa, & velle acquirere notitiam, *de quo infra* (a).

D. 2. Pœnitentem laborantem conſcienția erronea ſive vin- ſive invincibili in materia peccati contra ſe, V. G. putantem eſſe præceptum, quod non eſt, eſſe mortale, quod tantum eſt veniale, tenetur Confeſſarius informare de errore; quia qua Doctor & medicus tenetur eum liberare a periculo peccati; ſed talis ratione conſcientiæ erroneæ eſt in periculo peccati; ergo. Nec obeſt, quod ideo pœnitens forte frequentius peccet venialiter; quia hoc minus eſt, quam ſemel peccare mortaliter ex conſcientia erronea.

(a) *Part.* 2. *Tract.* 1. *n.* 19.

Reſ. Berta in Paſchate confitetur: die cinerum non audivi Miſſam, Confeſſarius interroget: *An apprehenderit ſe ad hoc graviter obligatum?* Si dicat: *ita*; inſtruat non eſſe obligationem. Idem eſt de ſimilibus.

(11) *D.* 3. Si conſcientia erronea pœnitentis ſit vincibilis & graviter culpabilis, Confeſſarius tenetur monere; cum enim hæc ignorantia non excuſet, eſt indiſpoſitus; ergo debet inſtrui, ſive proſit, ſive obſit monitio, ut informatus vel reſipiſcens diſponatur ad abſolutionem; vel ſi nolit, ſine abſolutione dimittatur.

(12) *D.* 4. Pœnitentem laborantem conſcientia erronea invincibili in materia pro ſe, V. G. putantem eſſe licitum, quod non eſt licitum, eſſe veniale, quod eſt mortale, tenetur Confeſſarius monere, ſi prudenter credat monitionem eſſe profuturam; tenetur enim qua Doctor inſtruere pœnitentem, & curare evitare peccata etiam tantum materialia; ſi vero prudenter prævideat non profuturam, aut ſit periculum gravioris mali, quam ſit peccatum materiale pœnitentis, poteſt, imo tenetur tacere; V. G. pœnitens bona fide retinet rem alienam, eſt in matrimonio invalido, &c. admonitus autem non ſatisfaciet, non abſtinebit, &c. *Ratio eſt*: quia præſtat pœnitentem cum errore invincibili peccare materialiter, quam inſtructum peccare formaliter; huc pertinet illud Auguſtini (a): *Non te monerem, ſi ſcirem tibi non prodeſſe.* Quod verum videtur, licet ſit in præjudicium tertii particularis. Dico: *particularis*; quia ſi ex ignorantia timeretur grave damnum boni communis, ſcandalum publicum, monendus eſſet; hoc enim prævalet bono privato.

Ob. Qui ita eſt conſtitutus, ut aliquid faceret, licet ſciret eſſe illicitum, V. G. non reſtitueret, lice ſciret eſſe ſe obligatum, non eſt diſpoſitus ad abſolu tio-

(a) *cap. ſi quis autem de pœn. diſt.* 7.

tionem; ergo licet non ſit ſpes fructus, debeo monere laborantem etiam errore invincibili. R. *d. a.* qui ita eſt conſtitutus actualiter vel habitualiter ex actu permanente *c.* tantum interpretative vel conditionate. *n.* quia non ideo jam eſt ita conſtitutus, ſed eſſet, ſi ſciret; & ideo jam non eſt, ſed eſſet indiſpoſitus, ſi moneretur. Sed quomodo, inquis, ſcire potero, an ignorantia pœnitentis ſit vin-vel invincibilis? quod enim in uno eſt invincibile, in altero eſt vincibile. R. dum pœnitens narravit omnia peccata, imo melius dum jam poſt pœnitentiam impoſitam convenientes dediſti admonitiones, interrogare poteris: *An non angatur aliquo ſcrupulo? An nihil ſit, quod conſcientiam gravet? An credat ſe eſſe in bono ſtatu?* &c. Attamen caute & prudenter, ne ex tua interrogatione incipiat pœnitens concipere dubiam fidem. Si reſpondeat, ſibi nihil occurrere, credere ſe eſſe in bono ſtatu: crede ignorantiam eſſe invincibilem; ſi vero dubium habeat, advertes eſſe vincibilem.

Reſ. 1. Si pœnitens dubius interroget Confeſſarium, veritas ei aperienda eſt: quia dubitans deſinit eſſe in bona fide, & taciturnitatem Confeſſarii facile habebit pro approbatione ſui erroris. Attamen bene dicunt multi, ſi graviſſima timeantur mala, poterit tacere & diſſimulare, quaſi non audiviſſet, vel eſſet oblitus, aut verbis eludere; ſaltem tunc non reſpondeat plus, quam interrogetur. V. G. obſtrictus voto ſimplici caſtitatis valide inivit matrimonium; dein interrogat, an licite uxori petenti reddat debitum, reſpondeat: ita; & taceat de obligatione non petendi, ſi non ſperet fructum.

Reſ. 2. Quia ignorantia circa præcepta naturalia raro eſt invincibilis ſaltem ad longum tempus, hinc facilius eam revelabit; quod præſertim tenet in ignorantia mollitiei, quæ raro eſt invincibilis, aut ſaltem

brevi

brevi erit vincibilis, ubi ignari alios ſeducunt, peſſimum habitum difficillime curandum inducunt: ſimiliter monendus eſt, qui ſæpe jurat per Sacramenta vel res ſacras; quia plerique habent hoc pro blasphemia & gravi inhonoratione rerum ſacrarum, ac adeſt ſcandalum. Quid autem faciendum ſit, ſi in Confeſſione advertat, matrimonium eſſe invalidum, ad longum dicitur, ubi de matrimonio.

Reſ. 3. Si Confeſſarius dubitet, an monitio ſit profutura: comparet utilitatem, quæ ſperatur, cum damno, quod timetur, & eligat, quod videtur præponderare: attamen non facile judicet pœnitentem non ſatisfacturum ſuæ obligationi, V. G. famam & rem alienam reſtituturum, Proximum fraterne correcturum, &c. Ideo ordinarie in iis ignorantem inſtruat; quia in iis ordinarie prodeſt: in matrimonio tamen præſertim contracto aut mox contrahendo ut plurimum obeſt monitio.

QUÆSTIO IV.

(13) *An, & qualiter obliget Conſcientia dubia?*

N. 1. Conſcientia *dubia eſt ſuſpenſio intellectus circa objectum, an ſit licitum, vel illicitum, præceptum vel prohibitum, ita ut nec affirmet, nec neget, ſed anceps hæreat;* quod provenire poteſt vel ex defectu motivi non ſufficientis ad aſſenſum vel diſſenſum; vel ex defectu voluntatis non imperantis aſſenſum vel diſſenſum. Licet autem conſcientia dubia formaliter non dicat judicium, illud tamen dicit virtualiter, vel quaſi moraliter; quatenus qui de re aliqua dubius eſt, cenſetur utramque partem judicare incertam; hinc in materia de fide dicitur, qui dubitat de rebus fidei, eſt

hæreticus, quia eo ipſo virtualiter judicat illas eſſe incertas, quod ipſum eſt contra fidem.

N. 2. Dubium aliud eſt *poſitivum*, quando intellectus habet motivum prudens de ſe ſufficiens ad aſſenſum & diſſenſum, neutri tamen parti aſſentitur: aliud *negativum*, dum pro utraque parte aliqua non imprudentia,, attamen pro neutra parte ad prudens judicium ſufficientia motiva occurrunt. Quando pro una parte & non pro altera apparet motivum ſufficiens, poteſt vocari dubium mixtum: ſi nulla occurrat ratio pro alterutra parte, V. G. dubito, an ſtellæ ſint numero pares; potius eſt *neſcientia*, quam dubium.

N. 3. Dubium aliud eſt *juris*, aliud *facti: juris* eſt, ſi dubitetur, an detur aliqua lex vel obligatio? An detur legitima facultas aliquid faciendi? Quomodo hæç intelligenda? An actus ſecundum jura valeat &c. V. G. an votum ſemideliberatum obliget? An reſervatio caſuum extendatur ad ignorantes? Dubium *facti* eſt, ſi dubitetur de aliquo facto, V. G. an votum ſit emiſſum? An ſit Clericus, quem percuſſiſti? &c.

N. 4. Dubium aliud eſt *ſpeculativum*, quando præſcindendo a circumſtantiis dubitatur, an actio aliqua ſit licita, nec ne V. G. dubito, an hodie ſit lex diœceſana jejunii? An hæc obliget Religioſos? Aliud *practicum*, quando dubitatur, an hic & nunc liceat mihi iſtam actionem facere vel omittere, V.G. omnibus circumſtantiis concurrentibus dubito, an lex vel conſuetudo diœceſana abſtinentiæ in Feſto S. Marci me, qui hac infirmitate decumbo, obliget: an hæc infirmitas me ſatis excuſet, ideoque liceat mihi carnes comedere? Poteſt autem aliquis eſſe dubius ſpeculative, & non practice; nam longe aliter proponitur res in univerſali, quam in particulari ſecundum omnes circumſtantias, quæ ſæpe faciunt, ut, quod dubium erat, an eſſet licitum, jam judicetur licitum: ſic poſſum manere dubius,

bius ſpeculative, an diebus Feſtis liceat molere, pingere, & practice in caſu occurrente judicare, hic & nunc eſſe certo licitum.

(14) *D.* Cum conſcientia practice dubia, aut dubio practice-practico circa honeſtatem actionis, nunquam licet agere: cum dubia ſpeculative licet, ſi practice reſolvatur. *Ratio primi* eſt: quia *ut ſupra* (a), ultimum dictamen debet eſſe moraliter certum: & talis exponit ſe periculo peccati formalis, quia facit hoc, per quod prudenter timet ſe Deum offendere: ergo peccat eadem ſpecie & qualitate peccati, cujus eſt peccatum, de quo dubitat; ſpeciei autem innominatæ, ſi puram rationem mali apprehendat, quod ratio ſit. *Ratio ſecundi eſt:* quia regula proxima non eſt niſi dictamen practicum, ſed qui ſpeculative dubitat, poteſt practice facere judicium prudens & moraliter certum, ſibi hic & nunc licere propter circumſtantias, V. G. dubito, imo probabilius judico aliquid eſſe malum, ſi tamen accedat mandatum Superioris, poſſum imo debeo me practice reſolvere, V. G. ſic: in dubio debeo obedire Superiori, atqui quamvis probabilius ſit illicitum, manet tamen dubium: ergo debeo facere.

Reſ. 1. Qui celebrat Miſſam practice dubitans, an ſit in peccato mortali, an excommunicatus, peccat eodem modo, ac ſi excommunicatus eſſet; non tamen incurrit irregularitatem (b).

Reſ. 2. Dubitans ſpeculative, *an contractus aliquis ſit uſurarius? An res poſſeſſa ſit aliena?* debet etiam dubitare practice per ſe loquendo, *an ſibi liceat hic & nunc talem contractum inire? rem illam retinere?* Hinc ſi cum tali dubio partem minus tutam ſequatur, V. G. contractum ineat, rem retineat, peccat, niſi ratio ſufficiens adſit, qua formet ſibi conſcientiam practice tutam, aut moraliter certam. Hinc

(a) *Num.* 3. (b) *Vid. ſup. Num.* 4.

Reſ. 3. Dubitans ante omnia debet diligenter inquirere veritatem, & interim ſuſpendere actionem dubiam minus tutam: quia non facienti, quod eſt in ſe, imputatur culpa, quæ contingere poteſt. Sufficit autem ordinarie reſponſum viri docti, quia talis merito præſumitur prudenti motivo duci: juvat etiam ad praxin timoratorum attendere, quæ regulariter non debet cenſeri erronea. Quodſi dubium ſine fundamento ſit conceptum, ſufficit inanitatem agnoſcere, & contemnere.

Petes an ſit obligatio ſemper & in omnibus ſequendi tutiora?

℟. *Per ſe loquendo negative;* eſt C. Rigoriſtas.

Ratio eſt 1. Non tenemur ad id, ſi ſententia favens libertati, ſeu minus removens a periculo peccandi contra legem ſit probabiliſſima: nam Alexand. VIII. damnavit hanc: *non licet ſequi propoſitionem inter probabiles probabiliſſimam*, quod utique de ſententia minus tuta intelligendum, ſiquidem, an liceat ſequi probabiliſſimam tutiorem, nemo niſi amens dubitat. 2. Lex obligans ad ſequenda ſemper tutiora, ſicut & obligatio conandi ubique ad tutiora, excedit vires humanas. 3. Lex hæc ſi exiſteret, exponeret homines innumeris anxietatibus, plurimis periculis peccatorum formalium proin non cederet in bonum commune. 4. Tutius eſt in Sacramento pœnitentiæ adhibere contritionem perfectam, poſt lapſum immediate confiteri, aut conteri, vivere in religione bene morata & diſciplinata, quam vivere in ſæculo, non tamen ideo obligatorium.

Dixi: *per ſe loquendo:* tenetur enim quis ſequi tutiora per accidens 1. Si adſit præceptum Superioris legitimi. 2. Si ex contractu ſe quis ad id obligaverit. 3. Si ſententia minus tuta non excludat periculum non aſſequendi finem intentum, ad quem quis tenetur. E.G. ſi agatur de damno proximi, valore actus V. G. Sacramen-

menti adminiſtrandi aut ſuſcipiendi; unde extra caſum neceſſitatis illicite baptizares in cereviſia tenui, illicite abſolveres in his ſolis: *abſolvo te*, patent hæc ex propoſitione confixa ab Innocent. XI. *non eſt illicitum* &c. ut ſupra pro aliis.

Obſ. 1. Ut quis in materia probabili operetur licite, formare ſibi debet ex principiis ſolidis dictamen conſcientiæ ultimo practicum moraliter certum, quo operans ſit certus ſe actione, quam intendit, non peccare, cæteroquin ſe exponet periculo peccati formalis: facit enim hoc, per quod prudenter timet ſe offendere Deum, unde peccat eadem ſpecie peccati, cujus eſt peccatum, quod timet.

Obſ. 2. Id ut præcaveat operans, neceſſaria eſt diligentia in inquirenda veritate, pro qua deprehendenda adhibeat principium certum, ex quo concludat actionem hic & nunc ponendam eſſe licitam. Principia autem ejusmodi ſunt in his, quæ dubia ſunt aut obſcura, eligendum illud, quod nec præceptis evangelicis, nec dictis SS. Patrum inveniatur adverſum (a). 2. Pro eo ſtandum eſt, pro quo ſtat præſumptio, E. G. pro eo, quod magis fieri conſuevit: poſt actum præſumptio eſt pro ejus valore, ſeu quod actus valeat (b). 3. In dubio melior eſt conditio poſſidentis (c), unde in materia juſtitiæ juxta omnes (in materiis aliarum virtutum juxta aliquos) poſſeſſor præferendus eſt non poſſidenti, eoquod priori ſuffragetur titulus certus poſſeſſionis. 4. In dubio factum non præſumitur ſed demonſtrari debet (d), quod de facto principali dubio intelliges: acceſſoria enim, ſi de principali conſtet, præſu-

(a) *Ex C. Si quædam diſt.* 14.
(b) *Arg. ex L. in contrahenda ff. de reg. Jur.*
(c) *Arg. ex reg.* 56. *Jur. in 6to.*
(d) *Arg. ex L. in bello ff. de cap. & poſtliminio.*

ſumuntur; ſic ſi conſtet de voto poſt annos diſcretionis emiſſo, id deliberate emiſſum ſuppone.

QUÆSTIO V.

Quid de Conſcientia probabili?

Nota. Opinio ſeu ſententia probabilis eſt judicium incertum, nitens motivo abſolute ſecundum ſe (non ex inordinato affectu aut inquirendi negligentia) vere gravi, quod virum prudentem movere poſſit ad aſſenſum. Si gravitas hæc motivi petatur ex rationibus ex ipſa rei natura petitis, probabilitas erit *intrinſeca*. Sin vero ex authoritate virorum prudentum aut timoratorum, qui absque fundamento ſolido raro quid aſſerunt, probabilitas *extrinſeca* audit. Ut autem certa ſecernantur ab incertis

(15) *Dico* 1. Non eſt licitum ſequi ſententiam minus probabilem minus tutam relicta probabiliore tutiore, ſi agatur de valore Sacramenti.

Ratio eſt ex propoſit. 1. ab Alexandro VIII. proſcripta: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore.* Nec mirum; eoquod valor ac eſſentia Sacramentorum pendeat ex Chriſti inſtitutione, non vero ex Miniſtri dictamine aut conſcientia. Unde hic ſequens ſententiam probabilem minus tutam peccaret contra *Religionem* exponendo Sacramentum periculo nullitatis; contra *Charitatem* ratione periculi proximo inferendi damnum ſpirituale, eumque fruſtrandi fructu Sacramenti: imo & contra *Juſtitiam* violando quaſi contractum de Sacramento ſecurius conferendo tacite initum cum eo, qui Sacramentum ſuſcipit. Idque etiam probabilius, etſi Sacramentum non ex juſtitia, ſed ſola charitate miniſtret.

Obſ. Intelligenda eſſe prædicta pro caſu, quo ſententia tutior practicari poſſit: ſin vero praxis hujus pro emergentibus circumſtantiis foret impoſſibilis, & neceſſitas aut periculum præſens urgeat, licitum, imo obligatorium eſt ſequi ſententiam vere probabilem eſto minus tutam; eoquod tunc oporteat tentare omne illud, quo forſan conſulitur ſaluti animæ, neque ſic timenda irreverentia in Sacramentum aut hujus authorem: ſiquidem tum conditio a miniſtro adjicienda, tum neceſſitas eam abſtergunt. Nihilominus periculo ceſſante certiora adhibenda erunt, ut iis ſecurius conſulatur ſaluti ſuſcipientis. Unde infans in caſu neceſſitatis conditionate baptizatus in cereviſia tenui poſtea baptizandus eſt abſolute aqua naturali.

(16) *Dico* 2. Nec licitum eſt ſequi ſententiam probabilem relicta probabiliore tutiore, ſi agatur de damno tertii.

Ratio eſt. Quia honeſtas aut malitia actionis proin peccatum formale operantis juxta probabiliſtas pendet a dictamine conſcientiæ, quæ eſt regula proxima actionum moralium in operante: aſt non ita damnum tertii, quod magis ab influxu actionis damnoſæ, quam operantis conſcientia repetitur.

Reſ. 1. Judex & miniſter Juſtitiæ ſequi nequit ſententiam probabilem minus tutam; eſt enim arbiter publicus conſtitutus ad id, ut jus dicat litigantibus ſecundum merita cauſæ: unde ſententiam ferre debet in favorem ejus, pro quo ſtant merita majora. Non ſit in eo perſonarum acceptio, V.G. pro amico &c. Unde damnata ab Innoc. XI. hæc 2da: *Probabiliter exiſtimo judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Excipe cauſas *criminales*; in his enim *reo potius quam actori favendum eſt:* (a) unde jura probationes luce meridiana clariores ad condem-

(a) *Reg. I.* 11. *in* 6.

nandum reum exigunt. Imo *ſatius eſt, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare.* (a)

Reſ. 2. Neque advocatus licite patrocinatur clientis cauſæ, quam certo novit minus probabilem; ſiquidem ſpem probabilem victoriæ juſtæ facere nequit clienti: hunc enim, ac ejus adverſarium expenſarum damnorumque periculo objicit, quod iniquum eſt. Unde antequam cauſam advocatus ſuſcipiat, ejus merita & probabilitatem ſedulo inquirat, de iis clientem ſollicite moneat, denique ſi in cauſæ decurſu cauſam, quam ab initio probabilem judicaverat, injuſtam advertat, ab ea defendenda illico abſtineat.

Reſ. 3. Medicus ſicut & Chirurgus tenentur ad media, quæ adhiberi hic & nunc poſſunt, tutiora, ad quæ obligatur infirmus. Si enim ſerviant ex charitate ſola, obligantur ex charitate, ut proximo ſuccurrant modo, quo per humanam induſtriam poſſunt, meliore: ſi vero ſerviant ex contractu, tenentur ex juſtitia periclitanti infirmo auxilium ferre tutius & ſecurius attentis morbi & infirmi circumſtantiis, quod obtinetur per medicinam non in æſtimatione & dictamine conſcientiæ probabilem ſed ex ſe efficacem.

Excipe caſum, quo medium certum probabilius infirmo profuturum non occurat: præſtat enim adhiberi medicinam probabilem aut dubiam, de qua ſpes eſt probabilis ſervandi vitam, quam nullam, ſi cæteroquin de vita infirmi conclamatum ſit. Sicut & ſpes probabilis aut dubia vitæ præferenda eſt morti moraliter certæ. Non inde licitum eſt adhibere medicinas novas, pharmaca periculoſa ſolius experimenti gratia ſine ſpe ſalutis probabili aut dubia: nemini enim licet comparare ſibi ſcientiam cum alterius damno.

Reſ. 4. Peccant aſſiſtentes, aut miniſtrantes infirmo, qui relictis mediis a medico præſcriptis alia aut pro

(b) *L. abſentem ff. de pœnis.*

pro libitu aut rogatu infirmi adhibent; item qui ægroto etiam deſperato vinum, aquam, aut alia a medico prohibita præbent, ut voluntati infirmi faciant ſatis: ſiquidem ſine ratione ſufficiente eum mortis accelerandæ periculo exponunt, ac proin lædunt jus illius, qui ſolus eſt dominus vitæ & necis. De quo alibi.

Præmiſſis his omnium ſuffragio certis dubium in ſcholis controverſum reſtat, an citra materiam Sacramentorum, aut juſtitiæ, ubi de ſola actionis liceitate & honeſtate agitur, liceat ſequi ſententiam probabilem minus tutam relicta tutiore probabiliore. De quo, quia diſcors eſt Theologorum ſenſus, utriusque ſententiæ momenta paucis ſubjicere ſufficiat.

(17) *Rationes pro ſententia negativa.* 1. Dictamen practico-practicum ad quamvis operationem moralem præviam neceſſario debet eſſe moraliter certum, quo operans ſit certus ſe actione illa non peccare. Sed tale non eſt in eo, qui ſententiam ſequitur ſolum probabilem minus tutam relicta probabiliore tutiore, cum prudenter dubitet de liceitate actionis, quam judicat probabilius illicitam: ergo. 2. Nec certitudinem dictaminis practici efficiunt principia, quæ dicuntur reflexa; eoquod & hæc ſint inter eruditos controverſa, adeoque incerta. 3. Judicium utut reflexum miniſtri Sacramentorum, judicis, advocati, medici &c. non abſtergit periculum irreverentiæ, invaliditatis, aut damni realis a Sacramento, reo, aut infirmo, quo minus obligentur ad ſententiam, ac media probabiliora ad præcavendum damnum reale proximi in bonis corporis aut fortunæ: ergo etiam ſi agatur de periculo perdendi animam in gehennam ignis, offendendi Deum, qui mandavit mandata ſua cuſtodiri nimis. Si nec prioribus operantibus ex ſententia probabili imputetur damnum nedum materiale, ſed & formale proximi, cur non

non operanti ex ſententia ſolum probabili imputandus error non tantum materialis, ſed & formalis, id eſt, imputabilis coram Deo ad culpam. 4. In caſibus millenis, in quibus agitur de diſcrimine corporali, ageret quis imprudenter ſequendo ſententiam probabilem neglecta probabiliore, imprudenter ingreditur quis viam probabilius periculoſam &c. &c. Ergo magis, ſi agatur de diſcrimine animæ immortalis, cujus ſi detrimentum patiatur homo, totum mundum lucrari nil proderit. 5. Repugnat legibus prudentiæ eligere illud, de quo probabilius, eſt mortaliter peccari, æternum damnari. Anne prudenti in tutiore nimia erit ſecuritas, ſi in minus tuto periclitetur æternitas, prout periclitatur in ſequela ſententiæ minus tutæ? 6. Eccleſia non permittit celebrare clericum dubie excommunicatum ex C. *illud de clerico excom.* ergo nec prudentia permittet operari ex ratione probabili, & incerta, an ſufficiat ad excuſandas excuſationes in peccatis. Hæc aliaque in authoribus obvia ſunt, quibus pro ſua ſententia pugnant probabilioriſtæ.

(18) *Rationes pro ſententia affirmativa.* 1. Lex eſt vinculum libertatis; ergo ſupponit libertatem: proin hæc moraliter certo poſſidet, donec certo probetur hanc ligari per legem, quod nondum certo evicerunt probabilioriſtæ. 2. Exigunt hi ad honeſtatem actionis dictamen ultimum moraliter certum in operante & merito, ergo & probabiliſtæ legem moraliter certam; quæ non eſt, ſi prudentes de ea dubitent: dubitant vero prudenter, ſecus probabiliſtæ non forent. 3. Lex non obligat niſi ſufficienter promulgata, ſed talis non eſt de tutioribus ac probabilioribus ſemper eligendis: ſecus eam non ignoraſſent tot eruditi ac timorati, quos ut tales & ipſi probabilioriſtæ celebrant. 4. Moraliter certum eſt non poſſe condi leges niſi a legislatore; is de ſequenda in omnibus probabiliore ſenten-

ſententia nil hucusque decidit: ſin vero ipſimet ſententiæ probabilioris patroni hanc poteſtatem legislativam ſibi arrogaverint, contra eam excipi poſſe plus quam mortaliter certum eſt probabiliſtis. 5. Idque vel magis cum Eccleſia etſi ſæpius interpellata (cujus judicium in materia morum probabiliſtæ promptiſſime exequuntur) pro probabilioriſtis hucusque nil deciderit: imo dum C. *dominus de 2dis nuptiis* mulierem, quæ de morte prioris conjugis dubia matrimonium cum altero contraxerat, debitum conjugale reddere poſſe reſpondit, minus tuta conſuluiſſe videtur. 6. Quod & indulget, dum conjugibus de impotentia perpetua antecedente dubiis ad finem usque triennii (eſto tunc eſſe perpetuam probabilius) conjugalis copulæ veniam facit.

Iſta una cum aliis ſunt, quibus probabiliſtæ ſententiam ſuam innixam aſſerunt, ex quibus pro utraque ſententia allatis eam prudens lector ſibi ſeligat, quam ſecundum Deum & propriam conſcientiam veriorem invenerit, cavebitque, ne rigore nimio animabus meticuloſorum laqueum injiciat, aut ne probabilitatibus quibuscunque apparentibus laxitatis fræna laxet, aliorumque ex iis peccata foveat. Pro aliis

Obſ. Licet ſequi ſententiam probabilem minus tutam relicta probabiliore tutiore ſaltem *per accidens* tunc, ſi ex dictamine reflexo ſententia de licite ſequenda conſcientia probabili ipſimet operanti timorato & conſcientioſo appareat probabilior; videnturque hanc ſententiam ſecuti ſummi Pontifices diſpenſantes in matrimonio rato, voto ſolemni &c. Nec obſtat, manere formidinem de oppoſito attentis principiis directis: quia hæc & manet in ſententia inter probabiles probabiliſſima, quam tamen licite quis ſequitur ex declaratione Alexand. VIII.

Obſ.

Obſ. 2. Ii, qui ſequelam conſcientiæ probabilis ut licitam propugnant, ſollicite monent, ac requirunt non ſufficere ſententiam eſſe utcunque *apparenter* aut *tenuiter* probabilem, ſed volunt, ut ſit *vere* ac *ſolide* probabilis, non tantum *extrinſece* ex ſola hominum, quorum quilibet in ſuo ſenſu abundat authoritate, ſed & rationibus *intrinſecis* vere gravibus. Quales non ſunt, quas de principis occiſione, de uſuris moderatis &c. &c. referunt nonnulli. Unde merito ab Innoc. XI. confixa eſt iſta: *Dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca (modo a probabilitatis finibus non excedatur) confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus;* quod bene notandum.

QUÆSTIO ULTIMA.

(19) *Quid ſit Conſcientia ſcrupuloſa? Quis ſcrupuloſus, & quomodo juvandus?*

D. 1. Conſcientia ſcrupuloſa, ſive potius ſcrupulus eſt *inanis apprehenſio & ſine fundamento, conceptus timor peccati, ubi peccatum non eſt. Dixi: apprehenſio*, non judicium; ſi enim quis determinate judicet aliquid eſſe peccatum, etſi ex inani fundamento, habet conſcientiam potius erroneam, quam ſcrupuloſam. Hinc

Reſ. 1. Contra ſcrupulum licet agere, modo ut talem agnoſcat, & contemnat; quia ſcrupulus non tollit judicium moraliter certum de honeſtate actionis, licet illud obſcuret, & moveat in contrarium; ſi vero conſcientia ſcrupuloſa ſumatur pro judicio determinato, non magis licet agere eo non depoſito, quam non depoſita conſcientia vincibiliter erronea. Dixi: *modo ut talem agnoſcat, & contemnat*, ſaltem exercite judicio habituali etiam probabiliter tali. Hinc

Reſ.

Reſ. 2. Qui per experientiam novit ſe ſolere angi ſcrupulis, poteſt in dubio ſupponere eſſe ſcrupulum; quia ex communiter contingentibus fortiſſima eſt præſumptio. Item ſi Confeſſarius, vel alius vir probus & expertus dicat, eſſe ſcrupulum, tuto poteſt ut talem contemnere.

Reſ. 3. Plerumque eſt Conſilii agere contra ſcrupulos; quia per illos tempus inutiliter teritur, & multa bona impediuntur; aliquando eſt obligatio etiam gravis, præſertim ubi accedit judicium Confeſſarii, vel alterius experti viri: quia ſcrupuli non tantum perturbant pacem animi, ſed & ſæpe graviter lædunt valetudinem corporis, ſcrupuloſum exponunt periculo amentiæ, deſperationis, aliorumque gravium peccatorum; excuſantur tamen ordinarie ſaltem a mortali ob perturbationem mentis, & nimios timores, dum non ſatis contra ſcrupulos agunt.

(20) *D.* 2. An, qui timidæ eſt conſcientiæ, ſit ſcrupuloſus, nec ne, ipſe plerumque judicare non poteſt, licet alias ſit vir doctus; quia anxietates impediunt, ne recte judicet, maxime in rebus propriis, in quibus homines plerumque cæcutiunt; imo ſcrupuloſus vix unquam credet ſe eſſe talem, ſi proprio ſtet judicio; hinc hoc judicare debet alter probus, & expertus director vel confeſſarius, cui credere debet pœnitens, ubi conſcientiam ſuam ſincere aperuit. Scrupuloſus, qui ſibi perſuadet ſe talem non eſſe, eſt incurabilis.

D. 3. Magna hic eſt circumſpectione opus; aliqui enim putantur ſcrupuloſi, & non ſunt: ſtultus mundus timorem Domini ſcrupulos vocat. Aliqui econtra vere ſunt, qui non videntur eſſe. Aliqui ſunt anxii V. G. circa reſtitutionem, quia laxe proceſſerunt: circa confeſſiones vitæ præteritæ, quia non acceſſerunt cum præparatione debita; hi & ſimiles non ideo ſunt ſcrupuloſi;

puloſi; eſt enim juſta cauſa anxietatis. Ob eandem rationem, qui adhuc conſentit in peccata gravia, licet poſtea angatur, ſollicite ſe examinet, anxie confiteatur, ſe ipſum aliquo modo turbet, non ideo ſtatim cenſendus eſt ſcrupuloſus, uti nec qui ſollicitì ſunt, imo & moderate anxii, ne Deum vel leviſſime offendant, & ut ſtatim confiteantur; hæc enim eſt cura prudens.

(21) *D.* 4. Scrupuloſum agnoſces ex ſequentibus: ſi timeat ea, quæ alii timorati pro nihilo habent: ſi ſæpius cum inanibus dubiis redeat: ſi accepto prudentis conſilio non acquieſcat, ſed varios conſulat, & fatiget, ac tandem nullius judicio ſtare ſoleat, niſi ſuo: ſi in rebus, de quibus alias reſolutionem accepit, iterum iterumque interroget, volens ſe ſic reddere magis ſecurum: ſi anxietates internas externe ridicule prodat: ſi aſſidue ſe reflectat ſuper actiones ſuas, inceptam modo apprehendendo ut illicitam intermittat, modo ut licitam repetat: ſi habeat reflexiones impertinentes circa innumeras circumſtantias, V. G. an in hoc vel illo caſu conſentiret in peccatum: ſi nimis anxie confiteatur, ſemper hæreat, nunc hunc, nunc illum numerum perturbate exprimat: ſi nimis anxie preces perſolvat; &c. Sunt autem aliqui ſcrupuloſi in una vel altera materia, & ſatis, imo nimis laxi in aliis: hi non poſſunt uti regulis ſcrupuloſorum niſi in materia, in qua vere ſcrupuloſi ſunt. Interim ut aliquis dicatur ſcrupuloſus, non ſufficit, quod una vel altera vice ſcrupulo angatur, ſicut ut quis dicatur ebrioſus, luxurioſus, non ſufficit, quod una vel altera vice ſe inebriaverit, actum turpem exercuerit; quia hæc denotant frequentiam actuum.

D. 5. Confeſſarius ante omnia ſollicite expiſcetur: ſitne pœnitens vere ſcrupuloſus, nec ne, & in quo? Hoc ex una vel altera confeſſione ſtatim colligere non poterit, ſaltem ſemper. Si ex ſignis præcedentibus collegerit vere eſſe talem, dicat ei: credisne & confidis, quod

quod poſſim, & velim te juvare? Si affirmet, dicat: visne ergo conſtanter mihi confiteri, & in omnibus obedire ſepoſito tuo judicio, ac ſincere aperire omnia? Nullus autem aſſumat curam dirigendi ſcrupuloſum, niſi hic prius ſpondeat confidentiam & obedientiam: ſi annuat, oſtendat ſe benignum, conſoletur & animet eum. Deinde ut prudens animæ medicus inquirat cauſas ſcrupulorum; quæ vel ſint *extrinſecæ*, ut tentatio dæmonis, qui ſub ſpecie timoris Dei decipit, & intendit inducere in peccatum, vel ſi hoc non poſſit, ſaltem impedire ſtudium devotionis ac aliarum virtutum, hominem reddere puſillanimem: aut etiam eſt permiſſio divina vel in pœnam præteritorum peccatorum, ut anima magis purgetur, vel ut habeat occaſionem majoris meriti, vel etiam ut quis melius inſtruatur, ſciatque compati, ac ſuo tempore dirigere ſimili malo afflictos: vix enim ſcrupuloſum bene diriget, qui ſcrupulos expertus non eſt: vel ſunt *intrinſecæ*, ut ignorantia, ſuperbia, & pertinacia intellectus nolentis conſilio prudentum acquieſcere, immoderatus timor peccati, melancholia vel complexio naturalis. Pro his

Obſ. A Deo cenſentur venire ſcrupuli, ſi inducant ſincerum peccati horrorem & morum mutationem, tuncque non ſolent diu durare, ſed cum magna tranquillitate deſinere, modo debita media ſerio adhibeantur. Si ſcrupuli inter ſe pugnent, ut ſæpe fit, ſignum eſt non eſſe a Deo. A *dæmone* cenſentur eſſe, ſi avertant a virtutis ſtudio, adducant ad teporem, maxime ſi ad deſperationem: ſi hominem præcipue invadant, dum occupatur ſanctiſſimis actionibus, V. G. ſub Communione, Miſſa. A *naturali complexione*, ſi homo absque ulla cauſa, quæ perturbationem incutere poſſit, ſentiat cor angi, membra horrore corripi, & inde mens agitari ſcrupulis.

(22) *D.*

(22) *D*. 6. Remedia ſcrupuloſis præſcribenda ſunt ſequentia. 1. Brevi ſed frequenti oratione, magna cum humilitate, fiducia, & reſignatione ad Deum & beatiſſimam Virginem confugere pro impetrando lumine, maxime ubi ſcrupuli a dæmone procedunt. 2. Præcipuum, optimum & cum oratione fere unicum, ſine quo alia non juvant, ſimulque facillimum eſt eligere ſibi & ſervare conſtantem directorem vel Confeſſarium probum & expertum, eique inſtar pueri humiliter & cæce obedire contra quasvis rationes proprias, etſi videantur ſolidiſſimæ, ac pro certo credere non tantum ſe non poſſe in omnibus, licet forte errantem (quod tamen nunquam præſumat) ſequi, ſed & debere, ne ſequendo proprium judicium conjiciat ſe in extremum periculum corporis & animæ. Teneat igitur ut indubitatum apud omnes: voluntatem Dei, in qua implenda conſiſtit noſtra perfectio, eſſe, ut ei in omnibus obediat: hunc ſequendo ceſſat omne periculum errandi, eſt in recta ad cœlum via, mereturque plurimum. Sic ergo ſe reſolvat: quamvis ego judicem hoc eſſe peccatum, me ad hoc teneri, &c. quia tamen meum judicium eſt fallibile, & Confeſſarius dicit contrarium, poſſum & volo facere, certusque ſum me bene facere, quia Deus vult, ut ipſi obediam; hoc niſi faciat, ſed de uno currat ad alium, certo ſibi perſuadeat, ſe nunquam liberandum, & non ſine multiplici peccato exponi periculo animæ & corporis. 3. Nulli ſcrupulo cedere; ſi enim cedat uni, ſibique ſatisfaciat, mox occurret alter, & non erit finis; igitur mox, ubi ſcrupulus ſe inſinuat, contemnat, directe contra eum audacter agat, vel negligendo alia agat; ſi pergat moleſtare, non curet. V. G. angitur, ne aſpiciendo homines vel etiam crucifixum peccet, quia novit ex tali aſpectu ſibi ſubortas cogitationes turpes, directe aſpiciat homines quidem tranſeuntes, imagines vero fixæ, etſi

etſi ſuboriantur imaginationes & motus turpes, quæ contemnat intrepide, & rideat; timor enim auget, imo ſæpe cauſat talia. 4. Si dubitet, an hoc, quod incidit, ſit ſcrupulus vel prudens ratio, tuto contemnat; quia habitualiter novit ſe agitari ſcrupulis, ideo ex communiter contingentibus prudenter præſumit & nunc eſſe, licet forte erret, quod non obeſt; hinc ſi apprehendat ſe obligari ad aliquid ſtatim faciendum, ſi non ſit certus, bene facit contemnendo. 5. Ubi ſemel a Confeſſario reſolutionem habet, non adeat iterum, ſed audacter ſequatur, quidquid inciderit, certo ſibi perſuadens, quod non peccet; nunquam ſcrupulos ſuperabit, niſi diſcat ſuis ſolis viribus eos oppugnare. 6. Rationem dicti a Confeſſario non expoſcat, alias ſuum, quod minime expedit, non Confeſſarii judicium ſequetur: nec alium deſuper conſulat, aut libros legat; certiſſime enim involvetur magis, & ex poſt nec Confeſſario, nec alteri fidet. 7. Vivendi regula ſit vita timoratorum, non ſcrupuloſorum, quorum familiaris converſatio nociva eſt; hinc quod videt fieri ab aliis, qui communiter habentur probi, ſine timore, hoc ſequatur; aſſueſcat autem ſequi ſententias benigniores. 8. Si ſcrupuli oriantur ex ignorantia, legendi ſunt libri, conferendum eſt cum prudentioribus de iis, quæ ſunt ſui officii; ſi ex melancholia aut naturali complexione, medicinæ naturales ſunt adhibendæ, aſſumenda exercitia corporalia, per quæ diſtrahatur imaginatio, vitandum nimium jejunium, vigiliæ, ſtudium, quæ phantaſiam lædunt, aſſumenda honeſta recreatio, ut animus allevietur, quod & aliis ſcrupuloſis eſt ſuadendum. 9. Curet vitare venialia deliberata, ſed ſine perturbatione: cura ſalutis ſuæ laudanda eſt, ſed immoderata nocet: omnino ſibi a mortalibus caveat; ſi labi in hæc contingat, mox Confeſſarium etiam non præparatus accedat plus interea confidendo in divina

gratia, quam ſua prudentia. *Denique* ſtudeat ſe ſemper honeſte occupare, ut ſic non vacet attendere ſcrupulis ÷ caveat nimiam ſolicitudinem, quam dæmon ſcrupuloſis ſolet ſuadere.

(23) *D.* 7. Confeſſarius ſcrupuloſi 1. ſit mitis erga ipſum, ſuaviter eum animet ad fiduciam in divina bonitate, ſitque ſumme patiens; ne afflicto addat afflictionem: ſubinde tamen durius agat, ſi in aliis rebus ſit laxus, vel nimium adhæreat proprio judicio. 2. Dum contra conſilium datum vult repetere confeſſionem, omnino repellat, etſi jurato etiam cum lachrymis dicat hanc fore ultimam; quia certum eſt per hoc non minui ſcrupulos, ſed augeri & perpetuari. 3. Si de uno currat ad alium, & nemini acquieſcat, acriter, diſcrete tamen, increpet dicendo: cum te ipſum juvare non poſſis, & alios prudentes ſequi nolis, es incurabilis, & juſtiſſime hæc pateris ob ſuperbiam, qua te non vis ſubjicere aliis. 4. Si continuo dicat: non ſum talis, qualem me eſſe putat, non ſatis me explicavi, &c. ad ſatisfaciendum phantaſiæ bis vel ter audiat patienter, monendo, ut ſe ſufficienter cognoſci credat, nec opus eſſe pluribus ſe explicare; ſi nec ſic acquieſcat, permittat ad tempus agere, quod vult, donec diſcat pertinaciam deponere; diſcet autem advertens ſe quotidie magis & magis implicari: quod ſi nec ita ſapiat, patientia eſt habenda cum miſero; quia Deus vult aliquos ita vexari. 5. Reſolute in omnibus ei reſpondeat, ſequendo ſemper partem benigniorem; ſi enim in reſolvendo anxie procedat, in ſcrupuloſo anxietates augebit, & diffidentiam cauſabit: vix unquam det rationem ſui reſponſi; hanc enim ſcrupuloſus poſtea examinat, & ſe implicat. 6. Non facile patiatur ſibi, minus aliis ſcrupulos & dubia de novo proponi; quia iteratæ quæſtiones placent quidem ſcrupuloſis, ſed valde nocent, & ſi præter ſcrupulos nil adferat, ſine

ne abſolutione ad communionem mittat. 7. Quandoque tanquam nugas proferentem ſuaviter irrideat, & ſi pœnitens ſit doctus, jubeat cogitare, quid alteri in ſimili reſponderet, & hoc ſibi applicet. *Denique* ſuadeat, ut meditationes ſuas non multum de inferno & ſimilibus inſtituat, ſed magis meditetur Dei erga nos miſericordiam, bonitatem, & clementiam.

(24) *D.* 8. Scrupuloſi privilegia ſunt ſequentia: in dubiis poteſt ſe reſolvere pro libertate: non debet judicare aliquid eſſe mortale, aut ſe in hoc conſenſiſſe, niſi ſit certus; quamdiu autem dubitat, certus non eſt: in agendo non tenetur adhibere examen & diligentiam, niſi valde mediocrem, nec tantam, quantam alii: ſi angatur, nec ſuppetat conſilium, poteſt agere quod vult, niſi evidens ſit, eſſe peccatum. Tenetur tantum confiteri illa, de quibus certus eſt eſſe mortale; & ſi valde ſcrupuloſus ſit, de quibus jurare poteſt eſſe talia: ex præteritis nil debet repetere, niſi certus ſit, tunc ſe peccaſſe moraliter, nec unquam rite confeſſum; quamdiu autem dubitat, non eſt certus: pro confeſſione brevius illi ſufficit examen, quam aliis, præſertim circa cogitationes.

Q. 1. *Quid ſi antehac vixit in conſuetudinibus peccandi?*

℞. 1. Jam ſcrupuli aliquo tempore permittantur, ut conſcientia recte expurgetur. Ante omnia autem diſponat illum ad confeſſionem generalem, ſi hanc nunquam fecerit, juvet in examine, &c. hac ſemel facta nunquam ipſi permittenda confeſſio generalis: concedendum tamen, ut ter vel quater addat, quæ adhuc incidunt, & quæ neſcit ſe rite confeſſum, & tunc de præteritis non eſt amplius audiendus.

℞. 2. Si antehac ſolitus ſit reticere peccata in confeſſione, detur illi tempus aliquanto longius, ut, quæ poſt confeſſionem generalem incidunt, confiteatur: de-

in jubeat, ut de præteritis ſe non examinet, licet aliqua omitterentur; quia non eſt obligatio cum tanto ſuo damno & periculo hærendi in perpetuis anxietatibus, quærendi integritatem materialem confeſſionis, a qua minora mala excuſant, & omnia jam ſunt indirecte remiſſa.

℟. 3. Si ex poſt non acquieſcat, ſed dicat ſe hæc certo feciſſe, & non eſſe confeſſum, mandet, ut juret ſe ſcire, quod per hæc peccaverit mortaliter, & quod nunquam ſit confeſſus: ſi timeat jurare, non audiat; quia non eſt certus: ſi ſtatim juret, per ſe loquendo audiat; tunc enim non eſt ſcrupulus. *Dixi per ſe:* quia oportet adhuc cautum eſſe; aliqui enim ſtatim jurant, & tamen poſtea deprehenditur eſſe falſum, ſicque timent ſe peccaſſe jurando.

℟. 4. Si angatur circa præparationem ad confeſſionem, dicat ſufficere mediocrem: ſi circa propoſitum, dicat defectum propoſiti ſaltem non certe colligi ex relapſu.

(25) Q. 2. *Quomodo juvandus, qui vexatur motibus, aut dubiis internis?*

℟. 1. Qui interne vexatur motibus blasphemiæ, iræ, invidiæ, phantaſiis turpibus, &c. ſciat nunquam eſſe peccatum mortale, niſi dum voluntas plene conſentit, cogitationes illas cum delectatione deliberate amplectitur, gaudendo illas adeſſe, hinc interroget: an diſpliceant hæ impreſſiones, dum ſe ſuper illas reflectit; ſi ita, prout ordinarie eſt, eſt ſignum non conſenſiſſe, ſaltem plene: ſerio prohibeat, ne ſimilia confiteatur, niſi forte ſibi in genere, nunquam alteri; quia hic forte inexpertus conſcientiam ipſius involvens multum torquebit.

℟. 2. Internas vexationes ſcrupuloſus facilius vincit, ſi ſpernat, inde non turbetur, non diſputet, opus inceptum proſequatur, quaſi nihil pateretur; dolet enim

enim ſuperbus hoſtis, ſi ſpernatur, ideoque ſpernentem deſerit: econtra valde gaudet, ſi quem in peccatum trahere non poteſt, ſaltem his perturbet, tædioſum reddat, &c. Si importune perſeverent, patienter toleret, Deo pro peccatis forte præteritis offerat, certo confidens ad magnum præmium profuturas, nullo autem unquam ſigno exteriori prodat ſe vexari.

℞. 3. In dubiis contra fidem non eliciat actum fidei, niſi forte in genere, ſed habeat ſe quaſi permiſſive contemnendo. V. G. tentatio dicit: *Chriſtus non eſt in Euchariſtia præſens*, non reſpondeat: ſed cogitationes alio divertat, vel mente dicat: *Non ſit præſens, quid jam?* Si dicat: *Ergo tu hoc non credis?* Reſpondeat: *Nolo credere jam, ſed credam, dum opus fuerit.*

℞. 4. Similiter judicia temeraria contemnat V. G. videt Titium liberius jocantem cum puella, incidit ipſi: *Titius eſt luxurioſus*, non quærat rationes, ut potius judicet non eſſe talem; ſic enim augebitur tentatio, ſed quaſi contemnendo interne dicat: *Sit luxurioſus, quid ad me?* Si tentatio urgeat: *Ergo non judicas ipſum eſſe innocentem?* Reponat mente: *Non ſit innocens: quid ad me?* Et quamvis videatur ſibi habere judicium temerarium, vix unquam habet; ſunt enim tantum impreſſiones fortes. *Idem eſt de multis aliis.*

℞. 5. Vix unquam tenetur corrigere detrahentes alterius famæ ſaltem ſtatim; quia cum propter conſcientiæ turbationem non poſſit in praxi diſcernere, an detractio ſit gravis vel levis, an crimen injuſte, an juſte referatur, hinc exponeret ſe periculo reprehendendi, ubi foret tacendum, & per hoc etiam aliorum deſpectui ac ludibrio; nemo autem tenetur cum gravi ſuo incommodo alterius famam tueri.

℞. 6. Si ſcrupuloſum urgeat tentatio: quid ſi in hac vel illa occaſione eſſes poſitus, ſi deberes mori aut peccare, &c.? Non reſpondeat, non determinet ſe ad

aliquam partem, ſed divertat animum ad alia impertinentia, aut humiliter coram Deo dicat: ſi ſimilis caſus ſe offerret, quid eligere deberem, ſcio, quid facerem, neſcio conſcius infirmitatis meæ; nunc Deum offendere nolo, pro futuro Dei gratiam infirmitati meæ ſpero affuturam,

℞. 7. Non tantum ſcrupuloſi, ſed & omnes, qui timidæ ſunt conſcientiæ, non debent in æſtu tentationis qualiscunque ſe examinare, an conſenſerint, ſed rejiciant in aliud tempus, quando tentatio ceſſabit; quia ob perturbationem non ſunt apti tunc ad judicandum. Nec refert, quod poſtea obliviſcantur, quomodo ſe habuerint; potius enim hoc eſt admittendum, quam ſine fructu ſe vexare, aut etiam exponere periculo conſentiendi.

℞. 8. Singulariter monendi ſunt, ne contra tentationem ſe defendant geſtu corporis, aut interne dicant: nolo; hæc enim ſunt vexationes inutiles ſui, cauſantque dolores capitis; itaque quieti maneant, nude contemnant, agant, quod agunt, cogitent de illo, quod primo occurrit, numerando V. G. feneſtras.

℞. 9. Dum poſtea ſe examinant, & primo quaſi intuitu non vident ſe certo conſenſiſſe, præſumant non conſenſiſſe, nec recedant ab hac reſolutione ſemel facta; fruſtra enim ſe vexabunt, & nunquam certitudinem conſequentur: nunquam autem credant ſe conſenſiſſe, niſi certi ſint ſe plene advertiſſe malitiam gravem, & in eam plene conſenſiſſe.

(26) Q. 3. *Quid agendum illis, qui ſcrupuloſe ſemper timent, ne cum dubio operentur?*

Hic ſcrupulus multis eſt moleſtus; ex una enim parte certum eſt peccare graviter, qui operatur dubitans, an hoc, quod facit, ſit mortale; ex altera multi ad omnia quaſi hærent, & nihilominus ſæpe operan-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

rantur, hinc poſtea dubitant: an peccaverint agendo cum dubio?

℟. 1. Si ſcrupuloſus primo ſtatim intuitu ſine formidine non agnoſcat eſſe peccatum, quod agere vult, vel omittere, hoc ipſo judicet eſſe licitum, nec examinet rationes. 2. ſi ſciat alios, qui habentur probi, ſimilia facere, recte judicat & ſibi licere. 3. Quamvis poſtea inveniat ſe quandoque erraſſe, nil refert, poteſt pergere eodem modo; cum enim per experientiam ſciat tales timores communiter eſſe vanos, & nimia ſit difficultas examinandi omnes, prudenter omnes contemnit, & per accidens eſt, ſi quandoque peccet materialiter. 4. Si non poſſit ſibi formare conſcientiam certam, quod non peccet, tantum cogitet, quod cuique eſt facile, Deus vult, ut contemnam, hoc indicant mihi Theologi & Aſcetæ, ac meus Confeſſarius, qui eſt mihi loco Dei; ſequendo autem Dei voluntatem peccare non poſſum: & quamvis non poſſit tam cito ſe reſolvere, nec ſatis contra timorem agere videatur, non peccat; quia timor ille non eſt judicium. 5. Si ſcrupuloſus ſit certus ſe habuiſſe dubium, non ideo eſt certus ſe peccaſſe; quia potuit fuiſſe dubium tantum ſpeculativum, & quia de hoc vix unquam eſt certus, ad ſummum manet dubium, an revera peccaverit, cum autem non teneatur confiteri dubia, ut tandem ſe liberet etiam a periculis peccandi, conſultius eſt, ut ſe deſuper non examinet, ſed cogitet: vel non peccavi, vel cum de hoc non ſim certus, non teneor confiteri. *Quid in caſibus particularibus circa Miſſam, horas canonicas &c. dicendum ſit: dicetur ſuis locis. Hoc generaliter obſ. bene*: aliquos eſſe ſcrupuloſos in confitendis peccatis, ſed laxos ac nimis faciles in iis committendis. Hi verſantur in ſtatu valde periculoſo, nec aliud eſt remedium, quam ut a Confeſſario ad Dei timorem & crebras confeſſiones rite peragendas addu-

cantur: poterunt tamen priora remedia prudenter illis applicari, nec nimis rigide ſunt tractandi; alias omnem confeſſarii correctionem & ipſam confeſſionem fugient, peribuntque.

De Conſcientia.

Caſus I. Titius 1. adhuc puer aliquoties audivit a matre ſe per mendacium mereri infernum, nihilominus ſæpe mentitus eſt 2. adultior factus turpia ſæpe verba coram aliis protulit, cogitans quidem ſe peccare, ſed non cogitans: an mortaliter, an venialiter. *Dein* 3. audivit in catechiſmo deſideria carnaliter peccandi eſſe gravia peccata, de quo ipſe nunquam cogitavit; hinc de illis in confeſſione ſe jam accuſavit. Nuper 4. deſiderabat peccare cum perſona, quam putabat conjugatam eſſe, & ex poſt audivit eſſe liberam. *Denique* 5. judicat ſe optime facturum ingrediendo religionem, ut ſe a periculo peccandi liberet, quod tamen non facit. Q. 1. *Quod & quotuplex ſit conſcientia?* 2. *Quomodo in his peccaverit Titius?*

℞. 1. Conſcientia eſt *dictamen, quo intellectus judicat, actionem aliquam vel omiſſionem hic & nunc, hoc eſt, penſatis omnibus circumſtantiis eſſe licitam vel illicitam;* dividitur *in rectam, erroneam &c.* (a).

℞. 2. Mater male fecit hoc modo filium deterrendo, & ſi ipſe poſt adeptum uſum rationis apprehenderit in mendacio gravem malitiam, peccavit graviter mentiendo ratione conſcientiæ (b). *In* 2. Interroget Confeſſarius: an non cogitaverit ſubeſſe periculum gravioris peccati, aut ſe debere deſuper inquirere V. G. apud Confeſſarium; ſi hoc, peccavit graviter, & ut in priori interrogandus eſt de numero; ſi nihil deſuper inciderit, non peccavit graviter; quia ad mortale requiritur advertentia ad malitiam gravem vel ejus peri-

(a) *Vid. Num.* 1. (b) *Vid. Num.* 4.

periculum: malitia autem communis mortali aut veniali non eſt gravis. *In* 3. Cum ignorantia ſupponatur invincibilis, non peccavit, & hæc afferendo non habuit materiam. *Nec obeſt*, quod ex poſt judicaverit ſe peccaſſe; quia eſt conſcientia conſequens, quæ priores actus non immutat. *In* 4. Eſt adulterium mentale ob conſcientiam. *In* 5. Eſt conſcientia conſulens, quam uti & inſpirationes divinas per ſe loquendo non tenetur ſequi, quamvis conſcientia alliciat, modo habeat ſinceram voluntatem in ſæculo, Deo juvante, vitandi pericula, quod poteſt ad conſilium Confeſſarii, ineundo etiam, ſi circumſtantiæ adſint, honeſtum matrimonium, quod ſæpe ſimilibus melius eſt, quam religio talis, in qua non eſt rigor, & diſciplina, & a potiori quam ſtatus Eccleſiaſticus, in quo facile inveniet occaſiones majoris ruinæ.

Caſus II. Parochus indoctus 1. promulgat jejunium, dum non eſt, hinc aliqui jejunant, aliqui non 2. dum eſt, obliviſcitur, hinc parochiani non jejunant 3. dicit famulas poſſe, imo teneri auferre res domeſticas ad ſublevandos pauperes, dum Heri ex avaritia non dant, *Denique* in Catechismo ex ignorantia articulum falſum ut a Deo revelatum & credendum proponit. *Q. qualiter peccaverit, & ad quid teneantur Parochiani?*

℞. 1. Parochus tenetur ſub mortali intra breve tempus acquirere ſcientiam ad officium paſtorale neceſſariam, aut beneficium reſignare; hoc ſi non faciat, abſolvi non poteſt. *Idem de Confeſſario & ſimilibus.* Sine illa enim officium ſuum debite adminiſtrare non poteſt. ℞. 2. Promulgans jejunium, dum non eſt, peccat graviter, quia injuſte imponit ſubditis onus grave: nec excuſat error, poterat enim, & debebat inſpicere calendarium, & ideo peccat graviter non promulgando,

do, ad quod tenetur; hæc tamen intellige: *per ſe loquendo* (a). ℞. 3. Parochiani credentes eſſe jejunium, peccant graviter contra temperantiam, ſi non jejunent; dum autem non promulgatur, excuſari poſſunt, ſi de oblivione Parochi nihil inciderit. ℞. 4. Tertium eſt error vincibilis, graviter culpabilis: in ſubditis, ſi ſint rudes, poteſt eſſe invincibilis: ſi de ſufficientia Parochi non dubitent; ideo poſſunt, imo tenentur hic & nunc furari (b). Si dubitent, an non forte in hoc erret Parochus, tenentur apud alios veritatem inquirere, alias & ipſi peccant. ℞. 5. Quartum eſt error valde craſſus ſimplices tamen ſi de ſufficientia Parochi non dubitent, tenentur conari elicere actum fidei, merebunturque; attamen non erit fidei divinæ, cum huic nequeat ſubeſſe falſum.

Caſus III. Caja rudis ſic confitetur 1. die animarum non audivi Miſſam. 2. Aliquoties poſt contractum factum de dando pretio decurtavi aliquid de mercibus, quia judicabam pretium eſſe nimis tenue; eſtne hoc peccatum? 3. Bis die Dominica non audivi Miſſam, ſemel ob prolem parvulam inquietam, ſemel ob infirmitatem. *Denique* cum inſtet finis Jubilæi, dolenter refero, quod olim fuerim carnaliter cognita, licet non perfecte a quodam, cujus frater ex poſt me poſtulavit in conjugem: renui, quia ſciebam, me id ideo non poſſe, urgentibus tamen parentibus tandem conſenſi, quia puduit peccatum aperire. *Quid judicabit, & faciet Confeſſarius?*

℞. In 1. petat: an judicaverit eſſe obligationem, & ſic peccavit ſine cauſa non audiendo (c); eſtque monenda, quod non ſit obligatio, ne in poſterum peccet. *Ad* 2. In his & ſimilibus inquirat, quandonam dubitare inceperit, an poſt, vel ante, aut in facto? ſi poſt, non

(a) *Vid. Num.* 4. (b) *Vid. Num.* 5. (c) *Vid. Num.* 14.

non peccavit, ſi ante, aut in facto; jam peccavit. (a) Sive autem peccaverit, ſive non, ad reſtitutionem tenetur, dicatque indubie eſſe furtum. In 3. roget, an hoc non obſtante apprehenderit gravem obligationem audiendi, ſicque peccavit graviter; ſi tamen adeo infirma fuerit, ut accedere non potuerit, non peccavit defectu libertatis. *Ad* 4. Si abſolute judicavit ſe non poſſe, contraxit invalide; non enim potuit efficaciter conſentire; ſi autem dubitavit, an adhuc poſſet, voluitque facere, quantum potuit, contraxit valide: interim peccavit graviter contra præceptum grave Eccleſiæ; & contra religionem, quia tentavit contrahere, quod ſe licite imo valide facere non poſſe judicavit. Peccavit etiam graviter, quoties admiſit actus ſolis conjugibus licitos, de quibus, uti & de confeſſionibus interea factis interroganda eſt; cum autem revera non ſubſit impedimentum, curet, ut matrimonium revalidetur per novum conſenſum.

Caſus IV. Titius rudis Canonicus judicans omnes diſtractiones ſub Miſſa eſſe peccatum mortale confitetur 1. ſe ſæpe fuiſſe diſtractum 2. ex perplexitate ſæpius in Miſſa repetiviſſe formam conſecrationis 3. officium canonicum omiſiſſe 4. cum ancilla aliquoties peccaſſe. Q. 1. *quid ſit conſcientia perplexa, & quid in ea agendum? qualiter peccaverit Titius?* 3 *an & quomodo monendus pœnitens errans? &* 4 *qualiter monendus Titius?*

℞. 1. Conſcientia perplexa eſt *dictamen intellectus dictans ineſſe peccatum utrique oppoſitorum, quorum unum neceſſe eſt, ut fiat:* habens illam tenetur adhibendo diligentiam moralem deponere, alias peccat, quidquid ex oppoſitis agat; ſi deponere non poſſit, debet eligere, quod apparet minus malum, ſi nec hoc diſcer-

(a) *Vid. Num.* 14.

ſcernere poſſit, non peccat, quidquid eligat; deeſt enim libertas ad peccandum requiſita. *Ad* 2. Quoties fuit diſtractus voluntarie, peccavit graviter ob conſcientiam erroneam; ſi involuntarie, non peccavit ob defectum libertatis: igitur qui timet diſtractiones eſſe mortale, debet ſe prius reſolvere, alias facile peccabit graviter. Titius ſciens ſe in Miſſa perplexum, tenetur prævie interrogare doctos, hoc dum non fecit, peccavit graviter, ſive formam ex perplexitate repetierit, ſive non. *Ad* 3. Pœnitentem laborantem conſcientia erronea in materia peccati contra ſe tenetur confeſſarius informare, ut eum a periculo peccandi liberet; attamen non nimium laxando conſcientias (a). Errantem pro ſe vincibiliter monere debet, uti & errantem invincibiliter, ſi ſperet fructum: ſi non ſperet, debet tacere relinquendo eum in peccato materiali. *Ad* 4. Dicat ipſi: Dominatio veſtra utique recordabitur obligationis reſtituendi ob horas neglectas. Ratione ancillæ, ſi ſit occaſio proxima, tenetur monere, licet prævideat non obtemperaturum, obligationemque invincibiliter ignoret, quia etſi forte non peccaret retinendo, peccabit tamen poſtea formaliter; quod non eſt in aliis.

Caſus V. Caja moribunda confitetur, ſe ante annos viginti peccaſſe cum fratre ſponſi, nunc mariti, cumque hoc confiteretur, audivit eſſe impedimentum, attamen ex pudore contraxiſſe. Berta confitens generaliter inter alia dicit, ſe ſemel antehac peccaſſe cum conſanguineo ſui mariti. *Quid cum utraque faciet, Confeſſarius?*

℞. 1. Confeſſarius primus male fecit per ſe loquendo ſtatim indicando impedimentum, debeat prius inquirere, an copula fuerit perfecta; & ſi hoc: an Caja eſſet

(a) *Vid. Num.* 10. 11. & 12.

eſſet in bona vel mala fide: an admonitio eſſet profutura; dum enim proxime inſtant nuptiæ, magis ſi omnia parata ſint ad illas ſolemniter habendas; ordinarie obeſt monitio. ℞. 2. Videndum jam eſt, an ſit ſpes reconvaleſcentiæ: ſi non, juvet in examine & repetendis confeſſionibus, *de quo alibi*, & vere dolentem abſolvat; ſi autem ſit ſpes reconvaleſcentiæ, & ideo periculum peccandi, oportet mox impetrare diſpenſationem, & dein revalidare matrimonium. ℞. 3. Interroganda eſt Berta 1. an fuerit factum ante vel poſt matrimonium contractum, ſi ante, in quo gradu fuerit conſanguineus; ſi in ſecundo, matrimonium eſt nullum, & tunc *ſecundo* inquirendum caute, an ſit in bona fide: ſi in mala, inhibendus eſt omnis actus ſolutis non licitus, utpote intrinſece malus; ſi in bona, an pacifice vivant? an ſit ſpes abſtinendi interim ab illicitis &c. vel paucis interroget: an non hoc alias Confeſſario prudenti ſit confeſſa? ſi ita: poteſt ſupponere hunc ſatisfeciſſe ſuo officio.

Caſus VI. Mulier ex odio non vult accedere ad virum, quem invincibiliter credit eſſe ſuum: Confeſſarius advertit matrimonium eſſe nullum, adeoque revera non eſſe ſuum; non expedit autem monere de nullitate. *Quid faciet Confeſſarius?*

℞. 1. Non poteſt illi ſuadere petitionem debiti conjugalis; quia quoad hoc eſt ſui juris, & aliunde eſt peccatum materiale, quod ſaltem ſine urgentiſſima cauſa ſuaderi non poteſt, quamvis diſſimulari poſſit. ℞. 2. Poteſt & debet illi præcipere redditionem debiti, quamvis materialiter malam; quia ſi non reddat peccat formaliter, ſi reddat, peccat tantum materialiter; hic valet: e duobus malis eligendum eſt minus; hinc ſi non velit reddere, non eſt abſolvenda, cum ſit in ſtatu peccati ratione credulitatis. Quodſi non timeantur mala majora, revelandum eſt impedimentum.

Caſus

Caſus VII. Titius 1. in multis dubitat, an ſint licita, attamen operatur. 2. Complacet ſibi carnaliter, & concupiſcit varias perſonas; de quibus dubitat, an ſint conjugatæ. 3. Percuſſit hominem peregrinum, quem timebat eſſe Clericum. *Denique* cras confiteri intendens inſpicit libros, ut videat, an & qualiter peccaverit. *Q. Quid & duplex ſit dubium? an liceat agere cum dubio? & quid ad caſum?*

℟. 1. Dubium eſt *ſuſpenſio intellectus neutri parti ex contradictoriis determinate adhærentis:* aliud eſt: *poſitivum*, aliud *negativum;* aliud *juris*, aliud *facti*, aliud *practicum*, aliud *ſpeculativum* (a). ℟. 2. Qui agit cum dubio practico, an actio hic & nunc ponenda forte ſit illicita, exponit ſe periculo peccati formalis, & quantum eſt in ſe, virtualiter contemnit legem; hinc peccat peccato ejusdem ſpeciei & qualitatis, cujus eſt peccatum, de quo dubitat; unde debet actionem ſuſpendere, donec prævio morali examine dubium practicum prudenter deponat, etſi ſpeculativum maneat. ℟. 3. Titius in 1. Si dubium practicum non deponat, peccat, ſive licita ſint, ſive non: in 2. contrahit malitiam adulterii: & in 3. ſacrilegii; ſi tamen ex poſt ſcire non poſſit, an ſit Clericus, non incurrit excommunicationem, quia delicta conſummata & inde ſequens pœna in dubio præſumi non debent. *Ad ult.* ℟. Fruſtra inquirit, an hoc vel illud, quod fecit, ſit peccatum, ideoque confiteri teneatur: hoc enim ex conſcientia pendet, quam habuit, dum operabatur.

Caſus VIII. Cajus 1. varias res emens dubitat, an ſint furtivæ. 2. Carnaliter peccavit cum conjugata, & prole nata dubitat, ad quid teneatur; quia non conſtat, an ipſe ſit pater, an maritus, an Titius, qui etiam dicitur circa idem tempus rem habuiſſe cum illa. 3. Conſulit furtum, & dubitat, an conſilio ſuo influxe-

(a) *Vid. Num.* 13.

influxerit. *Denique* 4. dubitat, an res apud ſe depoſita caſu, an ſua culpa perierit. *Quid ad hoc reſpondebit Confeſſarius?* ℞. 1. Emens vel accipiens rem, prudenter dubitans, an ſit furtiva, an bona fide poſſideatur a vendente, peccat contra juſtitiam; quia ſe exponit periculo injuſtitiæ, teneturque diligenter inquirere veritatem; hanc ſi non inveniat, reſtituere debet ſaltem pro rata dubii. Nec juvat poſſeſſio, cum non ſit juſta. Si omnino ab initio bona fide acceperit, & veritas inveniri non poſſit, poteſt conſumere: quia prævalet titulus poſſeſſionis. ℞. 2. Si dubitetur, an Cajus, anve maritus ſit pater, probabiliter ad nihil tenetur, licet maritus nullas ante proles ex uxore genuerit, & illa putet ſe ex adulterio concepiſſe: quia in hoc errare poteſt, & in dubio præſumitur pro matrimonio & prole. Sed contrarium tenendum eſt in praxi: pro quo *Vide Part.* 2. *Tract.* 3. *de injur. & Reſtitut. in partic. Q.* 4. *n.* 64. Si conſtet non eſſe ex marito, & dubitetur, ex quo adultero, ambo tenentur pro rata, & ad totum in defectu alterius. ℞. 3. in 3. tenetur pro rata dubii; quia præſumptio eſt pro efficacia conſilii, niſi probet non influxiſſe. De his vide partem ſecundam (a). *In* 4. Cum delictum non præſumatur, manet in poſſeſſione ſuæ innocentiæ, niſi conſtet aliquid culpabiliter omiſiſſe, vel commiſiſſe, unde facile poterat res perire.

Caſus IX. Titius 1. vovit non amplius tangere mulierem & 2. perpetuam caſtitatem, ſed ex poſt dubitat, an habuerit intentionem ſe obligandi, aut ſaltem ſatis deliberate; quia factum eſt in periculo naufragii. 3. Suſcepit Subdiaconatum dubitans de irregularitate; tum quia dubitat, an aliquem mutilaverit; tum quia ſemel conſilium dedit puellæ pro abortu procurando,

(a) *De injuriis & Reſtit. in comm. Num.* 40.

do, & ſemel qua ſtudioſus, cum ſocii alium invaderent, quem ad mortem vulnerarunt, ipſe veſtes illorum cuſtodivit. *Denique* 4. dubitat, an heri nimis ſero biberit, & tamen cuperet hodie ordinari Diaconus. Q. 1. *An Titius potuerit inire matrimonium? 2. an & qualiter peccaverit ſuſcipiendo Ordines? 3. an revera ſit irregularis? 4. an licite ſuſcipiat Diaconatum?*

℟. 1. Si prudenter dubitet, an intellexerit tantum de tactu fornicario, poteſt ducere uxorem; quia poſſeſſio eſt pro libertate. Ratione ſecundi non potuit (a); quia poſſeſſio eſt pro voto: modo ſciverit, quid ſit vovere; aliud eſſet, ſi omnibus conſideratis dubitaret, an fuiſſet nudum propoſitum; & quia metus raro tollit deliberationem requiſitam, præſumitur deliberatio ſufficiens adfuiſſe. ℟. 2. *ad* 2. Peccavit graviter & multipliciter, etſi revera irregularis non fuiſſet ℟. *ad* 3. Ob dubiam mutilationem non incurrit irregularitatem, quæ tantum incurritur in dubio homicidii, & quidem injuſti. ℟. 4. Si non conſtet, an fœtus fuerit animatus, juxta aliquos non eſt irregularis; quia non conſtat de homicidio: ſi fuit animatus, eſt irregularis, licet dubitet, an conſilio influxerit; quia conſtat de cauſa ſufficiente poſita. ℟. 5. Si alter ſit ex percuſſione mortuus, eſt irregularis, quia reddendo alios animoſiores concurrit. ℟. *ad* 4. Ob jejunium probabiliter non tenetur abſtinere, præſertim ubi examen, & alia peracta ſunt; favet enim poſſeſſio; cum quilibet habeat jus ſumendi communionem, donec probetur incapax, quod incumbit volenti impedire; attamen, ſi heri dubitavit de duodecima, tenebatur abſtinere ob reverentiam Sacramenti ab ulteriori potu.

Caſus X. Cajus cum aliis ſerius bibit nondum dicti Veſperis, interrogans ſocios, quænam eſſet hora, aliqui affirmabant, præteritam eſſe duodecimam

(a) *Vid. Num.* 18. & 19.

mam, alii negabant: affirmantibus credidit, & omiſit, cogitans, præceptum non poſſe amplius impleri. *An bene?*

℞. Valde male: quia lex obligans erat in poſſeſſione, ſicut & ſi in uno horologio audiatur duodecima, in altero etiam bene communiter regulato nondum audita ſit, tenetur orare.

Caſus XI. Parochus 1. audit ſuum Sacellanum heri in rixis percuſiſſe Clericum; hinc dubitat, an poſſit ei confiteri vel ſaltem converſari 2. conſecrat in vino valde acetoſo: 3. aſſiſtit matrimonio, dum dubitatur de quarto gradu conſanguinitatis. *Denique* abſolvit pœnitentem dubitans & de ſua jurisdictione, & an pœnitens ſit diſpoſitus. Q. *Qualiter peccet, & quid ei fuerit faciendum?*

℞. *ad* 1. Si non poſſit ſcire, an revera notorie percuſſerit, non tenetur vitare ejus conſortium; cum melior ſit conditio poſſidentis; adeoque faceret ei injuriam; non poteſt tamen ei confiteri; quia dubitatur de jurisdictione requiſita ad valorem (a). *Ad* 2. ℞. In vino acetoſo valide, ſed graviter illicite conſecratur ſine neceſſitate, ob reverentiam tanti Sacramenti: ſi prudenter dubitetur, an ſit corruptum ſubſtantialiter, nunquam licet conſecrare, quia Sacramentum exponitur periculo nullitatis, nec ulla hic eſt neceſſitas excuſans. *Ad* 3. *&* 4. ℞. Si adſit jurisdictio vere probabilis, valide & ex juſta cauſa licite abſolvit; ſupplet enim Eccleſia, ſicut & dum adeſt probabilitas juris pro non exiſtentia impedimenti; *de quibus alibi.* *Ad* 5. ℞. In neceſſitate abſolvat ſub conditione: extra illam languentem excitet, & ſi probabile judicium habeat de diſpoſitione, poteſt abſolvere; ordinarie enim majorem certitudinem habere non poteſt, eamque inquirere eſt nimis

(a) *Vid. Num.* 16.

mis moleſtum; ſi autem diſpoſitio maneat omnino dubia, per ſe loquendo dimittat, ut abſterritus alia vice ſe magis dignum reddat.

Caſus XII. Filius legens in Authore eſſe probabile, ſatisfieri præcepto audiendi Miſſam ab illo, qui venit ad Offertorium, ſimulque oppoſitum ab aliis audiens eſſe probabile, cum veniret finito Evangelio, ac reflecteret ſe probabiliter non ſatisfacere, recedit judicans ſe juxta probabilem non poſſe ſatisfacere, ac proin non teneri, cum aliud Sacrum non eſſet futurum. Item ſcriptus hæres in teſtamento non ſolenni hæreditatem adit, quia putat probabiliter validum pro foro interno, ac legata ſolvere renuit, quia ſolennitatibus deſtitutum. Q. 1. Quid ſit opinio probabilis. 2. An liceat eam ſequi. 3. Quid ad caſum.

℟. 1. Eſt judicium prudens ad incertum nitens motivo gravi virum prudentem ad aſſenſum moventi (a). 2. An liceat eam ſequi, ſi agatur de ſola liceitate actionis, pro & contra in ſcholis controvertitur, utriusque ſententiæ fundamenta. Vid. (b) *Ad* 3. male agit recedendo; tenebatur enim non ſolum probabiliter ſed certo ad partem miſſæ adhuc reſiduam, in qua ſalvatur finis præcepti, qui eſt cultus Dei, ſanctificatio diei &c. eſtque præceptum audiendi Miſſam ſaltem quoad accidentalia dividuum (c). *Ad ult.* Iterum male, eoquod non liceat ſequi duas opiniones probabiles, ſi inde una lex certe violetur, prout in caſu certo læditur jus unius, eſſetque talis, ſi hæreditatem adiviſſet, in alterutro malæ fidei poſſeſſor.

Caſus XIII. Judex Petro & Paulo litigantibus de agro judicat eum probabilius eſſe Petri: quia tamen 1. pro Paulo etiam eſt motivum grave, hinc huic

(a) *Vid. Num.* 15. (b) *Vid. Num.* 16. & 17.
(c) *Vid. Num.* 42. *de legibus.*

huic adjudicat ſaltem ex parte: vel 2. quia judex ſuperior hoc ei mandat: vel 3. quia conjudices alii ex plurima parte ſunt pro Paulo: vel 4. quia hic triumphavit in poſſeſſorio: vel 5. quia re melius examinata jus videtur æquale: vel *denique* quia dicuntur aliqui caſus eſſe pro amico. *Q. Quam ſententiam debeat ſequi judex, & quid ad caſum?*

℞. 1. Judex in *civilibus* non privilegiatis debet ſequi probabiliorem, debet enim ex officio judicare juxta merita cauſæ: in *criminalibus* debet ſequi minus probabilem, ſi hæc faveat reo, cui favere debet, quamdiu pro ejus innocentia ſtat aliqua probabilitas. (a) ℞. *In* 1. tenetur adjudicare totum Petro; cum enim ad unum tantum pertineat, debetur totus Petro. In 2. ſi certum ipſi ſit, quod ſua opinio ſit probabilior, non poteſt obedire; quia mandatum Superioris eſt de re illicita: ſi ſit incertum, debet obedire, quia in dubio parendum eſt Superiori. *Pariter* in 3. ſi non ſit certus, quod ſua ſit probabilior, poteſt ſe ſubmittere judicio aliorum, cogitando ſe poſſe errare, alias non. *In* 4. ſi Paulus probet poſſeſſionem legitimam, quamvis reſpectu proprietatis major ſit ratio pro Petro, debet adjudicare Paulo; quia prævalet titulus poſſeſſionis, niſi conſtet de proprietate, & nondum ſit præſcripta. In 5. debet dividere, vel partes ad compoſitionem inducere; alias adjudicando uni non ſervatur æqualitas, & committitur mendacium perniciofum. *Ad ult.* ℞. intelligendum tantum eſt ubi, non agitur de juſtitia commutativa, vel præjudicio tertii.

Caſus XIV. Advocatus pecuniæ cupidus cauſas non prius diſcuſſas tot, quod habere poteſt, ſuſcipit, dubias, improbabiles, quas clienti dicit eſſe omnino juſtas; minus probabiles, quas fortiter pro-

(a) *Vid. Num.* 26.

proſequitur, quandoque monendo, quandoque non monendo clientem; dumque ex poſt injuſtam advertit, ſuadet compoſitionem: tandem licet certo ſciat, Petrum eſſe reum homicidii, nihilominus ſtrenue defendit, & a morte liberat. Q. *An & qualiter in his peccet, & ad quid teneatur?*

℞. 1. Advocatus peccat graviter quasvis cauſas aſſumendo, ſicut & plures etiam juſtas, quam quas intra debitum tempus expedire poſſit, teneturque compenſare damnum, quod inde cliens & pars adverſa patitur (a). Per ſe ſufficit diligentia mediocris, attamen pro qualitate cauſæ tenetur majorem vel minorem adhibere. ℞. 2. Debet diligenter examinare cauſæ, quam ſuſcipit, æquitatem, ſi inveniat injuſtam, non ſuſcipere, ſincere aperire clienti, quantam probabilitatem habeat, alias iterum tenetur ad compenſationem damni: poteſt ordinarie defendere cauſas minus probabiles, habet enim cliens jus proponendi ſuas rationes, quæ ſæpe ſucceſſu temporis evadunt probabiliores, aut æque ſaltem probabiles. ℞. 3. Si bona fide cauſam ſuſceperit, & poſtea injuſtam deprehendat, debet mox deſiſtere, attamen debetur ei ſalarium; ſecus ſi ob imperitiam V. G. non cognovit ejus injuſtitiam. ℞. 4. Peccat graviter advocatus, Judex, Confeſſarius, ſi cognita injuſtitia cauſæ unius partis litigantis ſub prætextu dubii eventus ſint authores transactionis cum alterius partis damno. *Ad ultim.* ℞. Si faciat, ut Petrus mortem vel gravem pœnam evadat, bene facit; quia reus non tenetur ad pœnam, niſi convictus; poteſt igitur eousque ſe defendere.

Caſus XV. Caja monialis, quia multum angitur de vita præterita, & de facto aliqua judicat eſſe peccata ex levi fundamento, quæ non ſunt arbi-

(a) *Vid. Num.* 26.

arbitratur ſe ſcrupuloſam, ideoque privilegiis ſcrupuloſorum utitur: ſilentium pro libitu frangere ſcrupulos æſtimat: ſorores illud ſtricte ſervantes vocat ſcrupuloſas: de confeſſionibus in juventute peractis anxia velut ſcrupuloſa non auditur, & dum dubia adfert, ſine abſolutione ad communionem dimittitur. *Q. An bene.*

℞. 1. Ex hoc, quod multum angatur de vita præterita, non eſt ſtatim judicanda ſcrupuloſa: quia forte eſt timor rationabilis; nec ex hoc, quod imprudenter judicet aliqua eſſe peccata, quæ non ſunt, habet ſcrupulos, ſed judicia erronea, contra quæ ſi agat, peccat contra conſcientiam, ſcrupulus enim eſt apprehenſio tantum & timor (a). ℞. 3. Non ipſius Cajæ, ſed alterius prudentis erat judicare de ſcrupuloſitate; hinc male utitur privilegiis, & ſi non habeat rationem probabilem ſe peccata dubia vel non admiſiſſe, vel eſſe confeſſam, tenetur ea confiteri. Quod ſilentium pro libitu frangere æſtimet ſcrupulos, ſignum eſt laxitatis; ſorores hoc obſervantes timoratæ, non ſcrupuloſæ vocandæ ſunt. De confeſſionibus in juventute factis male non auditur; niſi jam aliquoties audita ſit, & conſtet inanibus dubiis vexari. Si dubia ſint fundata, diſponenda eſt ad confeſſionem generalem, ſi illam nunquam fecerit; & ex poſt ter, quater, non ultra audienda eſt.

Caſus XVI. Titius alias doctus 1. in multis hæret, an ſint peccata; quia tamen perrexit agere, judicat ſe egiſſe contra conſcientiam; 2. multum tentatur contra fidem & impreſſionibus impuris; & licet totis viribus reſiſtat, ſemper redeunt; 3. ante Miſſam ter, quater pro majori ſecuritate confitetur: intentionem in Altari ex charta recitat: horas repetit, dum diſtracte legit: tandem quia videt ſe non juvari a Confeſ-

Q 4 ſario,

(a) *Vid. Num.* 27. 28. 29.

ſario, cui velut minus docto credere renuit, alium accedit cum lachrymis petens auxilium, quod ipſe ſpondet ea conditione, ut promittat ſe indies Miſſam dicturum, & nonniſi ſemel infra octiduum ad confeſſionem venturum, horas omiſſurum, ſi ita præcipiat Confeſſarius; quia vero dicit ſe hæc facere non poſſe, velut incurabilis dimittitur. *Q. An bene? & quid cum eo agendum?*

Ad 1. quia ſcrupuloſus non tenetur confiteri niſi peccata certa, & vix unquam poteſt eſſe certus, ſe egiſſe cum dubio practico, bene facit, ſi ſe nec examinet, nec confiteatur (a). *Ad* 2. male facit totis viribus reſiſtendo, præſertim geſtibus externis; hæc enim non ſunt remedia, ſed vexationes ſui; oportet, ut nude contemnat, etſi millies redeant, nil refert; non ſufficit habuiſſe turpes V. G. cogitationes, iisque eſſe delectatum, niſi moraliter certus ſit ſe eas voluntarie aſſumpſiſſe, vel plene deliberare conſenſiſſe, & ut malas agnoviſſe. *Ad* 3 Male facit ſæpe confitendo; ſic enim auget ſcrupulos, impedit devotionem. Male facit legendo intentionem, quæ circa Miſſam legendam vix abeſſe poteſt; ſufficit exercita & implicita. Male repetit horas, licet diſtracte legerit. *Ad ult.* Male fecit deſerendo Confeſſarium; & ſecundus, ſi diſcrete proceſſit, benefecit; unicum enim, & facillimum remedium eſt eligere, & conſtanter ſervare unum probum, prudentem & doctum Confeſſarium, (qualis in dubio quisque præſumitur, modo alias pœnitens bona fide procedat) & hunc humiliter ſequi contra quemcunque conſcientiæ remorſum.

TRACTATUS II.

DE

PECCATIS, ET CENSURIS.

DISSERTATIO I.

DE

NATURA PECCATI SECUNDUM SE.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid, & quotuplex ſit peccatum?*

D. 1. Peccatum Theologicum (de quo in præſenti) actuale eſt *voluntaria & libera transgreſſio divinæ legis. dr. voluntaria*; hoc eſt: quæ fiat cum aliqua advertentia & cognitione malitiæ moralis ſaltem confuſa in ſe, vel periculo proximo. *dr. libera*, quia ad omnem actum moralem requiritur libertas indifferentiæ activæ. *dr. transgreſſio legis*; quod fit vel ponendo actum prohibitum, vel omittendo præceptum. *Additur: legis divinæ*; tum quia peccatum a *Theologis* conſideratur potiſſimum ut eſt offenſa Dei, a *Philoſophis*, ut contrariatur rectæ rationi; tum quia omnis alia lex derivatur, & dependet a lege æternaDei, quæ prima eſt, & univerſalis morum regula; vultque Deus, ut juſtis Superiorum legibus obtemperemus;

 ideo-

ideoque qui transgreditur legem humanam, mediate agit contra legem æternam Dei.

Reſ. 1. Definitio convenit cum illa S. Auguſtini: (a) peccatum eſt *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei;* ubi per *dictum* intelligitur etiam non dictum, non factum &c. quia affirmatio & negatio, ut ait *D. Thomas*, reducuntur ad idem.

Reſ. 2. Ut aliquis actualiter formaliter peccet, requiritur actualis aliqua advertentia malitiæ objectivæ ſaltem confuſa & exercita; non enim poteſt ab objecto refundi malitia in actum voluntatis, niſi ab intellectu proponatur, nec eſſe volita niſi præcognita.

Reſ. 3. Siquis per longum tempus ſentiat in corpore inordinatam delectationem, ſed non advertat ad ejus malitiam, vel ſi ad eam advertat, ſi delectationem invitus habeat, non peccat.

Reſ. 4. Quæ inadvertenter fiunt ex conſuetudine peccaminoſa, V. G. blaſphemiæ, imprecationes, non ſunt formaliter peccata, cum hic & nunc non ſint voluntaria; denominantur tamen peccata a conſuetudine non retractata, a qua actiones illæ malæ procedunt, eſtque obligatio gravis emendandi conſuetudinem, ex qua ſequuntur effectus mali retinentes malitiam objectivam. Attamen.

Reſ. 5. In excæcatis, obduratis, conſuetudinariis ordinarie ſaltem adeſt advertentia etiam ad mortale ſufficiens, licet tenuis, & quaſi imperceptibilis, ſicut pulſans organum advertit ad regulas, licet non ita perceptibiliter; non patiuntur quidem conſcientiæ remorſus, ſed hoc non indicat inadvertentiam, ſed contemptum.

Reſ. 6. Peccato eſſentiale eſt eſſe contra aliquam legem, adeoque ſi nulla eſſet lex, non eſſet peccatum formaliter tale.

Reſ.

(a) *l.* 22. *cont. Fauſtum.* c. 27.

Reſ. 7. Omne peccatum hoc ipſo, quod ſit libera divinæ legis transgreſſio, eſt offenſa, & injuria Dei. *Offenſa:* quia transgrediendo legem ille contemnitur, cauſaturque in eo juſta diſplicentia, ira, averſio. *Injuria Dei eſt:* quia per illud aufertur honor Deo, & ipſo invito læditur jus ſupremum, quod habet in omnes actiones noſtras.

Reſ. 8. Hinc non datur peccatum pure philoſophicum, ſive repugnans tantum naturæ rationali qua tali & rectæ rationi, invincibiliter ignorato vel non cognito, quod ſit contra Deum. *Prob.* Dum recta ratio dictat aliquid eſſe malum morale, dictat eſſe culpabile, & prohibitum; ergo peccans exercite cognoſcit ſe, & omnem creaturam rationalem obligari; ergo hoc ipſo cognoſcit Deum ſaltem confuſe ut ſupremum legislatorem. *De quo ſpeculentur alii.*

Ob. 1. Definitio peccati non convenit veniali, quod *S. Thomas* (a) dicit non eſſe contra, ſed præter legem: & *Scotus* (b) dicit eſſe contra conſilium. ℟. *n. aſſ.* veniale dicitur non eſſe contra legem, non quod non ſit vera legis transgreſſio, & Dei offenſa; quis enim negabit transgredi legem eum, qui leviter mentitur, aut rem levem furatur? Sed quia non evertit legis finem, qui eſt charitas. *Scotus* ſumit conſilium, prout opponitur præcepto neceſſario ad ſalutem.

Ob. 2. Dantur peccata inadvertentiæ & ignorantiæ, pro quibus oravi *David;* ergo non requiritur advertentia ſaltem actualis. ℟. *d. a.* inadvertentiæ & ignorantiæ invincibilis. *n.* vincibilis. *c.* ſed hæc adjunctam habet aliquam cognitionem legis & malitiæ: quia ſaltem in confuſo debent advertere, ſe debere magis attendere, & tamen hoc negligere. Pariter ſi ignorantia adhuc ſit actu vincibilis, peccant formaliter, alias tantum

(a) 1. 2. *q.* 88. *art.* 1. *ad* 1. (b) 3. *d.* 21. *q.* 1. *Num.* 3.

tantum materialiter, & quidem formaliter in ſua cauſa, ſive negligentia inquirendi.

Inſt. Quandoque homo peccat, quia potuit & debuit advertere; ergo non requiritur advertentia actualis ſed ſufficit virtualis & interpretativa. ℟. virtualis non eſt ſine omni actuali advertentia, nec potentia moralis proxima libera advertendi ſine ea, adeoque ſine hac non potuit libere, nec debuit advertere; quia prima cogitatio de re aliqua non eſt in noſtra poteſtate.

Reſ. Cognitio & advertentia etiam ad mortale ſufficiens ſæpe adeſt, licet homo poſtea non recordetur eam adfuiſſe; quod inde fit: quia ubi non adeſt expreſſa cognitio, non relinquuntur ſpecies rememorativæ illius; hinc ſæpe committuntur peccata inadvertentiæ etiam mortalia, quamvis poſtea non incidant, & per accidens ea quis confiteri non teneatur.

(2) *D.* 2. Peccatum varie dividitur: aliud eſt *originale*, quod commiſimus voluntate aliena: erat enim *Adam* conſtitutus caput morale noſtrum, eique præceptum ſuo & omnium nomine impoſitum, in cujus voluntate noſtræ voluntates ex ſpeciali pacto erant incluſæ; ideo nos voluimus moraliter, quod *Adam* phyſice, & ita ipſo peccante omnes ordinaria via generationis ab ipſo deſcendentes, excepta immaculata ſemper Virgine Maria, peccavimus, & maculam peccati in inſtanti animationis contrahimus. Aliud *perſonale*, quod propria voluntate phyſice committitur; & hoc aliud *actuale*, eſtque ipſe actus vel omiſſio contra legem: aliud *habituale*, eſtque ipſum peccatum actuale præteritum nondum remiſſum, & eſt quædam macula in anima ex peccato actuali relicta, donec per gratiam ſanctificantem auferatur. Aliud eſt peccatum *commiſſionis*, & eſt actus prohibitus contra præceptum principaliter negativum: aliud *omiſſionis*, & eſt omiſſio actus præcepti contra præceptum principaliter affirma-

firmativum. Aliud eſt *mortale*, quod animæ mortem infert ſpiritualem privando gratia ſanctificante, quæ eſt vita ſupernaturalis animæ, ſicut anima eſt vita naturalis corporis; aliud *veniale*, quod veniam facile meretur, quia non ſolvit amicitiam hominis cum Deo, nec privat illius gratia, ſed tantum retardat ferventiorem gratiæ uſum, ſicque facit hominem tepeſcere, frigeſcere, non autem minuit gratiam; ſi enim habitum gratiæ ex parte minueret, multiplicatis venialibus poſſet tandem deſtrui, quod nemo fidelis dixerit. Aliud eſt peccatum *carnale*, quod in delectatione carnali V. G. gula conſummatur; aliud *ſpirituale*, quod in delectatione ſpirituali, id eſt, mentis, perficitur; uſus tamen obtinuit, ut ſola luxuria dicatur peccatum carnale, & ſpirituale, quod non habet pro objecto delectationem carnalem, etiamſi pertineat ad appetitum ſenſitivum, ut ira, invidia, ſuperbia &c. De utroque Apoſtolus: (a) *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.* Aliud iterum eſt peccatum *cordis*, quod in corde, V. G. odium; aliud *oris*, quod voce, V. G. mendacium, aliud *operis*, quod opere, V. G. furtum committitur. Aliud eſt peccatum *ignorantiæ*, quod ab ignorantia culpabili voluntarium minuente provenit; aliud eſt peccatum *ex paſſione*, quod procedit ex motione appetitus ſenſitivi trahentis voluntatem ad conſenſum, ideoque libertatem minuentis; quod *additur:* quia ut dicatur peccatum ex paſſione, vel fragilitate, debet paſſio antecedere, & quaſi extorquere conſenſum voluntatis; dum enim ſequitur, & excitatur a voluntate, ut dum quis ſponte concupiſcentiam in ſe excitat, eſt peccatum *malitiæ:* quod fit cum plena libertate absque ignorantia & præcedente paſſione. Peccatum ex paſſione gravius eſt ex genere ſuo, quam ex ignorantia; nam hæc minuit liberum & volunta-

(a) 2. *Cor.* 2. *v.* 1.

luntarium, paſſio vero antecedens auget voluntarium. Graviſſimum ex genere ſuo eſt peccatum malitiæ. Aliud iterum eſt contra Deum ſpecialiter & immediate, quod adverſatur virtuti, quæ pro objecto immediato habet Deum, V. G. hæreſis: aliud contra proximum, quod adverſatur virtuti, quæ pro objecto habet proximum V. G. furtum: aliud contra ſe ipſum, quod adverſatur virtuti, quæ hominem ad ſe ipſum recte diſponit ut V. G. temperantia; hinc peccata illis oppoſita ſunt ſpeciali modo contra ipſum operantem. Cæterum omnia peccata generali ratione Deo & ipſi operanti adverſantur. Aliud eſt peccatum *in certa ſpecie*, V. G. furtum: aliud *ſpeciei innominatæ*, V. G. hic actus: nullum amplius volo ſervare præceptum. *Denique* alia dicuntur peccata *propria*, quæ a nobis ipſis fiunt: alia *aliena*, quæ ab alio fiunt, ſed nobis ratione conſilii, vel conniventiæ V.G. imputantur.

QUÆSTIO II.

(3) *Unde deſumatur diſtinctio Peccatorum ſpecifica?*

Suppono 1. Quæſtionem eſſe non de diſtinctione Phyſica, & in genere entis, ſed de morali & in ordine ad confeſſionem; tenemur enim ex Tridentino (a) confiteri ſpeciem infimam, & circumſtantias ſpeciem mutantes.

Suppono 2. Quia ratio peccati formaliter conſiſtit in difformitate ad regulam morum, ſive hæc ſit poſitivum quid, ſive privativum, (*quod noſtri inſtituti non eſt examinare*) hinc peccata intrinſece ſpecificantur, adeoque diſtinguuntur per has difformitates, ita ut ubi ſunt difformitates ſpecie diſtinctæ, ibi ſint peccata ſpecie diſtincta; ideo tantum eſt quæſtio de ſpecificativo

(a) *Seſſ.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7.

tivo extrinſeco, ſive unde colligi poſſit, quot uni vel pluribus actibus (idem eſt de omiſſionibus) inſint difformitates ſpecie diverſæ. Pro quo ſit

Regula 1. Omnia illa peccata diſtinguuntur ſpecie, *quæ opponuntur diverſis ſpecie virtutibus, vel eidem virtuti modo notabiliter diverſo*, hoc eſt: *ſecundum diverſam rectitudinem aut honeſtatem. Ratio primi eſt:* quia quælibet virtus habet ſpecialem & diſtinctam bonitatem ſive conformitatem ad regulas morum; proinde peccatum illi oppoſitum ſpecialem difformitatem vel malitiam. *Ratio ſecundi eſt:* quia dum agitur contra diverſas virtutis honeſtates, contrahuntur diverſæ turpitudines; contrariorum enim eſt par ratio.

Reſ. 1. Specie differunt furtum & ebrietas; hæc enim temperantiæ, illud juſtitiæ opponitur.

Reſ. 2. Specie differunt avaritia & prodigalitas; quia liberalitati opponuntur diverſimode, hæc quatenus retrahit ab exceſſu, illa, quatenus a defectu.

Reſ. 3. Sacerdos opprimens in Eccleſia perſonam voto caſtitatis ligatam varia committit ſpecie peccata: 1. contra caſtitatem. 2. contra juſtitiam violando invitam. 3. ob proprium votum contra religionem ut obligantem ſervare Deo promiſſa. 4. contra eandem ut obligantem ad non polluendam Eccleſiam per copulam carnalem. 5. contra eandem ut obligantem abſtinere a perſonis Deo dicatis.

Reſ. 4. Qui ex loco ſacro aufert rem profanam, ſaltem ſi in eo poſita ſit per modum pignoris, depoſiti, commodati, duo committit ſpecie peccata, unum contra juſtitiam, aliud contra religionem; ſi autem res ſit ſacra, ſunt ſimul duo ſpecie diſtincta ſacrilegia; quia & loco ſacro & rei ſacræ irreverens eſt, ſuntque hi modi inhonorandi Deum, res & perſonas ſacras notabiliter diverſi, & ſic de aliis.

Reſ.

Reſ. 5. Specie differunt pleraque peccata commiſſionis & omiſſionis V. G. hæreſis & omiſſio actus fidei, deſperatio & omiſſio actus ſpei, odium Dei & omiſſio amoris præcepti; reperitur enim in iis turpitudo diverſæ rationis. *Dixi: Pleraque;* quia furtum & omiſſio reſtitutionis eſt ejusdem ſpeciei; eſt enim eadem ratio, ſcilicet violatio juris alieni in bonis fortunæ; rapina vero ſpecie differt a furto ſimplici, quia eſt inchoata violatio perſonæ: ergo diverſa eſt turpitudo.

Reſ. 6. Qui votum & juramentum de eadem re factum violat, committit duplex ſpecie ſacrilegium virtuti religionis diverſo modo oppoſitum; eſt enim obligatio voti, ut ſervetur fides Deo data: juramenti, ne Deus in teſtem vel potius ſponſorem falſi adducatur.

Reſ. 7. Qui diſſentit variis fidei articulis, unum ſpecie committit peccatum; quia eidem virtuti fidei eodem modo oppoſitum, quatenus ſcilicet hæc obligat ad ſubmittendum intellectum authoritati divinæ ſufficienter propoſitæ, ideoque non tenetur exprimere articulos, quibus diſſenſit. *Recolenda hic ſunt, quæ de circumſtantiis actuum humanorum diximus* (a). Pro clariori ſit

(4) *Regula* 2. Tot ſunt peccata in uno vel pluribus actibus ſpecie diſtincta, quot violantur leges vel præcepta formaliter diverſa. *Ratio eſt:* quia peccatum eſſentialiter eſt transgreſſio legis, & malitia ejus conſiſtit in difformitate ad legem; unde & colligitur eſſe malitia ſpeciei diverſa, ubi violantur leges formaliter diverſæ, & econtra. Pro quo

Obſ. Leges ſunt diverſæ vel *materialiter tantum*, quando ſecundum entitates ſuas ſunt plures, quia V.G. una eſt naturalis, alia poſitiva, una a Deo, alia ab homine, una hoc, alia alio tempore lata: vel etiam *forma-*

(a) *Diſſertat.* 2. *q.* 2.

formaliter & in ratione legis, quando una diverſam ab alia adfert vim obligativam; obligatio enim eſt forma & quaſi anima legis; tunc autem hoc facere cenſentur, quando vel verſantur circa materias in genere moris notabiliter diverſas, vel circa eandem quidem materiam, ſed ſub diverſo motivo diſtinctarum virtutum V. G. Præceptum non furandi abſolute, & non furandi rem ſacram: vel ſi materia & etiam motivum ſit idem, quando aliunde conſtat, quod legislator velit afferre diverſam obligationem.

Reſ. 1. Specie differunt violatio jejunii per eſum carnis, & per duplicem refectionem in cibis licitis; quia unum præceptum qualitatem, aliud quantitatem præſcribit.

Reſ. 2. Eccleſia in die feſto præcipit Subdiacono audire Miſſam & legere horas canonicas, quarum legum motivum eſt idem cultus, quia tamen materiæ ſunt notabiliter diverſæ, recte colligimus leges formaliter diverſas, & peccata ſpecie diſtincta; idem eſt de auditione Miſſæ, & abſtinentia ab opere ſervili.

Reſ. 3. Si jejunium ab Eccleſia præceptum præcipiatur a Superiore ex obedientia, a confeſſario imponatur pro pœnitentia, & ſimul illud quis voverit, ſunt quatuor quaſi leges formaliter diverſæ: prima Eccleſiæ ex motivo temperantiæ: ſecunda Superioris ex motivo obedientiæ; tertia confeſſarii ex motivo virtutis pœnitentiæ in ſatisfactionem pro peccatis: quarta voti ex motivo religionis; hinc ſi transgrediatur per actum phyſice unum, committit quatuor peccata ſpecie diſtincta in confeſſione explicanda, quæ facile applicantur aliis.

QUÆSTIO III.

Unde deſumenda diſtinctio peccatorum numerica?

N. Idem phyſice actus ſæpe habet malitias moraliter diverſas, & actus phyſice plures unam numero malitiam in ordine ad confeſſionem; videndum igitur, unde idipſum cognoſcatur.

(5) *D.* 1. Actus phyſice unus non ideo eſt multiplex numero, minus ſpecie peccatum, quia eſt contra præcepta materialiter plura. *Ratio eſt*: quia talia præcepta moraliter ſunt unum. Accedit communis Theologorum conſenſus, & recepta confeſſariorum & pœnitentium praxis.

Reſ. 1. Homicidium prohibetur lege naturali, divina, Eccleſiaſtica & civili, & tamen in uno actu non eſt niſi unum peccatum; quia leges ſunt tantum materialiter diverſæ, nec inducunt diſtinctam obligationem.

Reſ. 2. Qui negligit Miſſam die Feſto incidente in Dominicam, qui violat jejunium in die, qua concurrit vigilia cum feria quatuor temporum quadrageſimæ, unum tantum committit peccatum, ſufficitque dicere: neglexi Miſſam die præcepto: comedi carnes die jejunii. *Nec refert*, quod Eccleſia præcipiendo V.G. Miſſam in feſto, ſimul intendat honorem iſtius Sancti; quia non ſatis manifeſtat, id ſe velle ex hoc fine obſervari, aut ſpecialem inducere obligationem.

Reſ. 3. Idem eſt, ſi Religioſus omittat Breviarium, ad quod tenetur ratione ordinis ſacri & regulæ: imo Sacerdos beneficiatus omittens Breviarium probabiliter peccat unico peccato contra religionem tantum, partem autem fructuum tenetur reſtituere ex præcepto Eccleſiæ, vi cujus illos non facit ſuos: contrarium tamen videtur probabilius.

Reſ. 4.

Reſ. 4. Idem ob eandem rationem eſt de Franciſcano non jejunante feria ſexta quatuor temporum, licet accedat præceptum regulæ. Contra hoc

Ob. Franciſcanus vovet regulam, ergo & præcepta contenta in regula; ergo peccat contra Religionem violando votum, ergo duplici peccato. ℟. 1. argumentum nimium probat; alias enim ad omnia alia obligaretur ratione voti, quod nemo dicit. ℟. 2. *d. c.* ergo & vovet præcepta directe. *n.* indirecte. *c.* vovens ſervare regulam directe tantum vovet vota ſubſtantialia, vel potius vovet vitam regularem in tali religione.

Reſ. 5. Religioſus profeſſus in ſacris conſtitutus unum numero committit peccatum contra Religionem violando caſtitatem: quod magis tenet de eo, qui pluries vovit vel juravit rem aliquam; quia votum repetitum, imo ſimplex & ſolemne, eodem modo ad virtutem Religionis pertinent.

Ob. Qui transgreditur plures leges, committit plures inobedientias: ergo peccata ſaltem numero diſtincta. ℟. *d.* inobedientias generales. *c.* ſpeciales. *n.* in peccato duplex eſt inobedientia: una generalis, qua quis præceptum transgreditur abſque contemptu formali legislatoris, & hæc non addit ſpecialem malitiam: alia ſpecialis, qua quis præceptum transgreditur ex contemptu expreſſo ſuperioris, & hæc addit malitiam diſtinctam.

Inſt. Saltem ſunt duæ disconvenientiæ ad alterutram legem. ℟. *d.* ſunt duæ quaſi phyſice. *c.* moraliter *n.* quia duo illa præcepta ſunt unum moraliter.

(6) *D.* 2. Voluntas peccandi moraliter interrupta cauſat diſtinctionem numericam peccatorum. Unde ſit

Regula 1. Tot ſunt numero peccata ſive in- ſive externa, quot ſunt voluntates repetitæ & moraliter interruptæ. *Ratio eſt*: voluntas eſt principium actuum moralium, nec ullum eſt peccatum, niſi in quantum a

voluntate deliberate procedit, ergo peccatorum numerus multiplicatur ex voluntatis actibus moraliter interruptis. Pro quo

Obſ. Interruptio moralis fit 1. *formaliter* per actum contrarium, ut ſi quis voluntatem furandi efficaciter retractet, & ſtatim poſt illam reaſſumat, eſt interruptio formalis, ſuntque duo numero peccata in confeſſione explicanda. *Dixi: efficaciter;* ſi enim voluntas ad tempus anceps hæreat, velit ne pergere in actu, non ideo eſt interruptio. 2. Fit *virtualiter* vel *interpretative* per voluntariam ceſſationem ab actu voluntatis, & voluntariam converſionem ad aliud incompoſſibile cum executione prioris intenti, V. G. volens furari, de hoc cogitans vadit alio, ubi non eſt occaſio furandi, ſi dein voluntatem reaſſumat, ſunt peccata numero diſtincta; ſic ſiquis reflectens ſe ad conceptum propoſitum fornicandi, inimicum occidendi &c. inſtante opportunitate eligat manere domi, dormire, aut ſuis rebus vacare, & poſtea idem propoſitum concipiat, bis peccat; eſt enim prior volitio revocata interpretative. Similiter ſiquis viſâ muliere, moroſe delectetur, eamque delectationem ſponte deſerat, ſe deliberate & advertenter convertendo ad aliud, ſtatim autem viſa eadem muliere, aut altera iterum moroſe delectetur, bis peccat.

Dixi: *ſponte deſerat*; quia ſi mero caſu diſtrahatur, & mox voluntatem reaſſumat, non eſt interruptio moralis. Dixi: *ad aliud incompoſſibile;* quia actio, quæ ſtare poteſt cum priore voluntate, per ſe non interrumpit, ut ſi poſt propoſitum fornicandi interim cum alio de re indifferente diſcurrat, & illud poſt brevem moram reaſſumat. 3. Fit interruptio moralis per ceſſationem etiam involuntariam V. G. diſtractionem, oblivionem, ſomnum, dum inter plures actus nullo voluntatis præcedentis effectu inter ſe connexos tanta intercedit mora temporis prudentum judicio ex circum-

ſtan-

ſtantiis determinanda, ut moraliter diſcontinuati cenſeantur: V. G. hodie concepiſti voluntatem furandi, de quo poſtea non cogitas, & poſt aliquot dies eam renovas; non ſi in ſomnum incidas brevem & evigilans reaſſumas. Dixi: *nullo* &c. *inter ſe connexos;* pro quo ſit

(7) *Regula* 2. Si multi actus non interrupti moraliter vel ex ſe, vel ex communi modo operandi ordinentur ad unum actum vel opus complendum ut media, diſpoſitiones, circumſtantiæ vel complementa, & intendantur ex eodem fine principali, ac ſub eodem fine intento uniantur, ſunt unum numero peccatum in ordine ad confeſſionem, licet in ſe ſint peccata numero & ſpecie diſtincta.

Dixi 1. *non interrupti;* intellige: nequidem per moram temporis longam, non enim ſufficit quælibet interruptio; quia hac non obſtante poteſt adhuc eſſe una moraliter actio, ſicut una eſt turpis confabulatio juvenis cum puella, licet aliorum interventu parum interturbentur inter confabulandum, ſi poſtea ſermones turpes reaſſumant; ſicut unum cenſetur inſtituiſſe colloquium cum amico, etſi parum interrumpat alium V. G. hoſpitem breviter excipiendo: ſic pariter ſiquis per diem inhæreat moroſæ delectationi, deſiderio fornicandi &c. quamvis caſu per aliquid occurrens, vel brevem cum amico confabulationem diſtrahatur, modo ita conſtitutus maneat, ut quoties ſe reflectit ſuper ſuum actum, conſentiat, vel approbet, eſt unum moraliter peccatum.

Dixi 2. *vel ex ſe* &c. *ordinentur ad unum actum* &c.; ſi enim nullo modo ſpectent ad conſummationem unius peccati, quamvis a peccante ordinentur, non faciunt unum peccatum. Hinc qui ſe inebriat in ordine ad fornicationem, ebrietatem diſtinct explicare debet.

 Dixi 3.

Dixi 3. *& intendantur ex eodem fine;* ſi enim faciens V. G. oſcula & tactus non intendat copulam, præſertim ſi illam ſerio excludat, quamvis poſtea creſcente concupiſcentia ſequatur, debet illa diſtincte, addito etiam numero morali explicare, ſicut etſi copula intenta quidem fuerit, ſed ſubſecuta non ſit; tunc enim cum intentione copulæ explicari debent oſcula & tactus, quia dum vel animo, vel re ipſa in iis ſiſtitur, habent ſuam malitiam diverſam completam, & ſi actus principalis quacunque de cauſa non ſequatur, actus prævii in illo explicari non poſſunt. Attamen

Obſ. 1. Satis probabile eſt, ſi copula non fuerit ſerio excluſa, licet non ſit intenta, ſi tamen ſtatim ſubſequatur actus valde turpes prævios, adhuc facere unum cum illa peccatum; quia actus illi ex natura ſua videntur ordinari ad copulam, & ordinarie adeſt hujus intentio interpretativa: ſi occaſio eſſet, vel pudor aut timor alterius mali non retraheret. Aliud eſt de vulneratione ſine intentione occidendi, & ipſa occiſione dein ſecuta; quia non quælibet vulneratio per ſe ordinatur ſaltem propinque ad mortem.

Obſ. 2. Probabiliter oſcula, tactus, & ſimilia, quæ copulam immediate ſubſequuntur, ſatis intelliguntur in illa ut complementum actus prioris, ſicut & gaudium immediate ſubſequens, niſi tamen notabilis interruptio incurrat, & abſit intentio aut periculum novæ copulæ aut pollutionis, ſaltem ſi verum eſt, (quod dicitur) eas impudicitias regulariter ſequi, non erit opus explicare; nam ſatis intelliguntur in accuſatione copulæ. Alias probabilius videtur eſſe peccata nova explicanda in confeſſione; quia ex ſe ordinantur ad novam copulam, intellige ſemper tactus valde turpes. Ex his

Reſ. 1. Titius efficaciter intendit occidere inimicum ſuum, hinc plurimos exercet actus internos odii, iræ, vindictæ, aliquot diebus ſtruit inſidias, ſæpius inte

interim optando mortem (excipe: ſi illi apud alios V.G. detrahat; hoc enim impertinens eſt), arma enim expedit, proficiſcitur, deprehenſum verbis injurioſis afficit, iterato lædit, vulnerat, tandem occidit, mortuo ictus infligit, (excipe ſpeciem crudelitatis) de morte ſtatim gaudet, eſt unum numero peccatum, & ſufficit confiteri: voluntarie aliquem occidi; quia iſtæ iteratæ voluntates connectuntur in effectibus cum prima, & iſti effectus prævii ordinantur ad unum finem. Similiter Cajus ſuccumbit tentationi carnis, efficaciter proponit ſornicari, procedit, malam voluntatem centies repetit, poſtea ſermones turpes incipit, oſcula, tactus iterat cum eadem perſona in ordine ad fornicandum, omnes hi actus unum tantum numero peccatum conſtituunt cum actu principali, & ſufficit confiteri fornicationem: debent tamen fieri uno moraliter tempore; ideo peccant pluribus peccatis adoleſcentes, qui ex fine fornicandi repetitis vicibus accedunt ad ſuam procam cum affectu & actibus libidinoſis, ut ad fornicationem ſeducant.

Reſ. 2. Sicut actus externi, ſic & interni, poſſunt facere unum moraliter actum, ſi ſubſtent intentioni unius finis principalis; hinc qui delectatur de oſculis, tactibus, copula, vel iſta facere deſiderat eodem pravo affectu, unum numero peccatum facit, etſi pluribus in continenti actibus; ſatisque eſt confiteri delectationem vel deſiderium copulæ.

Reſ. 3. Qui ſtatuit furari plures pannos ex officina, integram ſuppellectilem &c. omnia quaſi una vice apprehendens, hoc ipſo, quod invadat officinam, quamvis tota nocte efferat per actus repetitos, unum peccatum facit.

Reſ. 4. Qui ex eodem impetu & deliberatione ſtatim repetit eundem actum V. G. alterum ſæpius percutit, convitiatur, blaſphemat, pejera &c. ſi in ea-

R 4 dem

dem maneat materia, unum numero peccatum committit. Idem eſt, ſi pluries continue oſculetur, tangat eandem puellam, etſi cum aliqua interruptione; item ſiquis, poſtquam dixit contumelias, propter aliquid intercurrens intermiſceat verba alia, ſi in eodem agreſſu renovet, & ſic de ſimilibus multis; quia hi actus non obſtante phyſica brevi eorum interruptione ſecundum communem ſenſum hominum, qui hic principaliter attendi debet, cenſetur una actio, una converſatio, una rixa; hinc ſufficit confiteri: ſemel alterum graviter percuſſi, rixatus ſum, blaſphemavi, ſemel impudice egi cum puella per tactus & oſcula; & ſic de aliis. Idem eſt de moroſis delectationibus, aſpectibus, & tactibus externis in proprio corpore habitis in ordine ad pollutionem, in qua ſatis exprimuntur.

Reſ. 5. Qui longo tempore omittit reſtituere rem injuſte detentam, nonniſi unicum committit peccatum, quamdiu voluntas rem alienam detinendi per contrariam voluntatem non revocatur; *intellige:* per ſe loquendo; nam prima voluntas remanet virtualiter in ipſa rei detentione voluntaria.

(8) *Regula* 3. In actu ſive in- ſive externo phyſice uno tot ſunt numero diſtincta peccata, quot ſunt objecta totalia moraliter non unita, in quæ tendit. Sunt autem ***objecta totalia moraliter non unita***, quæ nec ex natura ſua, nec ex uſu hominum referuntur ad integrandum unum objectum vel actum; uti pecunia, honor, vita unius hominis, fama hujus & alterius, & ſic de aliis. Econtra ***partialia*** ſunt, quæ moraliter coaleſcere poſſunt in unum, V.G. bona fortunæ ejusdem hominis; faciunt enim unam majorem opulentiam, quam non faciunt, ſi ſpectent ad diverſos; quia bona fortunæ, honor, fama hujus & alterius non integrant fortunam, honorem, famam unam. ***Ratio regulæ eſt:*** quia ſi idem actus habeat plura objecta difformia legi & rectæ

rectæ rationi moraliter non unita, habet difformitates numero diſtinctas: ſicut ſine dubio habet ſpecie diſtinctas, ſi objecta ſint ſpecie morali diſtincta: malitia enim ſumitur ab oppoſitione ad legem & rectam rationem, ſive autem dicantur plura numero formaliter, ſive æquivalenter, perinde erit in ordine ad confeſſionem.

Reſ. 1. Qui uno actu plures vulnerat, occidit, rem gravem a pluribus aufert, unica narratione pluribus detrahit, plures ſcandalizat, ſimul plures fæminas libidinoſe aſpicit, uno actu plures concupiſcit, aut deſiderat fornicari cum eadem pluries, committit tot numero peccata in confeſſione explicanda, quot ſunt objecta vel perſonæ; cum hæc objecta ſubordinabilitatem non habeant, & jura ad bona, vitam, famam ſint complete diſtincta, nec unius ruina ſpiritualis faciat unam cum ruina alterius? ſicut econtra unum moraliter integrant objectum, ſi uno actu ab eodem Domino auferas arma, equum, pecuniam. Si uno actu eidem detrahas apud plures, plura videntur eſſe peccata; quia eſt jus diſtinctum ad famam reſpectu plurium audientium, *& ſic de cæteris.*

Reſ. 2. Uni eodem actu in diverſis materiis detrahere probabiliter eſt unicum peccatum; quia famæ bonæ diverſæ videntur conflare unam famam majorem, adeoque eſt una detractio gravior; hoc certius: ſi ſciantur illa eſſe falſa, & tantum venire ex animo irato omnia indifferenter eructante, ut ſæpe fit inter mulierculas, non eſt niſi unum peccatum.

Reſ. 3. Si quis uno actu dubitet de diverſis articulis fidei, plures neget, culpabiliter ignoret, probabilius eſt unum numero peccatum, & ſatisfacit dicendo; ſemel erravi in fide, &c. Quia articuli faciunt in apprehenſione illius unum objectum magis falſum, vel

dubium. Idem eſt, ſiquis de tribus rebus diverſis interrogatus, poſtea circa omnes uno actu juret falſum.

Reſ. 4. Siquis uno actu eidem imprecetur, vel optet efficaciter, hoc eſt: intendat, vel deſideret inferri diverſa ſpecie mala. V. G. mortem temporalem, ſpiritualem, paupertatem, & infamiam, ſunt plura numero & ſpecie peccata, ſi advertat ad ſpecificam diverſitatem illorum malorum. Aliud eſt, ſi non apprehendat illa ut ſpecie, ſed tantum ut numero diſtincta mala; imo eſt unum numero peccatum, ſi omnia deſideret tantum in genere mali; quod magis tenet de ſimplici complacentia; quia plerumque quis ſibi complacet in alterius malo, quatenus alteri malum eſt, non ut malum tale eſt.

Reſ. 5. Si quis uno actu oderit plures homines, vel gaudeat de malo illorum, pro numero hominum ſunt plura peccata; quia diſplicent diverſa bona, imo cum communiter odio ſit adjunctus affectus malus, & hæc mala afficiant diverſas perſonas, ſaltem ideo erunt plura peccata, & voluntas quaſi diſtinctim afficit ſingulos.

Reſ. 6. Qui in ſtatu disgratiæ plures baptizat, abſolvit, tot committit numero peccata, quot perſonas abſolvit; quia tot conficit integra, & completa Sacramenta, ſicut qui in Natali Domini ſucceſſive legit tres Miſſas.

Ob. Dum abſolutiones fiunt continuo actu ſucceſſive, pertinent ad unum moraliter miniſterium, quod ex ſe non determinat ſibi certas perſonas; ergo eſt unum numero peccatum. ℞. *n.* *aſſ.* miniſterium abſolvendi non determinat quidem certas perſonas, actus tamen judicialis completur individualiter, quoties circa certum aliquem reum exercetur. Nec una actio V. G. abſolutio ſubordinatur alteri.

Reſ. 7. Qui uno actu continuo pluribus in mortali dat communionem, probabilius unum numero peccatum

catum committit, ſufficitque dicere: adminiſtravi communionem in mortali; quia ſicut diſtributio ciborum in eodem convivio non cenſetur multiplex, ſive uni, ſive pluribus fiat, ſic & diſtributio communionis. Aliud eſt de abſolutione Sacramentali, quæ ſe habet per modum ſententiæ judicialis complentis judicium. Nihilominus probabiliter dicitur: ſicut eſt unum moraliter convivium, licet plures reficiantur; ſic & unum moraliter judicium, licet plures rei abſolvantur, & irreverentia non tam fit Sacramentis, quam uni Chriſto.

Reſ. 8. Absque dubio eſt unum numero peccatum, ſi ſacerdos communicanti det plures ſimul hoſtias, ſi uno actu conſecret totum cumulum; quia ſe habent ut una hoſtia ſacrificii, & licet multa dici poſſent in facto eſſe, hic tamen conſiderantur in fieri, & ut unum.

Reſ. 9. Si quis uno actu ſtatuat tota ſeptimana omittere horas canonicas, non jejunare in quadrageſima, ſunt tot peccata, quot dies; quia ſunt totidem objecta moraliter non unita: officium enim vel jejunium unius diei non ordinatur ad officium diei alterius.

Reſ. 10. Si quis una deliberatione omittat horas unius diei, probabilius eſt unum numero peccatum, nec requiritur confiteri, quot horas omiſerit: quia omnes horas diei referuntur ad unum officium conſtituendum.

Obſ. Præſcindimus hic ſemper: an circumſtantiæ tantum aggravantes ſint confitendæ, quod notandum per decurſum; ſi enim probabilius ſint confitendæ, *ut infra dicetur*, aliter reſolvendum erit.

Reſ. 11. Si conjugatus habeat copulam cum conjugata non ſua, eſt duplex adulterium: quia duplex jus læditur, unum, quod habet ipſius uxor, ne alteri commiſceatur: alterum, quod habet maritus conjugatæ, quam cognoſcit. *Denique*

Reſ.

Reſ. 12. Eodem motu concupiſcentiæ ſe etiam omnino ſucceſſive bis, vel ter polluens tot committit numero peccata, quod magis tenet de fornicante; quia quælibet fornicatio aut pollutio eſt opus conſummatum, & una non ſubordinatur alteri, imo potius impedit alteram, nec hi actus unibiles ſunt in uno tertio, in quo conficiantur, unde nec unibiles inter ſe. Nec cenſentur moraliter uniri propter immediatam ſucceſſionem; nec obſtat unitas voluntatis, quamvis enim ſit una phyſice, eſt tamen moraliter multiplex numero, ſicut eſſet multiplex ſpecie, ſi in his actibus eſſent objecta ſpecie diſtincta. *Contra regulam*

Ob. 1. Qui decem dat eleemoſynam, non habet diſtinctas numero bonitates; ergo nec qui decem V. G. ſcandalizat, tot malitias. ℞. *d. a.* ſi tantum indirecte intendatur una honeſtas *c.* ſi directe intendantur ſingulæ honeſtates. *n.*

Inſt. 1. Non poterit determinari, quot peccata committat, qui vult occidere integram familiam, vel qui huic detrahit. ℞. Sunt tot numero peccata, quot perſonæ iſtius familiæ non invincibiliter ignoratæ.

Inſt. 2. Qui gregem ovium abigeret, non tot committeret peccata, quot ſunt oves; ergo nec qui vult occidere totam familiam &c. ℞. *n. c.* Familia eſt tantum una fictione juris, quæ unitas non tollit, quo minus una perſona habeat jus complete diſtinctum a jure alterius ad ſuam vitam vel famam. Grex & ſimilia ſunt unum per aggregationem, poſſuntque moraliter facere unum integrum, ſi ad eundem ſpectent dominum. *Denique* ſi in domo vel familia eſſent proprius parens, Clerici, & alii non invincibiliter ignorati, certo eſſent malitiæ ſpecie diſtinctæ, ergo & ſunt numero diſtinctæ, ubi ſunt objecta moraliter numero diſtincta.

Ob. 2. *Quot ergo peccata committit, qui vult occidere homines infinitos?*

℞. Quot

℟. Quot ergo committit peccata ſpecie diſtincta, qui vult committere infinitas ſpecies peccatorum? Idem dicam de numero. *Denique* pro praxi hic advertat Confeſſarius, ne in exigendo numero peccatorum nimium cruciet ſe & pœnitentes, reddendo illis Sacramentum odioſum. Plurima ſunt tribuenda judicio naturali Confeſſarii & uſui fidelium magis, quam ſcrupuloſæ Theologorum ſpeculationi.

QUÆSTIO IV.

Unde deſumatur inæqualitas, & gravitas peccatorum?

Recolenda hic ſunt, quæ de actibus humanis, eorumque objecto, & circumſtantiis dicta ſunt.

Suppono contra aliquos hæreticos non omnia peccata eſſe æqualia. Patet ex Script. in qua (a) dicitur: *Major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Item (b) *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* &c. Idque dictat lumen naturale rationis, & agnoſcunt omnes gentes, dum quædam peccata præ aliis puniunt.

(9) *D.* Inæqualitas & gravitas peccatorum ex variis deſumitur: 1. ex objecto magis vel minus diſſono rectæ rationi aut legi; ſic gravius eſt occidere patrem, quam alium hominem: 2. ex oppoſitione cum virtute nobiliori; ordo autem dignitatis inter virtutes eſt, ut præcedant theologicæ, & inter has charitas, *deinde* fides & ſpes: inter morales religio, pœnitentia, prudentia, juſtitia, fortitudo, temperantia, & tali ordine præcedunt virtutes ſub his contentæ; hoc tamen ut teneat, debent inter ſe comparari peccata commiſſionis V. G. hæreſis & adulterium, & gravius eſt hæreſis, quia opponitur fidei, adulterium juſtitiæ, virtuti minus dignæ; ſi autem comparetur commiſſio cum omiſſione V. G. adulterium

(a) *Thren.* 4. *v.* 6. (b) *Joan.* 19. *v.* 11.

terium cum ommiſſione actus fidei hic & nunc præcepti, adulterium eſt gravius, nec tamen hoc, tenet univerſaliter; mendacium enim V. G. eſt peccatum minus, quam ebrietas, licet opponatur virtuti nobiliori; laborare die Feſto eſt minus quam homicidium, quamvis prius ſit contra religionem, quæ eſt dignior juſtitia. Hinc 3. deſumitur ex modo, quo peccata opponuntur eidem virtuti; nam quia oppoſitio contraria eſt pejor privativa, ideo odium Dei eſt gravius, quam omiſſio amoris præcepti: pejus eſt afflictum affligere, quam non juvare. Similiter dum peccata eidem virtuti opponuntur per defectum & exceſſum, quia nil generaliter determinari poteſt, ſolet diſtingui: ſi virtus per ſe ordinetur ad impellendum hominem V. G. liberalitas, quæ impellit ad elargiendam pecuniam, majus peccatum eſt, quod opponitur per defectum, V.G. avaritia, quam prodigalitas; econtra ſi per ſe ordinetur ad cohibendum hominem, ut eſt temperantia, majus cenſetur, quod eſt per exceſſum. 4. Ex lege magis vel minus obligante. 5. Ex majori vel minori oppoſitione ad finem legis. 6. Ex materia, quæ major eſt vel minor. 7. Ex majori vel minori oppoſitione ad finem legis. 6. Ex materia, quæ major eſt vel minor. 7. Ex majori vel minori facilitate vincendi; ſic peccata ſpiritualia ſunt majora carnalibus; quia ob innatam concupiſcentiam his minus reſiſtere poſſumus: item ex majori vel minori libertate, intenſione, duratione actus, aliisque circumſtantiis. *Denique* ſpecialiter notandum: dum aliquod peccatum dicitur altero gravius, intelligendum eſt per ſe & cæteris paribus; nam peccatum ex objecto & genere ſuo gravius poteſt aliunde ex circumſtantiis minorem habere malitiam; ideo nequit dari regula generalis, unde ſciatur, an hoc peccatum in individuo ſit gravius vel levius altero; ſed hoc definiendum eſt ex complexione omnium illorum,

rum, ex quibus malitia aggravari ſolet vel minui. In praxi non debet nimium anxiari Confeſſarius circa peccata graviora vel leviora cognoſcenda, modo cognoſcat eſſe mortalia, ſciatque illorum inæqualitatem ſaltem gravem & manifeſtam, ac eorum ſpecificam & numericam diſtinctionem.

QUÆSTIO V.

An actus omiſſioni peccaminoſæ conjunctus ſit peccatum?

Dupliciter poteſt ſe actus habere ad omiſſionem: 1. *antecedenter*, ut ſit cauſa vel occaſio illius, V.G. ludendi cauſa omittis Miſſam die Feſto: 2. *concomitanter* vel *conſequenter* V. G. ob frigus non vis audire Miſſam, dein ne tempore Miſſæ ſis otioſus, ſtudes, aut ludis.

(10) *D.* 1. Actus, qui eſt cauſa vel occaſio omiſſionis peccaminoſæ, vitiatur per malitiam omiſſionis; licet in ſe ſit indifferens vel bonus. *Prob.* Quod aſſumitur a voluntate tanquam formalis vel virtualis cauſa peccati, eſt moraliter malum: ſed dum actus eſt cauſa vel occaſio omiſſionis culpabilis, hoc fit; ergo eſt moraliter malus. *Maj.* patet; eodem enim præcepto, quo obligamur ponere actum, indirecte tenemur removere cauſas, ex quibus prævidemus futuram omiſſionem actus, niſi aliquid excuſet.

D. 2. Malitia moralis in tali actu non eſt diſtincta a malitia omiſſionis, quam cauſat. *Prob.* ubi non eſt nova oppoſitio cum aliqua virtute vel præcepto, ibi non eſt diſtincta malitia; ſed in actu de ſe indifferente vel bono V. G. ſtudio cauſandi omiſſionem Miſſæ non eſt diſtincta oppoſitio; ergo. *Minor* patet; ſtudium enim in illo tantum eſt contra præceptum Religionis de non omittenda Miſſa, unde in Confeſſione non eſt neceſſe facere mentionem ſtudii, quod patet etiam ex praxi fidelium.

Ob.

Ob. Studium tale etiam opponitur virtuti ſtudioſitatis: ergo duplicem habet malitiam. *a. p.* Studioſitas prohibet inordinatum modum & affectum ſtudendi: pertinet enim ad quamlibet virtutem præſcribere modum in proprio actu, ut fiat, quando & ubi oportet, & ut oppoſito modo non fiat; ſed hoc hic eſt; ergo. ℞. *n. a. p. d.* pertinet ad virtutem moderari affectum & præſcribere modum in omnibus. *n.* in iis, quæ ſunt propriæ materiæ. *c.* & ita ſtudioſitas prohibet tantum illas malas circumſtantias, ex quibus intra propriam materiam poteſt vitiari ejus actus, ne ſcilicet deſiderium ſciendi ad res prohibitas, inanes &c. ſe extendat; unde ſtudioſitati per exceſſum opponitur curioſitas, per defectum negligentia ſtudendi; circumſtantia autem temporis eſt intrinſeca reſpectu ſtudii, quod per ſe nullum tempus determinate exigit.

(11) *D.* 3. Actus omiſſioni peccaminoſæ tantum concomitanter conjunctus nullam malitiam per ſe contrahit; quia non contrahit malitiam ab omiſſione, niſi in illam aliqualiter influat; ſed talis non influit, ergo.

Ob. 1. Præceptum audiendi Miſſam prohibet omne incompoſſibile cum auditione Miſſæ; atqui tale eſt ſtudium; ergo. ℞. *d. M.* Prohibet omne incompoſſibile, quod in omiſſionem influit. *c.* quod non influit. *n.*

Inſt. 1. Tempore Miſſæ præceptæ prohibitum eſt ſtudere: ergo ſtudium tunc eſt malum. ℞. *d. a.* prohibitum eſt ſtudere ſecundum ſe. *n.* prout eſt occaſio omittendi Miſſam. *c.* aſt hoc hic non eſt; nam omiſſio ſequitur vi alterius cauſæ & voluntatis poſitæ, ſequereturque, licet non eſſet ſtudium.

Inſt. 2. Studium fit tempore indebito; ergo eſt malum. ℞. *d. a.* tempore indebito nulla facta ſuppoſitione. *c.* facta ſuppoſitione, quod quis jam ſe efficaciter determinaverit ad omittendam Miſſam. *n.* Hoc enim ſuppoſito melius eſt ſtudere, quam otiari.

Ob. 2.

Ob. 2. Inde ſequeretur, Sacerdotem, qui jam efficaciter propoſuit non recitare horas, non peccare novo peccato, ſi in longa peregrinatione exiſtens Breviarium abjiciat in mare; ſed hoc nemo admittit; ergo. ℞. *n. ſ.* Talis projectio continet ſpecialem malitiam; quia facit impletionem præcepti & voluntatem mutandi propoſitum impoſſibilem; quia non ſolum non obedire præcepto malum eſt, ſed & auferre ſibi potentiam adimplendi; hic autem voluntatem facile mutare, & a ſtudio deſiſtere poteſt.

Reſ. 1. Specialiter peccat, qui poſt firmum propoſitum non ſervandi votum caſtitatis ducit uxorem: qui poſt firmam voluntatem non reſtituendi aliena, ea diſſipat, & ſic de aliis; contrarium eſt de illo, qui poſt firmum propoſitum non audiendi Miſſam ſe dat ſomno inſtante tempore Miſſæ; quia non eſt veroſimile, quod in tam brevi intervallo mutet voluntatem.

Reſ. 2. Qui vovit nunquam eſſe otioſus, tenetur tempore Miſſæ, quam malitioſe omittit, ſtudere vel aliud agere.

Reſ. 3. Si tu die dominica Miſſam audiviſti, potes ſine peccato ludere cum aliquo, qui antea efficaciter decrevit omittere Miſſam; quia ſi ille non peccet ludendo, cur tu peccares colludendo? *Excipe:* niſi ceſſante luſu aut facta monitione ſpes eſſet mutandi propoſitum: item ſi propter luſum omitteret Miſſam; cum enim tunc luſus ſit peccatum, participas de peccato alterius.

QUÆSTIO VI.

An omittens ex cauſa voluntaria peccet etiam quando actu omittit?

Si dum omiſſio contingit, & urget præceptum affirmativum de audienda V. G. Miſſa, homo ſit ſui compos, certum eſt, omiſſionem in ſe ipſa formaliter

eſſe peccatum. Difficultas eſt: ſi tunc ſit expers rationis propter ſomnum V. G. vel ebrietatem; quod autem de omiſſione dicitur, dici & debet de peccato commiſſionis V. G. homicidio commiſſo in ebrietate.

(12) *D.* Omiſſio in ſomno V. G. contingens non eſt peccatum in ſe, ſed tantum in cauſa, ſi fuit præviſa. *Ratio eſt:* 1. Alias daretur caſus, in quo homo peccaret, & ſimul eſſet in gratia, V. G. dolet de veneno dato, quod amplius impedire non poteſt.

℞. *Adverſarii:* facta pœnitentia, omiſſio nec in ſe, nec in ſua cauſa utpote retractata eſt peccatum.

Contra eſt: Omiſſio eſt peccaminoſa propter cauſam realiter poſitam; ſed pœnitentia non poteſt facere, ut cauſa poſita non ſit poſita; ergo nec, ut omiſſio non ſit peccaminoſa in ſe, ſi talis eſſe debeat independenter a pœnitentia. *Deinde* retractatio non facit, quo minus ſit voluntarius effectus in cauſa ante poſita, ex qua nunc ſequitur.

Ratio eſt 2. De ratione actualis peccati eſt actualis libertas; ſed talis non eſt in ſomno; ergo.

℞. *Adverſarii* ſufficere libertatem in cauſa.

Contra eſt 1. Ergo non eſt peccatum in ſe, ſed tantum in cauſa; nam eo modo omiſſio eſt peccaminoſa, quo eſt libera.

Contra eſt 2. Ergo & partus ex concubitu peccaminoſo ſecutus eſt in ſe peccatum: nutritio in die jejunii ex comeſtione peccaminoſa eſt peccatum; quia ſunt libera in cauſa.

Ob. 1. Præceptum audiendi Miſſam non obligat, dum ponitur cauſa omiſſionis. ℞. *d.* non obligat ad audiendam Miſſam. c. ad non ponendum impedimentum. *n.* Hinc adhuc peccat, qui ſe ſomno dat, etiamſi poſtea rebus ſubito mutatis caſu Miſſam audiat.

Ob. 2. Propter homicidium in ebrietate commiſſum poteſt quis incurrere pœnas Eccleſiaſticas & civiles;

les; ergo eſt peccatum. ℟. 1. has incurrit, licet adſit pœnitentia; ergo & tunc eſt in ſe peccatum, quod non dicis. ℟. 2. *n. aſſ.* pœnæ illæ non ſunt annexæ omiſſioni externæ, aut actui in ebrietate commiſſo, ſed cauſæ illius dependenter tamen ab effectu ſecuto tanquam conditione: leges enim non puniunt peccatum, niſi effectu ſecuto.

Inſt. Tenemur has omiſſiones confiteri; ergo ſunt in ſe peccata, ſicut *Scotiſtæ* argumentantur de actibus externis. ℟. 1. Tenemur confiteri, licet ſint retractatæ per pœnitentiam; ergo & tunc ſunt in ſe peccata. ℟. 2. *n. aſſ. per ſe loquendo*, modo integre declaretur cauſa, & aliunde de reſtitutione & pœnis annexis habeatur notitia.

Paritas de actibus externis non tenet; hi enim non ſunt in ſe peccata, niſi quando fiunt cum actuali libertate, & a cauſa, quæ non ſolum fuit, ſed eſt voluntaria.

Ob. 3. Somnus militis tempore ſtationis eſt peccatum: ergo poteſt quis dormiendo peccare. ℟. Non ſomnus, ſed applicatio ad ſomnum eſt peccatum, eo quod tempore ſomni deſit libertas. Pro praxi

Reſ. Licet per ſe non ſit obligatio confitendi tales effectus V. G. pollutionem ſecutam in ſomno & prævifam, expedit tamen illos confiteri, & per accidens ſæpe eſt obligatio ob cenſuram vel reſervationem annexam, aut obligationem reſtitutionis ex effectu ſecuto ortam, & melius ordinarie intelligitur tota peccati malitia. Quodſi necdum ſecutus ſit effectus, dum quis ſuum peccatum confitetur, non eſt obligatio denuo poſtea confitendi effectum, niſi ob cenſuram. Si autem effectus malus ſequatur ex peccato, dum adhuc adeſt libertas, neceſſario eſt confitendus, ut ſi per turpiloquium

quium cauſares libere pollutionem, hæc etiam indirecte tantum volita eſt confitenda; quia procedit ab actuali libera voluntate, adeoque eſt in ſe peccatum.

DISSERTATIO II.

DE PECCATO MORTALI, ET VENIALI IN SPECIE.

QUÆSTIO I.

(13) *Quænam requiruntur ad Peccatum mortale?*

Peccatum mortale per ſe primo differt a veniali, quod *mortale* ſit transgreſſio præcepti graviter obligantis: *veniale* leviter obligantis; *præceptum* autem *graviter obligans* eſt, quod obligat ad aliquid neceſſarium ad ſalutem conſequendam: *leviter obligans*, quod obligat ad aliquod utile tantum ad ſalutem. Unde colligatur aliquod præceptum eſſe graviter vel leviter obligans, Vide ſupra.

N. Deliberatio alia eſt *formalis*, & eſt conſultatio intellectus, ex qua voluntas procedit ad operationem: alia *virtualis*, & eſt advertentia ad id, quod agitur.

(14) *D.* Ad peccatum mortale requiruntur tria: 1. ex parte *intellectus perfecta deliberatio ſaltem virtualis*, hoc eſt: ut intellectus ſine perturbatione aut impedimento alio plene & diſtincte advertat ad malitiam gravem vel ejus periculum: 2. ex parte *voluntatis plenus conſenſus* in illam ſaltem virtualis & interpretativus: 3. ex parte *materiæ gravitas* vel in ſe vel ex aliqua circumſtantia ſaltem apprehenſa. *Ratio primi & ſecundi*

ſecundi eſt: quia ſpectata fragilitate humana ac recta ratione alienum eſt a bonitate divina hominem æternis pœnis addicere, qui ſine plena deliberatione & conſenſu aliquid mali fecit. *Ratio tertii eſt*, quia ubi materia prohibita eſt ex omni parte levis, etiam levis eſt offenſa.

Reſ. 1. Ut ſit plena advertentia, non requiritur reflexio, qua operans advertat ſe advertere, ſed ſufficit cognitio directa & exercita.

Reſ. 2. Hoc ipſo advertitur malitia gravis, quod cognoſcatur actio eſſe inductiva inimicitiæ Dei, ac pœnæ æternæ.

Reſ. 3. Siquis dubitat, ſuſpicatur de malitia ſuæ actionis vel ejus periculo, & tamen inquirere negligens eam ponit, interpretative vult malitiam.

Reſ. 4. Ad veniale requiritur quidem aliqua advertentia rationis ad malitiam & conſenſus aliquis voluntatis, ut per ſe patet; ſufficit tamen advertentia ſemi-plena & conſenſus imperfectus; ſic enim aliquo modo peccat, non mortaliter; proinde venialiter, ſive malitia objectiva in ſe ſit gravis, ſive levis.

Reſ. 5. In ſemi-ſopitis, primo evigilantibus, conſternatis, vehementi paſſione aut diſtractione turbatis, in ſemi-fatuis, ſemi-ebriis; pueris præſertim ante ſeptennium, ſenibus repueraſcentibus, in valde ſcrupuloſis plerumque ſemi-plena tantum adeſt advertentia vel conſenſus imperfectus; hinc qui recordatur ſe ante ſeptennium commiſiſſe actum graviter malum, poteſt in dubio reſolvere ſe non peccaſſe mortaliter.

Reſ. 6. Qui timoratæ eſt conſcientiæ, nec ſolet plene advertens conſentire, poteſt in dubio credere ſe non plene conſenſiſſe; quia, ut ſæpe dictum eſt, ex communiter contingentibus prudens eſt præſumptio. Non tamen ſemper hæ conjecturæ dubium tollunt, & a confeſſione excuſant: V. G. Aliquis hucusque non

conſenſit mortaliter, attamen ſemper magis peccavit venialiter, & negligentior fuit in tentatione repellenda; talis utique non poteſt ſtatim præſumere, ſe etiam hac vice non peccaſſe graviter.

Reſ. 7. Signa deliberationis vel conſenſus imperfecti ſunt ſequentia: ſi ſtatim poſt actum advertas te jam agnoſcere malitiam, quam ante non ita advertiſti: ſi facile potueris exequi peccatum & non feceris: (*excipe:* niſi pudor aut timor incommodi vel infamiæ retraxerit) ſi reflectens te ſuper priorem actum ſentias triſtitiam, averſionem; ſi enim plene conſenſiſſes, non ſtatim tam facile mutaretur animus: idque etiam ſi firmum propoſitum habeas ſæpius renovatum non peccandi mortaliter; ſi enim aliquid odio habeatur, & dein plene ametur, facile advertitur. Econtra qui facile ac ſæpe conſentire ſolet in mortale, in dubio contra ſe præſumere debet.

Reſ. 8. Qui plene advertenter deliberat, an velit in mortale conſentire, hoc ipſo peccat mortaliter; quia appretiat peccatum cum Deo, hæretque, an Deo vel creaturæ velit adhærere: quæ eſt gravis vilipenſio Dei; eſt autem peccatum illius ſpeciei, de quo deliberat, ideoque licet poſtea non conſentiat, debet confiteri ſe ita deliberaſſe; ſecus ſi mox ſubſequatur. Interim ſcrupuloſi falſo ſæpe putant ſe deliberaſſe.

QUÆSTIO II.

Quomodo peccatum ex genere ſuo mortale poſſit fieri veniale?

(15) Peccatum mortale aliud eſt tale *ex toto genere ſuo*, aliud *ex genere*, aliud *ex accidente. Ex toto genere mortale eſt*, intra cujus limites manendo materia ſemper eſt gravis. *Mortale ex genere eſt*, intra cujus limites manendo datur materia gravis & levis.

Mor-

Mortale ex accidente eſt, quod ex circumſtantia aliqua extrinſeca habet malitiam gravem. Sic pariter *veniale ex genere ſuo eſt*, intra cujus limites manendo materia ſemper eſt levis, ita ut ratione objecti vel materiæ nunquam ſit mortale: ſic mendacium eſt veniale ex genere ſuo; quamdiu enim non tranſitur extra limites mendacii, non peccatur niſi venialiter; licet ratione damni, juramenti appoſiti, vel aliunde per accidens ſæpe ſit mortale. *Veniale ex accidente eſt*, quod de ſe eſſet mortale, ſed per accidens ex aliquo defectu vel aliquo accidente eſt tantum veniale.

(16) *D.* 1. Peccatum ex genere ſuo mortale poteſt fieri veniale per accidens tribus modis. 1. *Ex Conſcientia erronea*, dum quis ex errore invincibili putat eſſe veniale, quod eſt mortale: 2. *Ex imperfectione actus*, ſi vel deſit perfecta advertentia malitiæ gravis, vel plenus conſenſus, & adſit advertentia imperfecta, vel conſenſus ſemiplenus, & hoc in quacunque materia, lege vel præcepto: 3. *Ex parvitate materiæ*, ſi hæc ſecundum ſe & conſideratis circumſtantiis & fine ſit, ac maneat levis. Pro quo

(17) *D.* 2. Mortalia ex toto genere, & in quibus non datur parvitas materiæ ſunt, 1. quæ directe fiunt contra Deum vel aliquam ejus perfectionem, ut ſunt peccata contra virtutes Theologicas: quia in re leviſſima ſatis propoſita nolle credere Deo, de eo deſperare &c. graviter lædit ejus veritatem, potentiam &c. Blaſphemia formalis, perjurium aſſertorium, ſimonia ſaltem juris naturalis, idololatria, divinatio, vana obſervantia, magia &c. quia re minima colere falſum Numen, habere pactum etiam implicitum cum dæmone, eſt graviſſima Deo injuria. *Deinde* per hæc & ſimilia negatur Deo aliqua perfectio, aut, quod ſoli Deo convenit, V. G. ſcire futura libera, exercite tribuitur creaturæ. 2. Non datur parvitas materiæ

in illis peccatis, quæ ſunt circa rem gravem conſiſtentem quaſi in indiviſibili, ut ſunt homicidium, ſimulatio Sacramenti, defectus aquæ in Miſſa, fractio jejunii naturalis &c.; eſt enim materia gravis & indiviſibilis. Idem eſt de tempore jejunii, ætatis ad ſacros Ordines & profeſſionem religioſam requiſitæ; quia tempus illud ſumitur de momento ad momentum, adeoque conſiſtit quaſi in indiviſibili. In his non valet illud; *quod parum diſtat, nil diſtare videtur*; ſic enim apprehendit ſenſus communis hominum. 3. Non datur parvitas materiæ in illis peccatis, quæ in graviſſimum generis humani præjudicium cederent, ſi parvitatem admitterent, ut eſt V. G. fractio ſigilli Sacramentalis, quæ odioſum redderet Sacramentum adeo neceſſarium: pollutio & quælibet delectatio venerea directe intenta vel deliberate quæſita aut admiſſa extra matrimonium; ſi enim vel minima voluptas venerea eſſet tantum venialis, jam ex vehementia paſſionis ad illam & exigua averſione a peccato veniali ſequeretur corruptio naturæ in graviſſimum præjudicium generis humani; plerique enim contenti hac delectatione nollent onera matrimonii. *Deinde* quævis etiam minima delectatio & commotio venerea quæſita vel deliberate admiſſa ex ſe tendit in majorem ita delectabiliter, ut ſecum adferat proximum periculum conſenſus in illam & majorem; nec poteſt quis hic dicere: volo hic ſiſtere, nolo ulterius progredi, ſicut poteſt in aliis V. G. furto. Dixi *directe intenta* &c.; quia ſi tantum ſit voluntaria indirecte, datur parvitas materiæ, *de quo infra.*

(18) *D.* 3. Mortalia ex genere ſuo, quæ parvitatem materiæ admittunt, ſunt omnia illa, quibus læditur bonum finitum diviſibile: poteſt enim tunc malitia proportionate ad materiam ita decreſcere, ut amplius mortalis & pœna æterna digna cenſeri non poſſit. Hinc

Reſ.

Reſ. Parvitas materiæ datur: 1. in omnibus peccatis contra præcepta ſecundæ tabulæ circa proximum & ſeipſum, nocendo in bonis ſpiritualibus & corporalibus (homicidio & re venerea exceptis) V. G. in odio, invidia, crudelitate, percuſſione, furto, detractione, intemperantia, &c. inſuper in præceptis primæ tabulæ circa cultum divinum; quia omnis noſter cultus divinus eſt bonum finitum majus vel minus pro ratione materiæ, ideoque 2. datur in cultu Dei ſuperfluo vel indebito: 3. in violatione voti, adeoque & juramenti promiſſorii; 4. in peccatis oppoſitis pietati, obedientiæ, obſervantiæ debitæ Superioribus. Idem eſt de ſimilibus.

Difficultas hic magna eſt, quænam in individuo ſit materia gravis ad mortale ſufficiens, vel levis ab illa excuſans. *D. Thomas* (a) ait: omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur. Interim 1. ut ſciatur, an materia ſit gravis vel levis, debet id colligi non tantum ex reſpectu ad totum, ſed & an in ſe ſpectatis omnibus ſit aliquid notabile ; ſic poteſt aliquid eſſe pars centeſima totius & manere in ſe grave, ut patet in futuro centum aureorum. 2. Principaliter ſumitur ex fine legis vel præcepti, an multum, an parum noceat, aut ad illum conducat, in quo ſæpe plus valet communis ſenſus Doctorum, quam ipſa ratio; ſpectata enim ratione ſola quis diceret parvulam horam, pauca verba in canone Miſſæ omittere, (*idem eſt de ſimilibus*) eſſe peccatum mortale? Plura de his alibi.

(a) *quodl.* 15. *a.* 5.

QUÆSTIO III.

Quomodo peccatum ex genere ſuo veniale fiat per accidens mortale?

Ex præcedenti quæſtione habetur veniale eſſe triplex; ex genere ſuo, ex imperfectione actus, & ex parvitate materiæ.

(19) *D.* Septem potiſſimum modis peccatum ex genere ſuo veniale, aut etiam actus de ſe indifferens poteſt fieri mortale: 1. *ex dictamine conſcientiæ erroneæ*, ſi, quod facis, dubites aut judices eſſe mortale, cum ſit veniale vel nullum. 2. *Ratione finis adjuncti graviter mali*, V. G. jocoſe mentiris eo fine, ut puellam ad peccatum mortale inducas. 3. *Ratione ſcandali*, ſi prævideas, aut prævidere debeas, te per peccatum veniale præbiturum alteri occaſionem gravis ruinæ ſpiritualis. 4. *Ratione damni vel alterius mali aut effectus gravis;* ut ſi ex nimia loquacitate prævideas graves rixas, ex modico furto graviſſimas ſuſpiciones. 5. *Ratione periculi proprii*, ſi peccando venialiter V. G. jocando cum puella exponas te periculo proximo peccati gravis: quia per experientiam noſti frequenter contigiſſe. 6. *Ratione nimii affectus vel finis ultimi;* ut ſi quis ita afficiatur ad rem levem V. G. fabulas, luſum, ut propter illa paratus ſit Deum graviter offendere V. G. Miſſam die Feſto omittere; debet tamen affectus ille non eſſe mere habitualis, ſed aliquo modo actualis; non enim imputatur alicui, quid faceret, ſed quid paratus ſit facere. Dicitur autem: *finis ultimi;* quia moraliter peccans in creatura, quam Deo præfert, ſaltem virtualiter vel interpretative ponit finem ſuum ultimum. 7. *Ratione contemptus formalis*, hoc eſt: ipſius legislatoris qua talis, vel legis ut procedentis a poteſtate legislativa; quod tunc eſt, quan-

quando quis ideo præceptum transgreditur, quia nihili facit authoritatem præcipientis, & transgreſſio præcepti imo puri moniti ex tali contemptu procedens in re minima eſt mortale; quia ſimul directe vilipenditur authoritas Dei, a quo eſt omnis poteſtas imperandi. *Contemptus* autem *materialis*, quo directe transgredior legem humanam ſine tali directa vilipenſione, in re levi per ſe eſt veniale, uti & inobedientia.

Reſ. 1. Contemnere perſonam legislatoris humani, qui talis eſt V. G. ut imprudentem in lege ferenda vel urgenda, poteſt eſſe peccatum grave, vel leve, vel nullum; ſic enim non contemnitur poteſtas legislativa, ſed improbatur imprudentia, & modus ferendi legem, quæ improbatio poteſt eſſe temeraria vel prudens, prout fuerint motiva, ſicut eſt in judicio de defectu proximi. Idem eſt, ſi ſuperior contemnatur ut homo paſſionatus, vel habens alios defectus; ob reverentiam tamen Superioribus debitam facilius hic peccatur graviter, præſertim ſi exterius manifeſtetur.

Reſ. 2. Si lex humana contemnatur ut tali modo, in talibus circumſtantiis lata, poteſt eſſe leve, grave vel nullum, prout iterum fuerint motiva.

Reſ. 3. Contemnere materiam legis humanæ ut vanam, inutilem, vel nullum, vel leve, vel mortale eſt pro ratione motivorum & materiæ: eſſet nullum, ſi conſtaret inutilem eſſe, & nullius momenti, modo abſit ſcandalum; ſed raro hoc conſtat: quia Superior poteſt habere motiva ſubdito ignota.

Reſ. 4. Minimum Dei præceptum vel conſilium contemnere ut inutile vel vanum, eſt graviſſima ejus injuria contra ejus ſapientiam, ac ſiquis judicaret interne & externe diceret, Deum poſſe inutilia præcipere vel conſulere, eſſet error in fide & blasphemia reſervata: ſi vero ideo non curetur, quia eſt tantum levis Dei offen-

offenſa facile recuperabilis, per ſe eſt veniale tantum; quia non apparet, unde ſit mortale.

Reſ. 5. Qui ex contemptu formali violat præceptum grave, V. G. jejunium, committit duo ſpecie peccata, prout ſupra de inobedientia ſpeciali.

Reſ. 6. Poteſt eſſe inobedientia formalis ſine contemptu formali V. G. ſi dicas: nolo obedire, quia Superior importunus eſt, foret formalis inobedientia, ſed non contemptus formalis, poſſetque in materia levi eſſe veniale tantum.

QUÆSTIO IV.

(20) *An veniale quandoque fiat mortale ratione numeri multiplicati?*

N. Aliqua ſunt venialia, quorum materia & effectus inter ſe nunquam uniuntur in ordine ad conſtituendum aliquod unum, V. G. verba otioſa, mendacia jocoſa, item omnia illa, quæ ſunt circa res præceptas diverſis determinatis temporibus, ita ut cum tempore deſinat obligatio: ut venialia circa Miſſas, jejunia, horas canonicas, laborem ſervilem &c. plurium dierum. Aliorum materia & effectus uniri poſſunt in ordine ad conſtituendum aliquod unum; ſic furta levia eidem facta faciunt unum damnum grave, multæ leves detractiones apud eundem uniuntur in ordine ad tollendam bonam de proximo exiſtimationem, multæ comeſtiones rerum noxiarum, vel immodicæ potationes uniuntur in ordine ad effectum notabiliter lædendæ valetudinis, multæ comeſtiones parvæ in die jejunii ad effectum nutritionis, multæ fabulationes parvæ in Miſſa, omiſſiones in horis unius diei uniuntur ad conſtituendam omiſſionem partis notabilis; & ſic de aliis.

D. 1.

(21) *D.* 1. Venialia quantumcunque multiplicata præciſe ratione numeri non poſſunt facere unum mortale. *Prob.* Mortale eſt in ſuperiori ſpecie & ordine; ſed individua ſpeciei inferioris quantumcunque multiplicata non poſſunt conſtituere individuum ſpeciei vel ordinis ſuperioris; ergo. *Deinde* mortalia tenemur confiteri, non autem venialia, etiam multiplicata.

Ob. SS. Patres & præſertim S. Auguſtinus docent (a): multa levia faciunt unum grande, multæ guttæ faciunt flumen, multa grana faciunt maſſam &c. Item minora, ſi plura fuerint, ſubmergunt. ℟. cum S. Thoma intelligi: diſpoſitive; nec ly *ſicut* dicere paritatem omnimodam. Multa venialia diſponunt ad mortale, juxta illud Eccleſiaſtici (b): *Qui ſpernit modica, paulatim decidet:* venialia ex in deliberatione vel parvitate materiæ, cum verſentur circa idem objectum, circa quod eſt mortale, directe ad illud diſponunt, cauſando habitus facilitantes ad idem objectum: alia diſponunt tantum indirecte, & quidem eo magis, quo majori cum libertate fiunt, in quantum minuunt fervorem charitatis, minuunt timorem Dei, cauſant majorem audaciam peccandi, demereatur gratias actuales, quibus reſiſteretur mortalibus. Ideo docent multi peccare mortaliter eum, qui paratus eſt ſola mortalia vitare, & admittere quævis venialia hic & nunc occurrentia, eoquod ſe exponat periculo peccandi mortaliter; quod ſaltem verum eſt in aliquibus materiis; ut ſi quis ex propoſito admittat quasvis confabulationes, turpes converſationes, tactus, aſpectus etiam venialiter tantum malos: ſic pariter qui aſſueſcunt levibus furtis, detractionibus, &c. facile labuntur in gravia. Diſponunt inter omnia propinquiſſime, quæ magis appropinquant ad peccata carnalia, ut confabulationes inutiles, amicitiæ ſenſuales, liberior converſatio

(a) *Tr.* 12. *in Joan. c.* 3. (b) *c.* 19. *v.* 1.

ſatio cum altero ſexu, licentia oculorum aliorumque ſenſuum &c. Qui ergo mortalia timet, venialia non ſpernat, ſed per quotidianum conſcientiæ examen extirpare conetur. Optimum medium illa vitandi eſt examen conſcientiæ, de quo Aſcetæ.

(22) *D.* 2. Venialia ſæpius repetita faciunt mortale, ſi invicem moraliter uniantur ratione materiæ concreſcentis, vel effectum cauſent graviter prohibitum. *Ratio eſt:* qnia venialia illa faciunt aliquod unum; ergo poſſunt venire ad materiam vel effectum gravem. Caſus obvii habentur in notamine & clariores ſunt in furtis minutis, V. G. ter furatus es ſolidum, ter peccaſti venialiter per ſe loquendo, ſi addas furtum quartum auferendo adhuc ſolidum, hoc furtum fit mortale, non quod ex veniali vel venialibus fiat mortale; hoc enim impoſſibile eſt, ſed hoc furtum ſecundum ſe fuiſſet veniale, jam autem quia complet materiam gravem, fit mortale; jam enim complet, ut ſuppono, materiam gravem, & damnum cauſat grave.

Ob. Ultimus actus furti eſt ejusdem rationis cum præcedentibus, quia nonniſi ablatio ſolidi eſt; ergo venialis ſicut præcedentes. ℞. *d. a.* eſt ejusdem rationis ſecundum ſe, *c.* ex circumſtantia & per accidens. *n.* nam ratione connexionis cum præcedentibus habet circumſtantiam damni notabilis.

Inſt. Ultimum furtum non plus nocet, quam præcedentia. ℞. ſecundum ſe & abſolute. *c.* reſpective cum aliis. *n.* nam per ultimum completur medius imperialis, non per priora. *Vide, ubi de furtis minutis.*

Reſ. Clericus ſingulis diebus parum ex officio omittens: opifex ſingulis Dominicis per horam laborans, alius in die jejunii parum extra tempus comedens, &c. peccat tantum venialiter; quia non eſt, in quo iſta unian-

uniantur, idque licet ex uno propoſito fiat, cum hoc propoſitum non ſit majoris malitiæ, quam actus intenſi. Idem a potiori eſt in venialibus diſparatis.

DISSERTATIO III.

DE PECCATIS INTERNIS.

QUÆSTIO I.

(23) *An & quale peccatum ſit delectatio moroſa?*

N. 1. Delectatio moroſa eſt *ſimplex complacentia vel gaudium de aliquo objecto realiter vel intentionaliter per vivacem quaſi repræſentationem præſente, abſque eo, quod quis velit hoc facere, vel ab alio fieri.* Differt a *deſiderio tum efficaci*, quia hoc fertur in objectum ut a ſe phyſice vel moraliter cauſandum: tum *inefficaci*, quo quis afficitur ad objectum, & vellet ſibi vel alteri evenire abſque eo, quod velit illud ponere, aut ad id ponendum cooperari. *dr. moroſa;* non quod requirat moram temporis; uno enim momento perfici poteſt: ſed quod voluntas poſt plenam advertentiam ei immoretur, acquieſcat non tendens in opus.

N. 2. Hæc delectatio poteſt eſſe bona & mala, prout objectum fuerit bonum vel malum; uſus tamen obtinuit, ut ſumatur pro delectatione mala, & quidem communius de materia vel objecto turpi, quamvis poſſit eſſe de non turpi attamen malo V. G. de occiſione inimici. Quod autem dicitur de delectatione moroſa mala, debet & intelligi de triſtitia moroſa cir-

ca objectum bonum, V. G. triſtaris de bono proximi inimici tui.

N. 3. Delectatio moroſa poteſt eſſe 1. de ipſo objecto malo, dum motivum delectandi eſt ipſa res cogitata mala. 2. de cogitatione mala. 3. de cogitatione objecti mali, dum motivum delectandi non eſt res cogitata, quam quis abhorret, ſed ipſa cogitatio vel cognitio veritatis. 4. de modo, quo malum fit; ut ſiquis delectetur de ingenicſo modo, quo alter eſt deceptus: modo lepido, quo in lutum cecidit, vel artificio, quo res turpis deſcribitur. *Denique* de effectu, qui ex peccato ſequitur, V. G. hæreditate ſecuta ex homicidio.

(24) *D.* 1. Delectatio moroſa deliberata & voluntaria de objecto ſecundum ſe malo vel de ipſa cogitatione formaliter mala, eſt peccatum pro ratione materiæ mortale vel veniale. *Prob.* qui delectatur voluntarie afficitur; ſed amare rem mortaliter malam eſt mortale, venialiter malam veniale: ergo. *Dixi: de objecto ſecundum ſe malo:* ſi enim ſecundum ſe malum non ſit, ſed tantum ideo, quia lege poſitiva prohibitum, ut, V. G. eſus carnis die Veneris, cum tunc objectum ſecundum ſe malum non ſit, delectatio per ſe non eſt mala; quia delectatio ſimplex fertur in objectum, non ut a parte rei, ſed ut in apprehenſione eſt; ſic die Veneris licite delectaris de eſu carnium ſecundum ſe, non vero ut prohito. Attamen.

Obſ. Quamvis ex parte objecti nulla ſit malitia, delectatio tamen ex parte ſui ſæpe eſt peccatum propter oppoſitionem cum aliqua virtute aut lege. Sic ſolutus peccat delectando de copula, quam licite habent duo conjuges: peccat quis, ſi delectetur de morte per infortunium illata alteri, & ſic de aliis; nam prima delectatio caſtitati, altera charitati opponitur.

(25) *D.*

(25) *D.* 2. Delectari de modo ſubtili, ingenioſo, quo actio mala etiam turpis eſt facta, per ſe malum non eſt, cum iſte modus non ſit malus, ut ſupponitur, & ab actione diſparatus, poſſitque licite reperiri in actione non mala; ſic poteſt quis delectari de ſuavitate cantus turpis, licet turpitudo diſpliceat: ſic delectamur de modis ingenioſis furis, licet furta improbemus. *Dixi: per ſe;* quia in materia præſertim turpi facile erit mortale ob periculum conſenſus in objectum. Pariter delectatio de cognitione objecti mali per ſe mala non eſt: ſic Theologus, imo ipſe Deus complacet ſibi in exacta cognitione peccatorum turpiſſimorum; attamen in re turpi iterum periculoſa eſt, ſi deſit finis honeſtus. Similiter per ſe licita eſt delectatio de effectu bono ſecuto ex peccato V.G. prole nata ex adulterio: cavendum tamen, ne in ſimilibus actus ipſe approbetur.

Reſ. 1. In dubio, an delectatio fuerit ſimul circa objectum, an circa artificium V. G. tantum, hæc poteſt eſſe regula: ſi idem modus & artificium repertum in re honeſta non ita delectet, ſicut facit, dum eſt in re turpi, ſignum eſt delectationem ſimul ferri in objectum. Pariter ſi delectationi occaſionem dedit lectio vana, curioſa, colloquium inutile, merito timetur, ne fuerit de objecto malo; non ſic ſi occaſionem dedit occupatio honeſta, utilis vel neceſſaria, quanquam & tunc inſinuare ſe ſoleat affectus malus, contra quem muniendus eſt animus per ſinceram intentionem & vigilem curam.

Reſ. 2. Delectatio moroſa eſt peccatum ejusdem ſpeciei cum objecto cognito; prohibetur enim eodem præcepto, quo ipſum opus, pertinetque ad idem genus, hinc in confeſſione explicandum eſt objectum cogitatum. *Reſ.*

Reſ. 3. Delectari de re mala ſub conditione auferente malitiam V. G. comederem carnes, ſi non eſſet dies jejunii, ſuſpenderem Titium, ſi eſſet reus & ego judex, &c. per ſe non eſt peccatum ſaltem mortale; quia abſtrahitur malitia ab objecto, niſi hi actus procedant ex actuali affectu vindictæ, luxuriæ, aut ſimili. Sic ſine dubio peccat graviter, qui ex affectu actualis libidinis intra ſe dicit: *hanc cognoſcerem*, *ſi eſſet uxor mea*, non malitia fornicationis, quæ per conditionem ſtatus conjugalis excluditur, ſed moroſæ delectationis.

Reſ. 4. Delectari de objecto intrinſece malo ſub conditione: ſi liceret, ſi non eſſet malum, V. G. fornicarer, probabilius eſt peccatum pro ratione materiæ; quia licet conſenſus reſpectu objecti ſit conditionatus, eſt tamen abſolutus reſpectu delectationis circa objectum præſens, quod ſemper eſt malum intrinſece, nec talis conditio impoſſibilis aufert malitiam objecti intrinſece mali, aut aliquid de facto mutat in re; ſæpe tamen talis non ſignificat niſi inclinationem naturæ, niſi lex illam coerceret. Hoc certum, periculoſum eſſe immorari ſimilibus ſtultis velleitatibus ob periculum conſenſus in objectum malum; ſaltem ſunt otioſæ & re ipſa ſubeſt tentatio dæmonis.

Reſ. 5. Non licet delectari de objecto in ſe malo, ſed ſine culpa facto, prout explicatum eſt de *actibus humanis* (a).

QUÆSTIO II.

(26) *Quid ulterius reſolvendum in materia turpi?*

N. 1. Delectatio alia eſt *rationalis*, & eſt complacentia voluntatis in objecto ſine motu ſenſibili, diciturque *ſpiritualis;* de qua *quæſt. præc.;* alia eſt

(a) *pag.* 49.

eſt *pure ſenſitiva* & propriè delectatio, quæ ex imaginatione phantaſiæ exurgit in appetitu ſenſitivo, fitque cum aliqua alteratione corporis per motum ſpirituum vitalium circa pectus ſine commotione venerea: ut quæ percipitur ex guſtu in cibo, auditu ex muſica, item ex aſpectu pulchri juvenis: alia eſt ſimul *venerea*, quæ fit cum commotione ſpirituum generationi ſervientium, & ſentitur circa partes genitales; hæc etiam dicitur *carnalis* & *turpis*, diſtinguiturque a ſcurrili, quæ capitur ex ſermone de excrementis & ſimilibus hominem ingenuum dedecentibus. *Materia* autem *turpis* eſt, quæ aliquo modo trahit ad venerea, hoc eſt, quæ a natura ſunt ordinata ad generationem.

N. 2. Cogitatio de objecto delectabili alia eſt *practica*, quæ repræſentat objectum modo delectabili; hoc eſt: ut ſenſui conveniens, & delectativum carnis: alia *ſpeculativa tantum*, quæ repræſentat illud ſecundum ſe absque relatione ad ſenſum, ut ſi ſtudeas caſibus conſcientiæ in materia turpi.

(27) *D.* 1. Delectatio mere ſenſitiva de objecto non malo poteſt eſſe ſine peccato: ſcurrilis per ſe eſt veniale: venerea quæſita aut admiſſa in homine, cui illicita eſt copula, eſt mortale ex toto genere; omnis enim delectatio venerea ex ſe ordinatur ad commotionem veneream & effuſionem ſeminis; ſed hæc extra conjugium eſt mortale, ergo & illa plene deliberata. *Vid. ſupra* (a). *Quid autem liceat conjugibus*, dicetur, *ubi de matrimonio.*

Reſ. 1. Delectatio venerea, quamdiu voluntati ſerio diſplicet, non eſt peccatum, ſed materia meriti, quod bene explicandum rudibus, qui ſæpe dicunt ſe delectatos turpibus cogitationibus, dum contra voluntatem ſenſerunt delectationem naturaliter ortam: pariter in timoratis delectationes communiter ſunt in appetitu ſenſitivo tantum.

(a) *Num.* 24.

Reſ. 2. Delectatio ſenſitiva non venerea, nec de objecto graviter prohibito per ſe non eſt peccatum mortale, ſi abſit periculum conſentiendi in motus venereos, ſi forte ſubſequantur. Quærere autem delectationem ſenſibilem ex objecto turpi eſt mortale; quia ſimul aderit venerea, & periculum ſaltem conſenſus. Idem in praxi eſt, ſi ex objecto non turpi V. G. tactu manus intendatur ſenſibilis delectatio notabilis.

Reſ. 3. Non tantum delectari, ſed & plene deliberate immorari cogitationi practicæ de rebus venereis, imo & ſerio ſpeculari de objecto valde turpi, ſecluſo bono fine, in praxi fere ſemper eſt mortale, quia ob ſympathiam potentiarum naturaliter excitatur commotio venerea, licet per accidens non ſemper ſequatur; ſed hanc procurare aut voluntarie admittere in ſolutis per ſe eſt mortale; ergo.

Reſ. 4. Ex juſta cauſa V. G. ob ſtudium pro habenda ſcientia neceſſaria ſpeculari de rebus venereis non eſt peccatum, modo abſit periculum conſenſus in delectationem forte orituram; quia tales cogitationes de ſe non ſunt malæ; & delectationem, ſi ſequatur, ſufficit reprimere.

Reſ. 5. Ex curioſitate ſpeculative cogitare de rebus venereis eſt veniale tantum, modo abſit periculum conſenſus, quod tunc raro abeſt, præſertim ſi diu immoretur.

(28) *D.* 2. Qui advertit in ſe exurgere cogitationem, delectationem, affectum, vel motum turpem, tenetur ad minus elicere ſimplicem diſplicentiam; quia ob vehementiſſimam inclinationem non poteſt voluntas hic manere ſuſpenſa, ac permiſſive ſe habere; & ſi non eliciat aliquam ſaltem diſplicentiam, imminet periculum conſentiendi: quamvis autem hic actus non ſufficiat ad reprimendos hos motus, ſufficit tamen ad impediendum conſenſum voluntatis. Optimus modus reſi-

reſiſtendi eſt cogitationes ſerio divertere ad alia objecta honeſta, præſertim grata, aut magis attendere ad id, quod agitur. Hæc diſplicentia facile elicitur, & ſatis eſt, ſi durat virtualiter; hinc opus non eſt toties iterare; ſi tamen diutius durent, aliquoties renovanda eſt.

Reſ. 1. Si motus ſint leves, melius eſt contemnere; quia tunc non eſt facile periculum, & communiter creſcunt, ſi poſitive reſiſtatur.

Reſ. 2. Si adhibito rationabili conatu nihil proficiat, poteſt negligere & contemnere; non tenetur autem ideo actionem honeſtam & utilem omittere V. G. honeſtum colloquium cum honeſta perſona alterius ſexus, intellige ſemper: ſecluſo periculo proximo conſenſus in delectationem veneream.

Reſ. 3. Rudes hic expedit interrogare, an ſtatim, ubi adverterunt malitiam, reſtiterint? & non peccarunt; an languide, negligenter? & peccarunt venialiter.

(29) *D.* 3. Deſiderium contrahit omnem malitiam, quam cognoſcitur habere objectum volitum, V. G. qui deſiderat, concupiſcit peccare cum perſona, quam novit conjugatam, conſanguineam, &c. contrahit has circumſtantias; quia deſiderium fertur in opus externum ut a parte rei ponendum; ponitur autem cum omnibus ſuis circumſtantiis, quæ ſi cognitæ ſint, ſunt indirecte & interpretative volitæ. Ideo qui turpibus inhæſit cogitationibus, non tantum debet dicere, an fuerit ſimplex complacentia? an deſiderium? ſed & circa quæ objecta: an deſideraverit turpiter aſpicere? an tangere? &c. an conſanguineam? an voto ligatam? &c. Idem eſt, ſiquis ſibi complaceat in peccato jam patrato, ideoque hoc in confeſſione eſt exprimendum ſpecifice.

(30) *D.* 4. Simplex complacentia probabilius tantum attrahit illam malitiam, a cujus delectabilitate voluntas movetur. Poteſt autem moveri a delectabilitate V. G. copulæ ob perſonæ formoſitatem, & non ob circumſtantiam matrimonii, vel voti, quamvis cognoſcat hæc in objecto reperiri, ideoque malitia talis circumſtantiæ non contrahitur. *Ratio eſt:* quia ſimplex delectatio tendit in objectum præciſe ut ſubſtat cognitioni, & delectabiliter movet. Sic qui videt inimicum ſuum vulnerari in loco ſacro, & delectatur de illa vulneratione, ut eſt mala inimico, peccat tantum peccato odii, non ſacrilegii. Qui audit verba impudica & ſimul contumelioſa in alium, & ex his voluptatem capit, ut impura ſunt, non peccat contra juſtitiam: ergo a pari. Unde qui delectatur de copula modo cum conjugata, modo cum religioſa, non contrahit malitiam adulterii & ſacrilegii, nec tenetur explicare in confeſſione; quia hæ circumſtantiæ non movent, ſed potius deterrerent, ſi voluptas abeſſet: quodſi moveant, ſine dubio explicandæ ſunt.

Reſ. 1. Qui hujusmodi delectationibus dediti ſunt, interrogandi ſunt de qualitatibus objecti venerei; quia regulariter ſimul adeſt deſiderium operis, a quo non abſtinent, niſi vel quia deeſt occaſio, vel ex metu infamiæ aut alterius motivi humani.

Reſ. 2. Communior omnino eſt ſententia, delectationes ſimplices etiam de aſpectu, tactu, oſculo, &c. ſpecie inter ſe differre, & debere diſtincte exprimi in confeſſione; ſed praxis eſt contraria, & viri docti hoc negant putantes: eſſe mala tantum ratione commotionis, aut pollutionis, aut copulæ, ad quas excitant, adeoque dicunt ſufficere, ſi dicatur: toties delectatus ſum carnaliter circa talem perſonam, non explicando, an circa tactus aut oſcula; bene tamen, ſi circa copulam aut pollutionem, ſodomiam &c.

Reſ.

Reſ. 3. Qui confitetur turpem delectationem, non tenetur exprimere motum turpem, qui ſecutus eſt; hic enim ut connaturaliter ſequens ſatis intelligitur expreſſa delectatione interna. Aliud eſt, ſi ſequatur tactus, ſi pollutio, vel hujus periculum, quæ exprimi debent.

DISSERTATIO IV.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

Septem communiter numerantur peccata capitalia, ſic dicta, quia ex iis veluti capitibus ſaltem frequentius omnia alia oriuntur; hæc igitur ſuccincte examinabimus, remedia contra illa addendo, ut & nobis præcavere, & officium Confeſſarii, qui medicus eſt, rite exercere valeamus; cum enim aliorum ſint cauſæ, ab illorum medicina aliorum pendet curatio.

QUÆSTIO I.

(31) *Quale peccatum ſit ſuperbia & quale avaritia?*

D. 1. Superbia eſt *inordinatus appetitus excellentiæ propriæ. dr. inordinatus*; nam velle excellere ſecundum ſe eſt indifferens, & ſi debito modo ac fine fiat, V. G. ad Dei gloriam, proximi ſalutem, eſt actus meritorius. Inordinatio autem conſiſtit in eo, quod ſuperbus velit excellere ſupra id, quod eſt, & quaſi ſupra alios ire plus, quam decet. *dr. excellentiæ*; hoc eſt: perfectionis, quam quis habet, vel ſibi falſo ineſſe imaginatur. *dr. propriæ*; ideo ſi Pater nimium appe-

tat exeellentiam filii, aut econtra, non eſt proprie ſuperbia, ſed vitium illi propinquum.

(32) *D.* 2. Superbia alia eſt *completa*, qua quis ita ſe animo effert; ut Deo & Superioribus ſubeſſe recuſet, quaſi hæc ſubjectio læderet ſuam excellentiam, aut ita ſe gerit, quaſi ſua non a Deo, ſed a ſe, aut ſaltem ſuis meritis haberet. Non requiritur autem, quod hoc judicet, alias hæreticus eſſet, ſed quod ita ſe extollat de bonis ſuis, ingenio, induſtria, divitiis &c. ut revera cenſeatur æſtimare, ſe illa habere a ſe ipſo, aut non indigere Dei auxilio, & hæc eſt peccatum mortale graviſſimum ob graviſſimam Dei, qui omnis boni fons eſt, injuriam, ſed raro accidit. Alia eſt *incompleta*, qua quis ſalva ad Deum & Superiores ſubjectione & ſecluſo illo gerendi modo ſuam dignitatem apprehendit, æſtimat & amat ſupra id, quod illi convenit; eſtque per ſe loquendo veniale tantum, quia exceſſus in objecto ſecundum ſe indifferente, qui per ſe venialis eſt; per accidens ſæpe mortale, ſi conjuncta ſit cum gravi contemptu, infamia vel damno proximi.

(33) *D.* 3. Ex ſuperbia oritur *ambitio*, & eſt *inordinatus appetitus honoris vel dignitatis;* ut ſi appetatur honor non debitus, vel debito major, vel debitus, ſed indebito modo, medio & fine acquirendus; alias moderate appetere honorem eſt actus magnanimitatis: oritur *vana gloria* & eſt *appetitus inordinatus humanæ æſtimationis & laudis*; hæc ſi quæratur per verba, dicitur *jactantia* ſive inanis de ſe & ſtulta prædicatio; ſi per facta, *oſtentatio;* ſi per aggreſſionem operis vires excedentis, *præſumptio;* ſi per falſa & ficta ſigna, eſt *hypocriſis* ſive ſimulatio ſanctitatis, quam quis non habet, vel majoris, quam habet. Hæc ſunt peccata ordinarie & per ſe venialia. *Denique* ex ſuperbia naſcitur *pertinacia*, *qua quis nimium adhæret proprio judicio nolens cedere melius intelligenti*, item

con-

contentio, quæ eſt inordinata verborum contrarietas: denique diſcordia (quæ eſt contrarietas voluntatum circa bonum, in quo ex charitate conſentire debemus) inobedientia, ingratitudo, Quæ ſunt peccata gravia pro ratione modi aut finis.

Reſ. 1. Qui ſuperbiendo de ſua excellentia aſpernatur vilem proximi ſtatum ſibi quaſi complacendo in ejus vilitate, peccat mortaliter.

Reſ. 2. Qui jactat ſe magnum doctorem, juriſtam, Medicum cum detrimento aliorum doctorum, vel gravi damno populi, peccat mortaliter.

Reſ. 3. Ex ſuperbia, vanitate nimium ſe ornare per ſe eſt veniale, per accidens præſertim in fæminis ſæpe mortale ratione ſcandali.

Reſ. 4. Inducens in civitatem novos habitus, vel modos veſtiendi, & prævidens ſuo exemplo moralem neceſſitatem imponi aliis, ut ſumptus faciant viribus majores, peccat mortaliter.

Reſ. 5. Qui rem etiam ſacram V. G. concionem principaliter facit ob vanam gloriam, peccat tantum venialiter.

Reſ. 6. Qui præſumit exercere officium conſiliarii, Theologiæ Profeſſoris ſine debita peritia, peccat mortaliter cum onere reſtitutionis damnorum inde aliis ſecutorum.

Reſ. 7. Qui ſine experientia indomitum equum aſcendit, aut ſimile quid facit cum periculo ſibi graviter nocendi, peccat mortaliter.

(34) *D.* 4. Se jactare, vane gloriari, licet falſo de opere mortaliter malo eſt peccatum mortale, de veniali veniale; imo ſolet eſſe duplex, unum ipſius jactantiæ quærendo gloriam vel laudem ex re mala, alterum actualis complacentiæ. Hinc in confeſſione explicandum eſt peccatum, de quo quis gloriatus eſt, etiam ideo, quia per hoc videtur contemni honeſtas virtutis

oppoſitæ; eſt autem eadem irreverentia, ſive crimen fuerit verum, ſive falſum, & mendacium per ſe veniale tantum. Si vero quis tantum glorietur de fortitudine, ingenio, dexteritate in opere malo demonſtratis, non eſt mortale ſecluſo ſcandalo, quod ſimiles diſcurſus nati ſunt præbere audientibus, unde facile accedit nova malitia.

Reſ. Ob eandem rationem peccat mortaliter 1. Qui alium laudat de peccato gravi: 2. qui vituperat, quod occaſionem furandi, fornicandi, vindictam ſumendi &c. prætermiſerit: 3. qui audiens ſe jactantem de peccato complacet ſibi, admiratur quaſi dignum laude, non ſi tantum admiretur ejus dexteritatem &c. 4. Si alius opus tuum mortaliter malum laudet, & tibi complaceas; ſi vero tantum taceas, per ſe ideo non eſt peccatum grave.

Superbiæ opponitur *puſillanimitas*, qua quis nimium ſibi diffidens detrectat honores vel officium; ſi fiat ex pia intentione vel humilitate, eſt actus meritorius, alias de ſe venialis; poſſet eſſe mortale, ſi detrectes id, ad quod ſub mortali teneris.

(35) Remedia contra ſuperbiam ſunt conſiderare, quid fueris? Nihil: quid ſis? Quoad animam multis tenebris, malis inclinationibus, peccatis oppreſſus, forte hoſtis Dei (a), *neſcit* enim *homo*, *utrum amore*, *an odio dignus ſit;* quoad corpus multis repletus miſeriis, brevi eſca vermium, & niſi Deus adjuvet, forte in æternum exurendus in inferno (b), *ſuperbis Deus reſiſtit*, *humilibus dat gratiam.* Econtra humilitas eſt virtus Chriſti, cujus tota vita fuit humillima: juvat conſiderare, quid utilitatis habueris ex vana gloria, de qua dicitur (c): *Receperunt mercedem ſuam &c.*

(36) *D.*

(a) *Eccli.* 9. *v.* 1. (b) 1. *Pet.* 5. *v.* 5.
(c) *Matth.* 6. *v.* 16.

(36) *D.* 5. Avaritia eſt *immoderatus appetitus bonorum temporalium,* hoc eſt; immoderatus amor, cura & ſollicitudo ea acquirendi, conſervandi, augendi. *dr. immoderatus;* quia divitias appetere per ſe malum non eſt, &, ſi fiat ob honeſtum finem, eſt actus honeſtus. Avaritia ex genere ſuo eſt veniale peccatum; quia exceſſus in re alias indifferente & licita; per accidens ſæpiſſime eſt mortale, dum graviter repugnat charitati Dei: dum homo ita inordinate adhæret divitiis etiam juſte acquiſitis, ut totum affectum in iis ponat magis ſollicitus de pecunia, quam de gratia Dei conſervanda, qui ab Apoſtolo comparatur idololatriæ: dum graviter repugnat charitati vel juſtitiæ erga proximum, ideo injuſte non ſolvendo aut differendo debita, non ſuccurrendo neceſſitati proximi &c. de quibus interrogandi ſunt, qui de avaritia ſe accuſant. Filiæ ejus ſunt *fraus, violentia, proditio, furtum, perfidia, oppreſſio pauperum* & plurima alia, de quibus ſuis locis.

(37) *D.* 6. Avaritiæ opponitur *prodigalitas* (quæ eſt *vitium inclinans ad elargiendas divitias, ubi, quando & quibus non debentur, vel plus, quam juxta rectam rationem oportet*) peccatum de ſe veniale; quia imprudenter utitur bonis ſibi a Deo conceſſis; per accidens mortale, ſi ideo non ſolvantur debita, non alatur familia, &c. licet alias piis cauſis impendantur.

Avaro inculcandum eſt illud (a): *Avaro nihil eſt ſceleſtius. . . . nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam; hic enim & animam ſuam venalem habet* (b). *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Item perpetua inquietudo, &c. Sollicitus autem pro nobis pater cœleſtis dicit (c): *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis:* deinde omnia brevi eſſe relinquen-

(a) *Eccli.* 10. *v.* 9. & 10. (b) 1. *Timoth.* 6. *v.* 10.
(c) *Matth.* 6. *v.* 33.

quenda, niſi quæ per manus pauperum præmiſſa fuerint: quod divitias relinquat hæredibus forte ingratis, prodigis & iis abuſuris, ut experientia probat.

QUÆSTIO II.

(38) *Quid & quotuplex ſit Luxuria?*

Luxuria eſt *inordinatus appetitus vel uſus venereorum*, cujus ſeptem ſolent enumerari ſpecies, ſcilicet *fornicatio ſimplex*, *adulterium*, *ſtuprum*, *raptus*, *inceſtus*, *ſacrilegium*, & *peccatum* contra naturam, quod eſt triplex: *pollutio*, *ſodomia* & *beſtialitas*, quibus claritatis gratia ſolet addi impudicitia inchoata conſiſtens in tactibus, aſpectibus, verbis obſcœnis &c. Dicuntur peccata contra naturam; quia ex iis nequit ſequi generatio, quæ finis eſt a natura intentus. De his omnibus diſtincte acturi turpia ſcribemus, ſed lector, inquit Gerſon, præparat ſe audire caſte id, quod pro caſtitatis cognitione neceſſitas cogit aperire.

ARTICULUS I.

(39) *Quid & quale peccatum ſit Fornicatio?*

D. 1. Fornicatio eſt *congreſſus naturalis ſoluti cum ſoluta ex mutuo conſenſu* (ſoluti dicuntur, qui non ſolum liberi ſunt a vinculo matrimoniali, ſed & a mutua cognatione vel affinitate in gradibus prohibitis, a voto continentiæ & ab Ordine Sacro) eſt peccatum mortale; ait enim Apoſtolus (a): *Omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei;* eſt intrinſece mala, jure naturæ prohibita; quia ob periculum male educandæ prolis concubitus vagus inter homines eſt contra jus naturæ. Nec juvat, quod periculum illud videatur poſſe tolli, &

(a) *ad Epheſ.* 5. *v.* 5.

& in caſu particulari ceſſare, quia ſufficit manere ſecundum ſe, *de quo, ubi de legibus.*

Reſ. 1. Fornicatio prima (idem eſt de pollutione) non diſtinguitur ſpecie a ſequentibus, prout probabiliter docet D. Thomas, quia ubique eſt contra caſtitatem tantum; & licet prima opponatur virginitati, hæc tamen eſt virtus de conſilio, non de præcepto, & ſi adferret malitiam ſpecie diſtinctam ſaltem gravem, oporteret interrogare pœnitentem: an ipſe, vel cum qua peccavit, fuerit virgo, vel non? quod eſt contra praxin, & male interpretaretur pœnitens.

Reſ. 2. Eunuchus habens copulam tenetur exprimere ſuum ſtatum; quia ſimul adeſt malitia contra naturam, cum fruſtretur finis copulæ, ſcilicet generatio.

Reſ. 3. Fornicatio cum filia Confeſſionis non addit novam malitiam, niſi Confeſſarius in Sacramento, vel hujus occaſione, quia advertit pœnitentem ad hoc peccatum proclivem, incitet, vel familiarius agere incipiat; tunc enim adeſt ſpecies graviſſima ſacrilegii: alias cum ex confeſſione non oriatur cognatio ſpiritualis, nec peccatum dicat ordinem ad confeſſionem priorem, non apparet ſpecialis indecentia ſaltem gravis. Nihilominus, ſi ſit pœnitens ſua ordinaria, videtur circumſtantia notabiliter aggravans; quia eſt notabiliter major turpitudo, quod qui curam in ſe ſuſcipit regendi animam, ad copulam fornicatoriam ſollicitet; ideoque Canones eandem pœnam imponunt, ac ſi eſſet filia ſpiritualis.

Reſ. 4. Ex parte viri hic plerumque adeſt ſpecialis malitia ſcandali, quia ſaltem cauſat actuale peccatum externum; ordinarie tamen non tenetur hoc explicare in confeſſione, cum enim vir incitare ſoleat, hoc prudenter præſumitur. Aliud eſt, ſi fæmina primo invitaret, aut ſi ſollicitatio viri effectum non habuc-

buerit, aut diu poſt ſollicitationem ſequatur copula; tunc enim ſine dubio exprimendum erit.

Reſ. 5. Videtur, quod fornicatio fidelis cum infideli addat malitiam ſpecie diſtinctam; quia Eccleſia ex motivo religionis damnat inter illos matrimonium; ergo hoc ipſo videtur prohibere quamcunque commixtionem ob reverentiam debitam baptismo.

Reſ. 6. Qui ex vera diſplicentia peccati, inchoata copula, ſe retrahit etiam cum pollutione, bene facit, & ad hoc tenetur; quia nullum eſt inſtans, in quo quis non teneatur ceſſare a peccato actuali, & pollutio ob juſtam cauſam permittatur. Si autem id faciat (prout fieri ſolet) ad impediendam generationem & infamiam, ſequaturque pollutio, triplicem committit malitiam ſpecie diſtinctam, fornicationis inchoatæ, mollitiei conſummatæ & intentionis poſitivæ impediendi generationem.

(40) *D.* 2. Ad fornicationem reducitur concubinatus, eſtque concubitus frequentatus viri cum fœmina ſoluta, quam velut uxorem domi retinet, vel alibi ad eum uſum aſſervat. An, & qualiter abſolvi poſſit concubinarius, alibi dicetur.

ARTICULUS II.

(41) *Quid ſit ſtuprum & raptus?*

D. 1. Stuprum proprie eſt *violenta defloratio virginis. dr. defloratio;* quia per talem concubitum virginalis integritas corrumpitur, ſuperaddit gravem malitiam contra juſtitiam; gravis enim injuria infertur perſonæ, dum virginitate, quæ eſt magnum bonum, ſpoliatur: eſt autem violenta, dum vi aut violentia phyſica cogitur, aut opprimitur, dum metu gravi etiam reverentiali inducitur, dum fraude vel promiſſione ficta matrimonii, aut magnæ dotis ſeducitur,

citur, licet enim tunc peccet, adhuc patitur injuriam. Quid facere debeat, ut non peccet, vide *de actibus humanis* (a).

Reſ. 1. Non eſt proprie ſtuprum, nec ſpeciale peccatum, ſi virgo ſponte conſentiat; quia quoad uſum hunc corporis ſui eſt Domina. Nec obeſt, quod adhuc ſubſit poteſtati parentum; hi enim per accidens inde læduntur, cum res poſſit manere occulta; ſic & lædi poſſunt ex divulgatione fornicationis illius, quæ jam ſecreto erat corrupta; hinc ſi puella prævideat gravem proſtitutionem vel damnum parentum inde futurum, & tamen uſum corporis concedat, peccat graviter contra pietatem, non contra juſtitiam.

Reſ. 2. Malitia ſtupri, licet non ſtuprum, habetur, ſi violentata ſit quævis alia fœmina etiam corrupta; adhuc enim eſt gravis injuria, dum ſic ad peccandum inducitur.

Reſ. 3. Eandem committit, qui cognoſcit perſonam fatuam, ebriam, dormientem ſine prævio ebriæ vel dormientis conſenſu.

Reſ. 4. Stuprum committit, qui adoleſcentem per violentiam, metum aut fraudem ad turpia inducit.

(42) *D.* 2. Raptus eſt *violenta abductio cujuscunque perſonæ in ordine ad explendam cum ea libidinem:* ſuperaddit iterum gravem malitiam injuriæ, differt a ſtupro proprie tali, quod hoc fiat cum virgine, raptus cum quacunque perſona, & per hunc fit abductio de loco ad locum.

Reſ. Eo gravior eſt raptus, quo perſona rapta graviores inducit qualitates: ita ſi ſit conjugata, eſt ſimul adulterium, ſi Deo ſacra, ſimul ſacrilegium, ſi ejusdem ſexus, ſimul ſodomia, & ſic de cæteris. *De raptu plura, ubi de impedimentis matrimonii.*

ARTI-

(a) *Pag.* 18. *&* 64.

ARTICULUS III.

(43) *Quid ſit adulterium & inceſtus?*

D. 1. Adulterium eſt *violatio thori alieni*, addit gravem injuriam contra ſextum & octavum præceptum decalogi, eſt grave peccatum mortale, de quo dicitur (a). *Neque adulteri regnum Dei poſſidebunt*,

Reſ. 1. Adulterium contingit tripliciter: 1. dum conjugatus cognoſcit ſolutam: 2. dum ſolutus conjugatam: 3. dum conjugatus conjugatam; ubi triplex eſt malitia gravis, una contra caſtitatem, duæ contra juſtitiam; quia violantur duo diſtincta jura.

Reſ. 2. Majus peccatum eſt conjugatæ cum ſoluto, quam conjugati cum ſoluta, quia magis repugnat juri naturæ; mulier enim duobus viris copulata impedit ſæpe generationem: ſæpe neſcitur, quis ſit pater prolis in hujus damnum: ſpecialem ſæpe injuriam facit, aut ſaltem ſe exponit evidenti periculo illam faciendi marito & legitimis prolibus, quæ non ſunt in copula conjugati cum ſoluta.

Reſ. 3. Malitia adulterii contrahitur, licet altera pars conſentiat; contrarium enim eſt damnatum, quia non poteſt cedere juri ſuo, aut ſaltem adhuc fit injuria ſtatui, & juri conjugali, cui cedere non poſſunt conjuges: non videtur tamen fieri injuria conjugi ſponte conſentienti; ridiculum enim videretur, ſi hic de injuria ſibi illata conquereretur. Simile eſt de Clerico conſentiente in ſui percuſſionem.

Reſ. 4. Adulterium committitur in omni ſpecie luxuriæ ſaltem externæ etiam contra naturam, ſicut & in oſculis, tactibus impudicis, quia in illis omnibus fit injuria conjugi juxta Apoſt. (b), *vir non habet poteſtatem ſui corporis*, & econtra.

Reſ.

(a) 1. *Cor.* 6. *v.* 9. (b) 1. *Cor.* 7. *v.* 4.

Reſ. 5. Simplex delectatio moroſa in conjuge circa aliam probabilius reducitur ad adulterium, quia eſt contra jus alterius conjugis; ob mutuam enim animorum traditionem fides matrimonii exigit, ut nequidem mentem ponat in aliam; & ſaltem motus venerei, quos cauſat interna delectatio, ſunt contra jus alterius conjugis.

Reſ. 6. Si vir cum propria uxore exerceat ſodomiam, uterque peccat duplici peccato adulterii; quia accedit ad corpus non ſuum formaliter, hoc eſt, in ordine ad finem a matrimonio intentum, qui eſt generatio prolis, nec poteſt ſe ſatis excuſare, niſi dicat, quod cum propria uxore, ut patebit examinanti.

(44) *D.* 2. Inceſtus eſt *concubitus cum perſona conjuncta ob cognationem naturalem, ſpiritualem, vel legalem, vel affinitatem intra gradus prohibitos; de quo, ubi de matrimonio*; addit malitiam gravem contra reverentiam & pietatem parentibus & propinquis debitam.

Reſ. 1. Sub concubitu tanquam ſub actu principali intelliguntur oſcula, tactus & aliæ impudicitiæ inter illas perſonas: quia ad concubitum ordinantur, ideoque pertinent ad inceſtum, ſicut cum conjugata ad adulterium, cum ſoluto ad fornicationem, cum eodem ſexu ad ſodomiam.

Reſ. 2. Quo propinquior eſt gradus, eo gravior eſt inceſtus, videturque omnino tenendum in praxi, explicandum eſſe in confeſſione gradum primum affinitatis, primum & ſecundum conſanguinitatis; quia dictante ipſa natura longe fœdior eſt violatio; primus enim conſanguinitatis gradus in linea recta jure naturæ dirimit matrimonium, non alii.

Reſ. 3. Inceſtus cum conſanguineis non differt ſpecie ab inceſtu cum affine; quia ſemper peccatur contra reverentiam conjunctis debitam. Idem eſt de cognatione legali. Spiritualis tamen ſpecie diſtinguitur

ab aliis; habet enim malitiam ſacrilegii ob reverentiam Sacramenti, quæ tamen eadem eſt, ſive ex baptiſmo, ſive ex confirmatione ſit orta, ſive peccatum fiat cum filia ſpirituali, ſive cum ejus matre.

ARTICULUS IV.

(45) *Quid ſit ſacrilegium carnale, & quale peccatum?*

D. Sacrilegium carnale eſt *violatio rei ſacræ per actum venereum.* Per rem ſacram intelligitur perſona ſacra, locus ſacer, & alia quæcunque res ſacra ab his diſtincta: addit malitiam ſpecialem diſtinctam contra religionem.

Reſ. 1. Per perſonam ſacram proprie intelligitur, qui voto ſolemni caſtitatis ſive per profeſſionem religioſam, ſive per ſuſceptionem Sacri Ordinis Deo quaſi dicatus eſt; reductive tamen, & quantum huc ſpectat, intelligitur omnis voto etiam ſimplici caſtitatis obſtrictus: non vero intelliguntur Canonici, aut ſimiles minoribus tantum initiati, nec Novitii Regularium.

Reſ. 2. Sacrilegium perſonale fit 1. dum perſona ſacra ſe ipſam contaminat impuris cogitationibus, aſpectibus, tactibus &c.: 2. dum ſimilis libidinem ſuam explet in perſona non ſacra, ubi hæc contrahit malitiam ſacrilegii, licet pure permiſſive ſe habeat; quia cooperatur peccato alterius, facitque injuriam Deo, dum permittit ſe V. G. tangi a perſona Deo ſacra: 3. dum econtra perſona non ſacra hæc exercet in ſacram: 4. dum in illis actibus utraque perſona eſt ſacra, ubi duplex eſt ſacrilegium; quia violat uterque votum in ſe, & in alio.

Reſ. 3. Siquis in ſuſceptione Sacri Ordinis noluiſſet vovere caſtitatem, adhuc committit ſacrilegium ob præceptum Eccleſiæ; quæ in reverentiam Sacrorum mini-

miniſteriorum obſervationem caſtitatis pònit in materia religionis; quia Eccleſia per præceptum ſupplet defectum, ſi forte ordinandus vovere nolit.

Reſ. 4. Sacrilegium locale hic committitur per quamcunque voluntariam ſeminis humani effuſionem etiam occultam in loco ſacro. Excipitur copula conjugalis ob periculum incontinentiæ habita, dum conjuges diu detinentur in Eccleſia V. G. tempore obſidionis; quæ tunc probabilius nec illicita, nec ſacrilega eſt: qualis eſt, ſi fiat ſine neceſſitate; quia eſt in grave vilipendium loci ſacri. Dixi: *etiam occultam*; quia, ſi publicaretur, locus eſſet pollutus; proinde ſignum eſt, quod ab initio factum ſit aliquid contra reverentiam loci ſacri. Non committitur autem (intellige talis, per quam Eccleſia polluatur) per colloquia, aſpectus, oſcula, tactus impuros, niſi publice cum magna irreverentia loci fierent.

Reſ. 5. Per locum ſacrum hic intelligitur locus authoritate publica deputatus cultui divino, ut ſunt Eccleſiæ, cœmeteria, non ſacriſtia, non campanile, non oratoria privata, aut eremitoria non benedicta, licet ibi Miſſa legatur de licentia Ordinarii; ſumus enim in odioſis.

Reſ. 6. Sacrilegium reale committitur, ſiquis re ſacra, hoc eſt, ad ſanctificandas animas inſtituta, vel ad Dei cultum conſecrata aut benedicta utatur ad turpitudines; ſi verba ſacra præſertim S. Scripturæ applicet rebus obſcænis.

Reſ. 7. Mortalis eſt irreverentia; ſiquis portans S. Euchariſtiam exerceret V. G. turpem tactum. *Denique* ad ſacrilegium reducitur ſollicitatio ad turpia occaſione confeſſionis etiam ſimulate factæ, *de qua ſupra*; obliganturque ſollicitati ſub pœna excommunicationis aliisque graviſſimis denuntiare ſollicitantes, nec poſſunt abſolvi, niſi prius denuntiaverint, idque licet ſolli-

licitationi non conſenſerint, prout de novo decrevit Benedictus XIV. 1741. 17. Junii conſtit. *Sacramentum pœnitentiæ.*

ARTICULUS V.

(46) *De peccatis contra naturam.*

D. 1. Sodomia *perfecta* eſt concubitus duorum ejusdem ſexus ſcilicet maris cum mare, fœminæ cum fœmina: *imperfecta eſt* concubitus cum diverſo quidem ſexu, ſed extra vas naturale cum affectu ad vas innaturale, differt ſpecie a priori; debet autem adeſſe aliqua conjunctio corporum per modum copulæ. Utraque eſt peccatum valde enorme graviter in Sodomitis, a quibus nomen habet, punitum, & adhuc in foro civili punitur pœna ignis.

Reſ. 1. In ſodomia perfecta exprimi debet, an fueris agens vel patiens; quia agens ordinarie committit pollutionem, quam patiens qua talis non committit, & ſi committat, ſine dubio explicari debet.

Reſ. 2. Pœnæ contra ſodomiam ſtatutæ, uti & reſervatio intelliguntur de ſola perfecta & completa cum effuſione ſeminis; odioſa enim ſunt reſtringenda.

Reſ. 3. Sodomia ſæpe adjunctam habet ſpeciem adulterii, inceſtus, ſacrilegii, &c. prout una, vel utraque perſona eſt matrimonio, vel voto ligata, conſanguinea &c.

D. 2. Beſtialitas eſt *concubitus hominis cum bruto*, ſcelus horrendum juſſu Dei in homine & bruto ſceleris ſocio flammis expiandum; hic autem non eſt opus exprimere ſpeciem animalis, cum quo peccavit quis; eſt enim eadem deformitas. Huc revocatur coitus cum dæmone, additque graviſſimam malitiam contra religionem, & præterea malitiam ſodomiæ, adulterii, inceſtus, &c. prout eſt affectus coeuntis cum dæmone.

ne, ideoque explicandum eſt, ſub qua forma apparuerit dæmon.

(47) *D.* 3. Mollities ſeu pollutio eſt *effuſio ſeminis humani extra concubitum:* ſive hoc effluat, ut in viris, ſive intus diffluat in matricem, ut in fæminis, quod ab illis percipitur ex magna voluptate, quam ex deciſione ſeminis ſentiunt, de qua modeſte ſunt interrogandæ a Confeſſario. Eſt intrinſece mala, ita ut nullo caſu nequidem ad ſervandam vitam licitum ſit quocunque modo etiam per actionem licitam directe quærere, aut intendere pollutionem ſine peccato mortali. *Eſt communis.* (a) Adeo enim vehemens hic eſt paſſio hominis & ſenſus voluptatis, ut paſſim ſibi perſuaderent, ſe habere juſtam cauſam, ſicque hac voluptate contenti matrimonium negligerent cum maximo ſpeciei humanæ damno. Idem eſt de turpibus motibus, qui ſunt inchoata mollities: idem eſt de expulſione fœtus licet nondum animati; quia eſt expulſio duplicis ſeminis (b). Dixi: *directe;* quia licitum eſt per medicinam directe expellere ſemen corruptum, licet per accidens ſimul effluat verum ſemen; quia corruptum eſt humor noxius, non ſemen. Circa pollutionem vel motus turpes indirecte tantum voluntarios pro re maxime practica ſint ſequentes regulæ:

(48) 1. Si actio, ex qua prævidetur pollutio, vel motus, multum diſponat, ſive ex natura ſua notabiliter influat, ut ſunt omnes actus venerei mortaliter mali, V. G. vehemens imaginatio, tactus, aſpectus valde turpis, &c. non tantum cauſa, ſed & ipſe motus ac pollutio ſunt peccatum mortale, utpote indirecte voluntaria.

2. Si actio tantum remote & non notabiliter diſponat, pollutio prævifa, & non intenta non eſt mortale;

(a) *Vid. ſupra N.* 17.
(b) *Vid. Tract. de Jure & Juſtit. diſſert.* 8. *q.* 1.

tale; quia non teneor vitare cauſas remotas, ex quibus præter intentionem ſequitur.

3. Si actio, ex qua prævidetur, ſit veniale in materia luxuriæ, pollutio eſt tantum venialiter mala; quia nonniſi voluntaria in cauſa venialiter mala: talia eſſe poſſunt joci turpes, non valde obſcæni tactus, oſcula levia ex petulantia &c. *de quibus infra.*

4. Si cauſa non ſit peccatum in genere luxuriæ, quamvis ſit mortale in alio genere V. G. ebrietas, pollutio præviſa, eſt venialis tantum; quia eſt levis inordinatio tantum contra caſtitatem, ſine juſta cauſa ponere aliquid remote diſponens ad pollutionem.

5. Si cauſa in ſe non ſit mala, & adſit juſta cauſa eam ponendi, licet etiam notabiliter influat, pollutio ſecuta non eſt peccatum. Pro his recolenda ſunt, *quæ de voluntario, & de actibus humanis diximus.*

Reſ. 1. Non peccat V. G. chirurgus, qui medendi cauſa facit tactus & ſimilia multum excitantia ad pollutionem: minus qui audit confeſſiones fæminarum, ſtudet rebus venereis &c. nec tenetur ob pollutionem deſiſtere, ſecluſo ſemper periculo proximo conſenſus; ſolet autem Deus ſimiles ſpecialiter conſervare, modo ſerio invocetur.

Reſ. 2. Licita ſunt oſcula; amplexus urbanitatis cauſa obiter ex more patriæ: licitum eſt commodo ſitu in lecto jacere, equitare, inſervire in balneis aut infirmis, proprias partes ſecretiores a ſordibus mundare, &c. licet per accidens ſequatur pollutio, ſecluſo ſemper affectu malo & periculo conſenſus: quod quisque advertere poteſt ex propria experientia, aut ex præſenti voluntatis diſpoſitione; quia plerumque adeſt rationabilis cauſa neceſſitatis, utilitatis, commoditatis, & utenti jure ſuo non debet imputari, quod per accidens ſequitur.

Reſ.

Reſ. 3. Brevis cogitatio etiam mortaliter mala de objecto turpi de die habita non videtur eſſe ſufficiens cauſa nocturnæ pollutionis.

Reſ. 4. Non teneris pollutionem involuntarie inceptam impedire, debes tamen phantaſiam avertere, & elicere actum diſplicentiæ propter periculum conſenſus plus, quam ſupra de motibus: quia eſt magis inclinans; hinc ſine ullo attactu roga Deum, ne te permittat labi in delectationem.

Reſ. 5. Peccat mortaliter, qui expergefactus pollutionem in ſomno ortam proprio conatu promovet, & complet; quia hoc non eſt tantum permittere, ſed poſitive continuare.

Reſ. 6. Pollutio ſæpe adjunctas habet alias ſpecies, V. G. fornicationis, adulterii, inceſtus, ſi ſibi imaginetur copulam cum fœmina, aut ad illam fuerit affectus venereus, aut ſi alieno tactu fuerit pollutus, aut alium ipſe polluerit, aut ad id ſit cooperatus; tunc enim ſimul alterius perſonæ qualitatem explicare debet, licet alter non eſſet libere V. G. in ſomno cooperatus; quia communiter adeſt affectus venereus ad talem perſonam, adeoque vel fornicationis vel ſodomiæ &c.

Reſ. 7. Quod dicitur de pollutione, intelligi debet de diſtillatione, quæ eſt effuſio humoris medii inter ſemen & urinam; ſitque ordinarie cum minori ſenſu voluptatis, quandoque cum nullo, & tunc, ut communiter docent, non eſt peccatum, quamvis adſit levis erectio genitalium. *An, & qualiter liceat gaudere de pollutione? dictum eſt de actibus humanis. N.* 25.

ARTICULUS VI.

(49) *De Impudicitia inchoata.*

D. 1. Turpia loqui, audire, ſcribere, legere, canere ex curioſitate, vanitate, recreationis

 cauſa,

cauſa, ſecluſo ſcandalo aut periculo conſenſus venerei, ſunt peccatum veniale; quia hæc non multum movent, valde tamen dedecent caſtitatis amatorem: periculoſa ſunt in illis, qui de ſimilibus libenter loquuntur, vel audiunt; quia ordinarie latet affectus turpis, licet objectum, de quo agitur, non ſit adeo obſcænum.

Reſ. 1. In loquente, vel cantante ſæpe accedit peccatum gravis ſcandali, præſertim ſi coram junioribus id fiat; quia adeſt periculum aliquos ex illis inducendi ad turpes cogitationes & ſimilia: ideoque qui aliis probabiliter per hæc fuit cauſa ruinæ ſpiritualis, explicare debet qualitates perſonarum & numerum, ſaltem ut fuit apprehenſus.

Reſ. 2. Idem ſæpe eſt in audiente, ſi arrideat, ſibique placere ſignificet, vel ſi facile poſſit, aut ex officio teneatur, & non impediat, vel ſaltem vultu, aut ſimili modo ſibi diſplicere non ſignificet, loco non abeat &c. Si tamen loquens ſit altioris conditionis, id ex verecundia omittere ad ſummum eſt veniale.

Reſ. 3. Cum facile hic adſit periculum in ſe vel in aliis, ideo cavendi ſunt riſus voluntarii, & ſi voluntatem præveniant, quantum fieri poteſt reprimendi; quod ſi tamen de modo quis rideat, per ſe non peccat graviter.

D. 2. Aſpectus rerum turpium fit mortalis 1. *ex objecto?* ſi id in ſe ſit valde turpe & apud pleroſque notabiliter ad libidinem provocans 2. *ex ſola aſpicientis intentione;* ſi fiat ex intentione venereæ delectationis, vel actuali affectu, licet objectum de ſe non ſit ita turpe. 3. *ex ſolo periculo* V. G. ex curioſitate aſpicis, & inſurgente jam turpi commotione advertis periculum conſenſus, nec tamen ab aſpectu ceſſas alieno. Titius tempore æſtivali ex alto loco per tubum opticum conſiderat mulieres laborantes in agris multum nudas cogitatio-

gitationibus tamen impuris inde inſurgentibus non conſentit. *An peccat.*

℟. Peccat graviter tum ob periculum, cui ſe exponit, tum ob motus turpes, qui per ſe ſequuntur.

(50) *D.* 3. Tactus, oſcula, amplexus eodem modo fiunt mortale, & magis; quia fortius provocat tactus, quam aſpectus. *Pro caſibus magis obviis.*

Reſ. 1. Peccat mortaliter, qui ſerio aſpicit perſonam plene nudam, aut verenda vel partes vicinas, ob periculum proximum commotionis & delectationis venereæ. Aliud eſt; ſi ex improviſo; ex levitate, valde obiter, ex loco valde remoto, vel perſonam valde puerilem, aut infantem etiam alterius ſexus aſpiciat; quia ſic non adeſt tale periculum.

Reſ. 2. Se ipſum etiam circa verecunda aſpicere plerumque eſt veniale tantum: quia propria non ita movent ad libidinem. Cavendum tamen a nimia moroſitate aut frequenti repetitione absque cauſa, indicat enim affectum libidinoſum: ex cauſa gravi, nullum eſt peccatum.

Reſ. 3. Serio aſpicere picturas, perſonas grandiores aut ſtatuas in partibus pudendis nudas repræſentantes ordinarie eſt mortale; quia fere ſemper eſt periculum vel tunc, vel poſtea incidendi in turpia: & licet per accidens non ſequantur, ſufficit, quod quis ſine cauſa ſe periculo exponat.

Reſ. 4. Obiter aſpicere ſtatuas ſimiles excuſari poteſt a mortali; quia artificialia minus movent: quam naturalia. Picturæ autem infantis nudi ſine ſcrupulo paſſim exponuntur etiam in templis; quia hujus aſpectus parum aut nihil movet.

Reſ. 5. Aſpicere partem honeſtam V. G. collum, faciem formoſæ fæminæ, per ſe nullum eſt peccatum; ex curioſitate eſt veniale, licet adſit aliqua delectatio ſenſitiva pulchritudinis, albedinis &c. aſpectus tamen

nudarum mamillarum cum mora ac delectatione ſenſitiva vix a mortali excuſari poteſt ob periculum.

Reſ. 6. Mittere litteras amatorias, vel munera eſt peccatum juxta intentionem facientis; ſi enim fiat ex intentione libidinis ſine dubio eſt mortale: ſi ex levitate, joco, per ſe veniale; ſi ad fovendum honeſtum amorem, eſt nullum præſertim in ſponſis. *Dixi: per ſe;* hoc eſt: ſecluſo periculo proprio vel alieno, aut niſi ſcriptio de ſe ſit valde turpis. Sæpe hic ſub ſpecie amoris honeſti latet amor impurus, libido intus accenditur.

Reſ. 7. Tangere ſerio partes inhoneſtas alterius perſonæ etiam ejusdem ſexus, niſi excuſet neceſſitas V. G. medendi, ſemper eſt mortale; quia proxime libidinem provocat; eſt autem gravius, ſi fiat inter perſonas ejusdem, quam diverſi ſexus; quia ad gravius peccatum ex natura ſua diſponit.

Reſ. 8. Se ipſum in his partibus tangere ex ſola levitate, ſecluſa mala cogitatione & periculo, non eſt niſi veniale: quia tactus proprii corporis non ſolet ita excitare. Excipe; ſi fiat moroſe, & cum repetitione. Si fiat ex rationabili cauſa propter obvias neceſſitates, nullum eſt peccatum.

Reſ. 9. Leviſſime premens V. G. manum mulieris, aut pede tundens ex affectu deliberato libidinis vel cum periculo, utique peccat mortaliter.

Reſ. 10. Oſcula, amplexus, item tactus uberum, licet fiant ex ſola delectatione ſenſibili absque alio fine honeſto, practice ſemper ſunt mortale; tum quia delectatio ſenſibilis in tali objecto ſponte quæſita naturaliter trahit ad ulteriora, & periculum proximum conſentiendi; tum ob propoſitionem (a) damnatam, quæ ſic ſonat: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſen-*

(a) 40. *ab Alexand. VII.*

ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & pollutionis. Quod a potiori eſt de oſculis, quæ furtive cum ardore vel mora repetuntur. Similiter ſi tactus & præſertim oſcula in partibus etiam honeſtis ob delectationem ſenſualem moroſe fiant, & repetantur, vix abeſt peccatum mortale; quia ſic facta multum influunt in delectationem veneream.

Reſ. 11. Oſcula, amplexus, contrectationes manuum facta ex honeſta cauſa V. G. more patriæ non ſunt peccata, quamvis per accidens ſimul oriantur motus venerei: ſi ex levitate vel joco fiant, ſunt tantum venialia. Interim non decet Eccleſiaſticos: minus religioſos his ſignis oſtendere amicitiam præſertim erga perſonas alterius ſexus.

Reſ. 12. Perſona ſoluta permittens ſe tangi ab alio per tactum, qui non cenſetur impudicus V. G. oſculo juxta morem patriæ, non peccat, niſi conſtet de pravo alterius affectu; tunc enim retrahere ſe tenetur: admittere autem tactus impudicos V. G. mamillarum & partium obſcænarum, oſcula furtiva, &c. ſine gravi peccato non poteſt, quamvis ipſa non conſentiat, modo poſſit, prout ordinarie poteſt, ſine gravi incommodo impedire; quia præſumitur affectus malus: poteſt igitur, & debet ſe etiam contra Clericum pugna defendere, evitando tamen, quantum poteſt, alterius infamiam, ſi publice fiat.

Reſ. 13. Poteſt puella admittere aſpectus & tactus valde turpes, ſi cogat neceſſitas medendi; hos tamen non tenetur virgo a viro permittere.

Reſ. 14. Oſculari pueros affectuoſe ex amore ætatis teneræ, & captare inde delectationem ſenſibilem per ſe eſt veniale tantum.

Reſ. 15. Ancillæ, quæ lavant & veſtiunt pueros, ſicque aſpiciunt vel tangunt eorum partes inhoneſtas, ſecluſo periculo aut complacentia turpi, non peccant,

ſi

ſi ita officium exigat; peccant venialiter, ſi obiter ex curioſitate fiat; ordinarie mortaliter, ſi cum mora, propter morale periculum.

(51) Remedia contra luxuriam ſunt ſequentia. 1. oratio humilis & frequens, qua agnoſcens ſuam fragilitatem recurrat ad Dei auxilium, ſine quo nemo continens eſſe poteſt, ut ait *Sapiens*: ſolet Deus aliquando ſuperbos punire permittendo labi in has fœditates. 2. ſobrietas, quia intimi amici ſunt *Bachus* & *Venus*, nec facile invenies caſtum, qui vino eſt addictus. 3. opera pœnoſa, ut jejunium. 4. cuſtodia ſenſuum, maxime oculorum. 5. fuga occaſionum & præcipue familiaritatis cum altero ſexu: hic homo vincit fugiendo, in aliis ſæpe pugnando. 6. fuga otii & ſomni prolixioris. 7. ſtatim avertere cogitationes ad quodvis aliud proxime occurrens. Pro illis vero, qui non ſolent deliberate conſentire, ſervit contemptus; nimius enim timor auget tentationem. Quoad illos autem, qui addicti ſunt vitio mollitiei (de quo inter alios ſcribit Cardinalis *Toletus*: hoc peccatum eſt difficillimæ curationis; quia occaſio ſemper eſt cum homine, eſtque præterea adeo univerſale, ut maximam damnandorum partem hoc peccato infici crediderim) vix aliud eſt remedium, quam frequentiſſima apud eundem prudentem Confeſſarium confeſſio. Remedia alia ſunt: 1. usque ad confeſſionem proximam mane & veſpere oret aliquid flexis genibus in honorem Sancti vel myſterii alicujus, ad quod magis afficitur: 2. B. Virgini ante aram obſtringat manus cum propoſito eas ob reverentiam ipſius intra tot dies non extendendi ad turpia: 3. ante Crucifixi imaginem quotidie ſtatuat continere manus in honorem quinque vulnerum & reverentiam Sanctiſſimi ſanguinis, qui ex ipſis fluxit, quoties urget tentatio, brevem aliquam ſententiam volvat in mente V. G. de inferno, de præſentia Dei Judicis ſeveriſſimi,

mi, & quod ſimilia non auderet facere coram hominibus. *Dein* proponat motiva etiam naturalia, quod ſcilicet per hæc valde abbrevietur vita &c. *Denique* qui jam ſe emendant, ſæpe nocturnas patiuntur pollutiones, quas antiquæ imagines obſcænæ cauſant, ſed ideo turbari non debent.

QUÆSTIO III.

(52) *Quid ſit invidia, & quale peccatum?*

D. 1. Invidia eſt *triſtitia de bono proximi, prout apprehenditur eſſe diminutivum propriæ excellentiæ*, eſt peccatum ex genere ſuo mortale, quia directe oppoſitum charitati proximi; ſæpe veniale tum ex imperfectione actus, tum ex parvitate materiæ. Ad mortale autem requiritur altero tanto major ſaltem materia, quam ad furtum.

Reſ. 1. Triſtari de bono alterius, in quantum prudenter creditur tali indignus, non eſt invidia, ſed indignatio, & quidem juſtiſſima, ſi ſit propter Deum vel bonum commune, quod creditur ab indigno lædendum; poteſt tamen eſſe mala, ut ſi ſit de bonis, quatenus a Deo peccatoribus obveniunt.

Reſ. 2. Si alterius bonum V. G. exaltatio, promotio mihi vel alteri innocenti revera ſit mala, ſecluſo malo affectu vel averſione circa perſonam, non eſt invidia triſtari de illo bono alterius; ſic licite triſtamur de potentia impiorum, quatenus illa abutentes noxii ſunt: prudenter doleo illum elevatum ad officium, qui utpote inimicus meus jam facilius poteſt nocere &c.; quia talis triſtitia non tam eſt de bono proximi, quam de malo inde reſultante.

Reſ. 3. Siquis triſtetur de bono proximi, non quia ipſi bonum eſt, ſed quia ſibi ſimile bonum deeſt, ut ſæpe fit in praxi, non eſt invidia, ſed æmulatio de ſe bona,

bona, ſic Apoſt. (a) ait: *æmulamini charismata meliora.* Sic ſecluſo malo affectu circa perſonam, qui tamen facile intervenit, licite triſtaris, quod alter tibi beneficium, officium præripuerit. Sic ſtudioſi vel artem addiſcentes dum vident aliorum profectum, merito triſtantur de ſuo defectu, quo ipſi ad meliora excitantur: artifex videns ſuum vicinum induſtria ſua bene alere familiam, merito dolet ſe non poſſe ita proſperare. Sic mercator, vel caupo videns emptores vel hoſpites ad vicinum divertere, licite dolet de illo concurſu, non quatenus vicino bonus eſt, ſed ut eſt ſuum detrimentum, & lucri ceſſatio, quod alias juſte haberet, *& ſic de ſimilibus.*

Reſ. 4. Supremum invidiæ peccatum eſt, ſiquis alteri invidet bona ſpiritualia ſupernaturalia V. G. gratiam, virtutes, &c. eoquod putet per illa ſuam æſtimationem minui, aut ſuam vitam redargui, quod eſt peccatum in Spiritum S.; quia ſic invidet Spiritui S., qui in donis ſuis & operibus glorificatur; diciturque *fraternæ charitatis invidentia.*

(53) *D.* 2. Quinque aſſignantur filiæ hujus peccati: 1. *odium*, quo quis male vult, cui invidet: 2. *ſuſurratio*, quæ eſt locutio mala de proximo ad tollendam amicitiam ipſius cum aliis: 3. *detractio*, qua bonam famam denigrat; quam proximo invidet: 4. *gaudium in adverſis proximi:* 5. *afflictio in proſperis*, eſtque hæc continua pœna invidi, qua ſuo livore tabeſcit; quæ omnia patet eſſe mortalia ex genere ſuo.

(54) Contra invidiam ſufficit conſiderare ejus imprudentiam; eſt enim omnino inutilis invidia, quæ tantum confert ad peccatum, nulli prodeſt, & ſoli nocet invido; non enim ideo minus habet ille, cui invides, & licet careret bono, quod invides; non ideo tu illud vel melius haberes. In aliis peccatis adhuc ſenſus

(a) 1. *Cor.* 12. *v.* 31.

ſenſus habent ſuas delectationes; contrarium eſt in invidia. Inhoneſta eſt, prima enim honeſtatis regula eſt: quod tibi velles, alteri velis; ideoque quod Deus illi favet, & tu fave, ut per hoc placeas illi, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* (a)

QUÆSTIO IV.

(55) *Quid, & quale peccatum ſit gula?*

D. Gula eſt *inordinatus appetitus vel uſus cibi aut potus*, peccatum ex genere ſuo veniale, quia exceſſus in re indifferente; per accidens ſæpe mortale. Pro quo

Reſ. 1. Venialiter peccat, qui plus ſumit, quam vitæ & ſanitati ſervandæ neceſſarium eſt, vel utile, conſideratis circumſtantiis perſonæ, ejus complexione, occupatione &c.; hic enim finis eſt proximus cibi, potus, ſomni; parum tamen excedere non eſt peccatum; quia non poteſt mathematice ſtatui menſura, nec ſi ad hoſpitem, vel ægrotum animandum non ita ſervetur modus: nec ſi ſit ordinarie conſuetudo ſe certa die lautius recreandi.

Reſ. 2. Venialiter peccat, qui edit & bibit ob ſolam voluptatem, quod eſt voluptate frui, licet tantum neceſſaria ſumat; pervertit enim ordinem naturæ, patet ex prop. (b) damnata: *quam vide ſupra.* Si autem voluptatem illam ordinet ad meliorem digeſtionem, quod eſt voluptate uti, non peccat; quia in hunc finem Deus annexuit alimentis delectationem juxta illud: quod ſapit, nutrit; nec tunc comedit & bibit ob ſolam voluptatem. Hunc finem in neceſſariis & utilibus ad ſuſtentationem virtualiter quis intendit, quamdiu non habet intentionem contrariam; econtra qui ultra ſumit, cenſetur ſiſtere in voluptate.

Reſ.

(a) *Math.* 5. *v.* 45. (b) 8. *ab Innoc. XI.*

Reſ. 3. Si ad ſatietatem ſignificet, quantum requiritur, ut ſatisfiat fami & ſiti, non eſt peccatum; ſi ſignificet plus ſumi, quam utile ſit vitæ & ſanitati ſervandæ, peccat.

Reſ. 4. Peccat venialiter, qui nimis lauta appetit reſpective ad ſuum ſtatum, vel nimis exquiſite præparata, vel ſiquis nimis avide ſumat.

Reſ. 5. Graviter peccat 1. qui gulæ cauſa violat jejunia Eccleſiaſtica: 2. qui ob nimiam ingluviem advertit vel advertere debet ſe contracturum notabilem morbum V. G. febrim: 3. Si ex nimia delicatorum comeſtione exponat ſe periculo conſentiendi turpibus. 4. Si inde notabiliter ineptus fiat ad functiones, ad quas ſub mortali tenetur, V. G. Advocatus, Judex, & ſimiles. 5. Si propter commeſſationes non poſſit ſolvere debita, alere familiam: 6. Si ita inhæreat delectationibus ciborum, ut in iis finem ſuum ultimum quodammodo conſtituat. *Demum* univerſaliter omnes, quorum tota cura eſt in cultu ventris; de quibus Apoſt. ait, (a) *quorum Deus venter eſt.* Effectus gulæ eſt hebetudo mentis, torpor animi & omnis generis tum corporis, tum animi morbus.

QUÆSTIO V.

(56) *Quid ſit ebrietas, & quale peccatum?*

D. 1. Ebrietas eſt *voluntarius exceſſus in potu inebriante usque ad defectum uſus rationis*: addunt aliqui: *voluptatis cauſa:* ſed non videtur requiri; qui enim amici gratia etiam cum nauſea biberet usque ad privationem uſus rationis, foret proprie ebrius, ſicut proprie eſt fornicatio, licet puella ex metu mortis ſine voluptate conſentiret.

(57) *D.*

(a) *ad Philip.* 3. *v.* 19.

(57) *D.* 2. Ebrietas perfecta eſt peccatum mortale; quia graviter repugnat rectæ rationi, quod homo ſciens & volens ſe privet uſu rationis & poteſtate propinqua ad illum; eſt enim bonum præſtantiſſimum, cenſeturque gravis injuria Dei, ejus imaginem in modum bruti deturpare.

Ob. 1. (a) De Joſepho & fratribus ejus dicitur: *biberuntque, & inebriati ſunt cum eo.* ℟. ibi & alibi ſæpe inebriari ſumitur pro largiori & hilari, honeſta tamen potus ſumptione.

Ob. 2. Qui ſe privat uſu rationis per ſomnum etiam non neceſſarium, non peccat; ergo nec, qui per potum. ℟. *n. c.* Quia ſomnus relinquit potentiam proximam utendi ratione, ſi homo a ſomno excitetur, poteſtque ante ſomnum diſponere, ut tali hora excitetur, quod non facit ebrietas.

(58) *D.* 3. Ebrietas perfecta eſt, ſi ſit usque ad omnimodam privationem uſus rationis, vel gravem ejus perturbationem, *quod notanter additur:* non enim requiritur, ut uſum rationis omnino tollat, & plane brutum efficiat. Nec excuſat, quod poſſit adhuc declinare currum prætereuntem, domum redire, lectum petere; id enim & canes faciunt. Si tamen ſtante uſu rationis ſufficiente, phantaſia parum ſit turbata, lingua titubet, pedes vacillent, domus & feneſtræ videantur circumferri, adhuc eſt imperfecta ebrietas, & nondum peccatum mortale. Idem eſt de vomitu, qui quandoque ex ebrietate, quandoque abſque illa ex vitio potus vel ſumentis indiſpoſitione ſequitur.

Certa ebrietatis mortalis indicia ſunt. 1. Si faciat ea, quæ ſui compos non facit, ut ſi alias probus blaſphemet, turpia dicat, aut faciat, rixas moveat, &c. Sed & hoc aliqui faciunt, dum ſemiebrii ſunt.

2. Si

(a) *Gen.* 43. *v.* 34.

2. Si rerum principalium, quas geſſit, altera die non recordetur, V. G. ignorat, quomodo domum venerit, cubitum iverit &c.; hæc enim facile retinentur, ſecus minutæ, quæ vix advertenter fiunt. 3. Si ſuis actionibus communibus & facilibus dirigendis vix aut ne vix ſufficiat. *Dico: dirigendis;* nam non poſſe exequi V. G. orare Breviarium poteſt oriri ex ebrietate tantum imperfecta.

(59) *D.* 4. Probabilius non licet ſe inebriare, neque cauſa mortis vitandæ ab alio intentatæ, neque cauſa ſanitatis recuperandæ. *Ratio eſt:* voluntaria privatio uſus rationis per nimium potum eſt intrinſece mala non minus, quam mendacium: ergo nullo caſu licita. Nec valet diſtinguere inter ebrietatem cauſa voluptatis; hoc enim ſupra rejectum eſt.

Ob. 1. Licitum eſt abſcindere brachium, ut conſervetur totum corpus; ergo magis ad breve tempus ſe privare uſu rationis. 2. Talis potus eſt neceſſarius ad conſervationem vitæ; ſed hunc permittit ſobrietas; ergo. 3. Ebrietas eſt tantum indirecte volita. ℞. *ad* 1. *n. c.* Quia membra ordinantur ad totum, ideo ordo charitatis & recta ratio exigit, ut pro conſervatione totius deſtruatur pars: aſt ratio non ordinatur ad vitam corporalem, ſed econtra. *Deinde* major eſt deformitas in ebrietate, quam privatione brachii, ubi homo retinet dignitatem hominis. *Ad* 2. Sobrietas permittit potum neceſſarium, ſi ſumatur cum integritate rationis. *c.* Si hæc deſtruatur. *n.* *Ad* 3. *n. aſſ.* Intenditur enim ut medium ſalvandi vitam. *Pro caſibus magis obviis.*

Reſ. 1. Peccat mortaliter, qui bibit, quantum poteſt, non curans, an ebrietas ſequatur; item qui inter bibendum advertit ſe appropinquare periculo ebrietatis, aut qui rationabiliter timet illam ſecuturam, & pergit bibere, non depoſito prudenter prævie dubio, licet

licet non inebrietur; quia ſe exponit ejus periculo, hoc periculum poteſt, & debet advertere, adeoque ſemper peccat graviter, qui frequenter eſt ebrius, ut bene docet *D. Thomas.*

Reſ. 2. Non peccat ſaltem graviter, qui non advertit periculum ebrietatis; quod fieri poteſt, ſi inculpabiliter ignoret fortitudinem potus: ſi caſu ſit indiſpoſitus: ſi ebrietas proveniat ex nimio calore, nima loquacitate: ſi prudenter putabat, ſe poſſe plus perferre.

Reſ. 3. Si largius bibens ſciat ſe inebriandum, quando exit in aerem, vel vehitur, non ſi domi quietus maneat, non peccat graviter, ſi exire non ſoleat: alias peccat graviter ob periculum. Sic etiam peccat graviter, qui prævidet ebrietatem etiam poſtea in ſomno tantum ſecuturam, quod quamvis multis videatur mirum, eſt tamen verum: eſt enim eadem ratio.

(60) *Reſ.* 4. Peccat graviter, qui urbanitatis vel amicitiæ cauſa alium provocat ad hauſtus liberaliores cum prudenti timore vel periculo ebrietatis in ſe vel in alio: pariter qui ſine rationabili cauſa amicum invitat ad prandium, quem ſcit communiter domum redire ebrium. Interim ſi abſit periculum, non eſt peccatum; imo urbanitatis eſſe poteſt, in honeſta recreatione ſe mutuo pro more patriæ ad liberaliorem hauſtum invitare.

Reſ. 5. Qui aliquem invitat ad bibendum, excuſatur a peccato, ſi ignoret talem eſſe conditionem bibentis, ut ex hoc potu inebrietur.

Reſ. 6. Qui nimio potu cauſat in ſe podagram, gravem dolorem capitis, aut nauſeam ſtomachi ad plures dies, febrim, abbreviationem vitæ, peccat graviter contra charitatem propriam, & jus Dei, abutens corpore & valetudine, cujus eſt adminiſtrator, non Dominus. Contingit hoc plerumque in illis, qui ſæpe

ſe immoderate replent, licet ad ebrietatem perfectam non bibant; eoquod potentes ſint ad bibendum.

Reſ. 7. Qui alium ad potandum inducit: ſicque eſt cauſa, ut ſuos non ſuſtentet, debita non ſolvat &c. præter peccatum ſcandali peccat contra juſtitiam, teneturque compenſare damna inde ſecuta, non compotatori, qui, ut ſuppono, libere conſentit, ſed iis, qui invite inde patiuntur damna.

Reſ. 8. Qui alium inebriat, ut ſecreta prodat, peccat etiam contra juſtitiam, præſertim, ſi relevare non poſſit. Sic peccat Judex inebrians reum, ut inducat ad fatendum crimen: nec poteſt uti illa ſcientia; non enim ſervatur ordo juris.

(61) *Reſ.* 9. Probabilius videtur contra multos, ad avertendum grave malum V. G. homicidium non licere inducere ad ebrietatem etiam involuntariam provocando ad potum generoſum, cujus vim ignorat, aut infundendo aliquid inebrians: ſicut non licet amentem inducere ad turpia aut alia intrinſece mala. Nihilominus ex gravi cauſa ut V. G. liberem me ab injuſto carcere, licite offero cuſtodibus vinum, relicta libertate bibendi, etſi prævideam inebriandos, ut fugiam; quia præbeo materiam indifferentem; & ad peccatum me habeo permiſſive, quod ex juſta cauſa licet.

Ob. Licet inducere ad minus malum, ut impediatur majus. ℞. *d.* Si minus includatur in majore. *c.* Si non *n.* volenti furari mille, poſſum ſuadere, ut furetur centum: volenti adulterari, ut fornicetur tantum cum ſoluta indeterminate; quia ſuadeo, ut partem peccati omittat, dum a toto abduci non poteſt; ſed inducere ad peccatum, quod nec virtualiter decrevit committere, videtur illicitum: nec minuo peccatum, ſed potius augeo; cum præter malam voluntatem

tem gravius committendi, quam non tollit, ſed ſopit ebrietas, inducam ad novum ebrietatis peccatum.

Reſ. Denique: non eſt proprie ebrietas, ſi uſum rationis tibi tollas per tabacum, aut cubando ſuper lupulum, cum non ſit per potum: ſi tamen ad unam aut alteram horam duraret, eſſet peccatum mortale, non ſi ad breve tempus.

(62) Contra gulam & ebrietatem juvat conſiderare beſtiarum potius eſſe voluptatem, imo animalia plus non ſumere, quam natura poſtulet, plurimos cauſari corporis & animæ morbos, vitam certo abbreviari. Remedium eſt evitare occaſiones, in quibus novit ſe exceſſiſſe: ſi id commode fieri non poſſit, ſaltem facere ſingulare propoſitum de exceſſu vitando; quod ſi hoc non obſtante per experientiam ſcias te in tali occaſione ſolere inebriari, peccas graviter adeundo, licet non inebrieris.

QUÆSTIO ULTIMA.

(63) *Quid ſit ira, acedia, & quale peccatum?*

D. 1. Ira eſt *inordinatus appetitus vindictæ*, vel *quaſi-vindictæ;* quæ inordinatio, ex *D. Thoma* fit dupliciter: 1. *ex parte modi iraſcendi*, ſi interius excandeſcas plus, quam recta ratio dictet, vel exterius per ſigna nimis patefacias, quamvis appetatur vindicta juſta. 2. *Ex parte objecti*, ſi appetas vindictam injuſtam, juſto majorem, aut juſtam quidem, ſed præter ordinem infligendam, vel non ad debitum finem, ſed ex odio ad ſatiandum malevolum affectum. *Additur: vel quaſi vindictæ;* quia dum homo iraſcitur in res inanimatas V.G. artifex ex ira frangit, aut projicit inſtrumentum, ſcribens calamum, non eſt proprie vindicta, eſt tamen ira, licet per ſe venialis tantum, qualis & eſt prima inordinatio; quia exceſſus in paſ-

 ſione

ſione indifferente: per accidens quandoque mortale, ſi V. G. in ſanitate ſibi vel in aliis alteri cauſetur notabile damnum, ſi in blasphemias, maledicta erumpat: ſecunda inordinatio eſt ex genere ſuo mortale, quia directe opponitur charitati.

Reſ. 1. Ordinate appetere vindictam eſt actus bonus, in Superiore ſæpe obligatorius; qui non iraſcendo ſæpe peccat graviter per indiſcretam patientiam, aut manſuetudinem, quæ bono communi eſt maxime nociva; quia per eam foventur crimina.

Reſ. 2. Ira ex parte modi fit mortalis, ſiquis deliberate motus iracundiæ adeo excreſcere ſinat, ut erumpat in enormes geſtus, clamores, ſpumas &c.; quia eſt gravis deturpatio naturæ rationalis & imaginis Dei.

Filiæ iræ ſunt *odium*, *contumelia*, *rixa*, *blasphemiæ* &c. de quibus alibi.

Contra iram juvat conſiderare exemplum CHRISTI, qui pro ſuis crucifixoribus oravit: item quod iraſcens ſæpius juſtiſſimam cauſam dederit Deo contra ſe graviter iraſcendi; item quæ mala ex ira proveniant: quodque iraſcens ſibi potiſſimum noceat.

(64) *D.* 2. Acedia ſive animi tædium ex *D. Thoma* alia eſt *generalis*; *& eſt remiſſio animi ad bene operandum in exercitio virtutum ob laborem conjunctum* ſic ſumpta non eſt vitium ſpeciale, ſed generale; quia omne vitium refugit bonum virtutis oppoſitæ. Alia eſt *ſpecialis*, quæ eſt peccatum capitale, & *eſt triſtitia & tædium de bono aliquo ſpirituali* V. G. *de divina amicitia apprehenſa ut mala propter adjunctam difficultatem illius obtinendæ, & conſervandæ per laborioſa virtutum exercitia, & voluptatum illicitarum fugam;* unde fit ut quis amicitiam illam parum curet.

Reſ. 1. Acedia generalis eſt veniale *per ſe loquendo*; mortale, ſi ideo omittantur actus graviter obligan-

gen

gantes, V. G. ex tædio omittis Breviarium, Miſſam die Feſto &c. ſed non eſt peccatum diſtinctum.

Reſ. 2. Si ſtante tædio vel triſtitia præceptum tepide impleas, eſt veniale tantum V. G. triſtaris de Miſſa: quia tempore frigido eſt ſurgendum, attamen audis, licet cum aliqua diſplicentia.

Reſ. 3 Si triſtitia vel tædium maneat in ſolo appetitu ſenſitivo, & voluntas conetur reſiſtere, eſt actus meritorius.

Reſ. 4. Acedia ſpecialis eſt peccatum de ſe graviſſimum: quia ſpecialiter repugnat charitati Dei, & ab eo avertit. Filiæ ejus ſunt: 1. *malitia*, qua quis odit hæc ipſa bona ſpiritualia, dolet, quod bene fecerit, cuperet ſe non eſſe natum, eſſe brutum &c. ſine dubio mortale, niſi imperfectio actus excuſet: 2. *rancor*, quo illi ſunt faſtidio, qui hortantut ad meliora, quod ſecluſo odio & aliis, eſt veniale tantum: 3. *puſillanimitas*, qua refugit aliquid difficile aggredi, & ſecluſa alia transgreſſione mortali eſt venialis tantum: 4. *deſperatio*, utique peccatum graviſſimum: 5. *torpor* in obſervatione præceptorum, venialis, ſi leviter, mortalis, ſi graviter obligantia non impleantur: 6. *evagatio* mentis, qua quis in exercitio ſpiritualium vagatur circa alia, de ſe venialis niſi ſub obligatione gravi requiratur mentis attentio, ut probabilius eſt in horis canonicis, in celebranda Miſſa, in illa de præcepto audienda, & apud religioſos in oratione mentali & ſimilibus exercitiis, ad quæ ſub peccato mortali tenentur, dum tenentur tendere ad perfectionem.

(65) Remedia contra acediam ſunt: 1. meminiſſe mortis vicinæ, quæ aufert tempus bene operandi: 2. recogitare præmia fervidæ charitatis & damna teporis, illud V.G. (a) *Quia nec frigidus es, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* 3. Mane quotidie ſe excitare

(a) *Apocal.* 3. *v.* 16.

per propoſitum iſta die bene ſua munia obeundi, & veſperi deſuper ſe examinare: *denique* attendere ad exempla ferventium Dei ſervorum, qui longe jucundius vivunt, quam iſti inertes, ſibi & aliis graves ac moleſti.

De Peccatis.

Caſus I. Caja confitetur, quod divinis inſpirationibus non reſponderit, mane non fecerit intentionem bonam, a menſa ſine oratione receſſerit, ſub precibus diſtracta fuerit, per plures ſæpe horas delectationem carnalem habuerit: tandem, quia videt continuo reſiſtendo tentationibus, quibus valde vexatur, ſe magis intricari, ſtatuit, quod proximæ tentationi gravi veſit conſentire. *Q. Quid ſit peccatum, quid imperfectio & quid ad caſum?*

℞. 1. Peccatum eſt *voluntaria & libera transgreſſio divinæ legis:* imperfectio moralis eſt *actio vel omiſſio repugnans conſilio in re ad mores ſpectante, quæ nec ex ſe prohibita nec præcepta eſt:* in praxi dum deliberate committitur imperfectio, ordinarie adeſt peccatum ſenſualitatis, curioſitatis, impatientiæ, acediæ vel alterius negligentiæ culpabilis. ℞. 2. Si divinæ inſpirationes tendant ad opus conſilii, ſecluſo contemptu, nullum eſt peccatum eas non ſequi; alias enim non eſſent conſilii tantum. Quod mane non fecerit bonam intentionem, nec oraverit poſt menſam, eſt mera imperfectio, non peccatum. Diſtractiones ſi non fuerint voluntariæ, non ſunt peccata. In delectationibus ſi non advertatur ad malitiam, vel ſi invite habeantur, non ſunt peccata. ℞. 3. In ultimo peccavit mortaliter, etſi non cogitaverit de aliqua peccati ſpecie, eſtque peccatum ſpeciei innominatæ contra illud generale: *declina a malo* (a). Interim ſcrupuloſi ſæpe dicunt,

(a) *Pſal.* 36. *v.* 27.

cunt, ſe deliberate propoſuiſſe, dum non fecerunt; hinc ſimul attendendum eſt ad indolem pœnitentis.

Caſus II. Cajus ſtudioſus ut peſſimæ ſuæ naturæ, quod facere ſtatuit, plene indulgeat, condiſcipulum ditiorem in ſuam trahit ſententiam, eumque ad popinas & loca ſuſpecta ducit, perſonam alterius ſexus blanditiis & pecunia, quam in hunc finem furatur, ad impuros actus & copulam trahit, imo in loco etiam ſacro opprimit, variasque res ex Eccleſia aufert. Q. 1. *Unde ſumatur diſtinctio peccatorum? 2. quid ad caſum?*

℟. *ad* 1. Sumitur ex oppoſitione ad diverſas ſpecie virtutes, vel ad eandem ſecundum diverſam honeſtatem, vel etiam ſumitur ex violatione plurium legum aut præceptorum formaliter, non materialiter tantum diverſorum (a). ℟. *ad* 2. Propoſitum illud plene indulgendi fuit peccatum graviſſimum ſpeciei innominatæ. Dum ideo ſtuduit alium ſeducere, commiſit grave ſcandalum, vi cujus plurium alterius peccatorum particeps factus eſt. Furtum ex tali fine commiſſum contrahit novam ſpeciem. Opprimens in loco ſacro peccat contra caſtitatem, contra religionem, contra juſtitiam, contra pietatem, ſi conſanguinea ſit, vel affinis: & auferendo ex Eccleſia res ſpecialiter ad Dei cultum deputatas commiſit furtum & ſacrilegium reale ac locale; ſi ibi ad ornatum vel pro cuſtodia tantum erant, ſacrilegium locale tantum; ſi per accidens ibi erant, probabiliter nullum (b).

Caſus III. Titius conjugatus 1. viſa virgine moroſe delectatur, viſa ſtatim altera ſimul delectatur circa hanc. 2. cum utraque peccare deſiderat. 3. audiens vicinum procul iviſſe, concipit deſiderium

X 5 pec-

(a) *Vid. Num.* 3. *&* 4.
(b) *Vid. part.* 2. *de virt. Relig. Num.* 37.

peccandi cum illius uxore; hinc ad ædes ipſius vadit, ibi per horas quatuor ludit & potat, ſæpe ſuum repetens deſiderium: tandem dum ſolus eſt cum ſola, iterato oſculatur, tangit, donec ad copulam inducat, in qua facta ſibi complacet, & domum vadit. *Q. Unde deſumatur diſtinctio numeria peccatorum, & quid ad caſum?*

℞. *ad* 1. Ex morali interruptione actuum voluntatis, & ex objectis, in quæ actus tendit, totalibus moraliter non unitis, qualia ſunt, quæ nec ex natura ſua, nec ex uſu hominum referuntur ad integrandum unum objectum vel actum (a). ℞. *ad* 2. Licet poſt tempus modiciſſimum & durante eodem calore libidinis fiat, ſunt duo numero peccata; quia objecta nec ſubordinata ſunt, nec unita (aliud eſt, ſi uno concupiſcentiæ calore circa eandem perſonam repetatur) hinc & in 2. ſunt duo peccata. In 3. quia conjugatus peccat cum conjugata ſunt duo numero peccata injuſtitiæ, quia duorum jura læſa; actus tamen priores, ut deſiderium repetitum, oſcula, tactus &c. ſunt unum cum adulterio, & ideo hoc confiteri ſufficit; ſunt enim actus ſubordinati moraliter non interrupti; quod probabiliter valet de actibus mox ſubſecutis, & ad novum adulterium non ordinatis: ſic nec tenetur confiteri complacentiam mox ſubſecutam. Aliud eſſet, ſi poſt moram notabilem vel altera die ſibi complaceret: jam enim eſt novum peccatum.

Caſus IV. Cajus 1. animo furandi arcam reſerat, ſed timore perculſus claudit, denuo tamen amore pecuniæ ſtimulatus aperit, & tres ducatos auſert 2. pecuniam ad aliquod monaſterium pertinentem abſtulit 3. certæ familiæ nobili mala varia imprecatus eſt. 4. eidem graviter detraxit dicendo, originem trahere

(a) *Vid. Num.* 6. 7. 8.

here ab adulteris. *Denique* coram pluribus de tribus inter ſe colloquentibus dixit: de uno ex his aliquid ſcio, quod ſi revelarem, valde confuſus abiret. *Q. Quot numero peccata commiſerit Cajus?*

℟. *Ad* 1. Si ſerio & efficaciter mutavit mentem, bis peccavit; eſt enim interruptio moralis: ſi hæſit tantum, vel conditionate timens aliquem ſuperveniſſe, manet unus moraliter actus. Auferendo tres ducatos unicum commiſit peccatum: quia moraliter unum objectum eſt. *Ad* 2. ℟. Unum numero peccatum commiſit; quia quoad temporalia dominium, quod eſt penes communitatem, habet ſe per modum unius, & eſt jus indiviſum. ℟. *Ad* 3. Si pravus affectus non in ſingulas perſonas, ſed in familiam qua talem ferebatur, fuit unum numero peccatum; ſicut & ſi mala illa in genere tantum apprehendit. ℟. *Ad* 4. Commiſit tot peccata, quot diſtinctas perſonas cognovit; quia infamia redundat in ſingulos, læditque diſtincta particularia jura. ℟. *Ad* 5. Imprimis ſunt tria peccata, quia fecit, ut omnes tres perderent famam apud audientes, donec ſciant, quis illorum ſit: item reſpectu ſingulorum tot ſunt detractiones, quot ſunt audientes; quia ſinguli habent jus diſtinctum apud unumquemque ad famam ſuam: ſunt enim famæ etiam moraliter diverſæ; quia fama eſt bona exiſtimatio, quam quis habet de aliquo, ſed hæc æſtimatioeſt diverſa, cum una non augeat aliam; attamen probabile eſt oppoſitum.

Caſus V. Titius 1. die Feſto manet domi tempore Miſſæ, temporis autem fallendi gratia vadit ad popinam vicinam, cum caupone, qui primam Miſſam audierat, ludit 2. alia vice vinum crematum bibens indormit, & Miſſam non audit 3. inimico ſuo porrexit venenum, ex quo non niſi poſt tres menſes moritur, interea Titius de peccatis dolens confitetur. Q.

Q. 1. *An Titius peccaverit ludendo?* 2. *an caupo colludendo?* 3. *an Titius in ſomno non audiendo Miſſam?* 4. *an & a quo potuerit abſolvi, & quid ei fuerit injungendum?*

℞. Si luſus mere concomitanter ſe habuit, non peccavit Titius ludendo, ideoque nec caupo colludendo, niſi ſpes fuerit ceſſante luſu, aut facta monitione mutandi propoſitum; ſi autem luſus tanquam cauſa & occaſio influxerit in omiſſionem, contrahit malitiam omiſſionis, ſed non diſtinctam (a). ℞. 2. Omiſſio Miſſæ imputatur, dum bibit prævidens periculum, non dum dormit, aut ebrius eſt; tunc enim non habet potentiam moralem aut libertatem (b). ℞. 3. Homicidium ordinarie eſt reſervatum Epiſcopo, per illud autem ſolet intelligi etiam actio occiſiva. ℞. 4. Tenebatur, ſi ſpes erat, omni poſſibili modo per medicinas contrarias expellere venenum, idque cum periculo propriæ vitæ; quia in pari cauſa melior eſt conditio innocentis.

Caſus VI. Cajus confitetur: 1. ter in ſomno procuravi pollutionem, & licet plene evigilans odiſſem, ſenſi tamen inde delectationem. 2. bis ſomno nondum plene excuſſo in ea pariter ſum delectatus. 3. ſemel dubito, an vigilans fuerim, an non. 4. ſemel die Jovis cænam parum protraxi poſt duodecimam, judicans parum pro nihilo reputari. *Q.* 1. *Quænam requirantur ad peccatum mortale?* 2. *quomodo hoc per accidens fiat veniale?* 3. *qualiter peccaverit Cajus?*

℞. *ad* 1. Requiruntur tria: 1. Ex parte intellectus plena & perfecta advertentia ad malitiam gravem vel ejus periculum proximum. 2. ex parte voluntatis plenus

(a) *Vid. N.* 10. & 11.
(b) *Vid. Num.* 12.

nus conſenſus: (a) 3. ex parte materiæ gravitas ſaltem ut plurimum ℟. ad 2. Poteſt tribus modis: 1. ex conſcientia invincibiliter erronea. 2. ex imperfectione actus, ſi vel adſit ſemiplena tantum advertentia, vel ſemiplenus conſenſus: vel 3. ex parte materiæ, ſi hæc omnibus conſideratis ſit levis, qualis eſſe non poteſt, ſi directe lædatur aliqua perfectio Dei, ſi bonum magnum indiviſibile, ſi cedat in grave generis humani præjudicium (b). ℟. *ad caſum.* Non peccavit in ſomno defectu libertatis; peccaſſet autem ante etiam peccato pollutionis, ſi immorando turpibus prævidiſſet periculum, eoquod per experientiam ſciret ſibi ſolere tunc illa accidere. Nec obeſt, quod voluptatem ſentiat; quia non ſenſus, ſed voluntarius & deliberatus conſenſus in voluptatem eſt peccatum. *In* 2. non peccavit graviter; non enim fuit plene ſui compos, ideoque plene deliberate conſentire non potuit. *In* 3. præſumat ſe non peccaſſe graviter; ſi enim adfuiſſet plena deliberatio, ſciret, an fuiſſet vigilans. *In* 4. peccavit graviter, licet per unum Ave Maria tantum protraxerit: quia hæc materia gravis conſiſtit quaſi in indiviſibili, in quibus non tenet hoc adagium.

Caſus VII. Titius 1. vovit abſtinere a luſu & vino, attamen hinc inde ludit & bibit. 2. ex aviditate in die jejunii parum carnis comedit. 3. ſemel ad Miſſam die Feſto ſero venit. 4. nuper volebat juniori Clerico egregiam dare alapam, ſed illo ſe inclinante tantum leviter tetigit. Q. 1. *in quibus detur parvitas materiæ?* 2. *Unde deſumatur hujus quantitas?* 3. *Qualiter peccaverit Titius?*

℟. 1. Datur in omnibus, quibus læditur bonum finitum diviſibile (c). ℟. 2. Quantitas cenſetur gravis,

(a) *Vid. Num.* 14. (b) *Vid. Num.* 16. & 17.
(c) *Vid. Num.* 18.

vis, ſi res ipſa ſecundum ſe vel in ordine ad totum ſit quid notabile, principaliter ſi multum obſit fini legis aut præcepti. ℞. 3. In 1. ex fine Titii voventis metienda eſt gravitas; ſi enim vovit, ne pecuniam perdat, non peccat graviter, etſi diu ludat, ſi notabilem ſummam non exponat; neque ſi pro alio ludat: ſecus ſi per alium ludat. Si vovit, ne tempus perdat, & ſua negligat, eſt veniale, ſi nonniſi per duas V. G. horas, & perinde eſt, ſive pro ſe, ſive pro alio ludat. Si vovit, ut vitet rixas, attendendum eſt periculum. Pariter ſi vovit abſtinere a vino, ne inebrietur, non peccat graviter, quamdiu certus eſt hic & nunc abeſſe periculum. Si vovit, ne ſua dilapidet, graviter peccat, ſi multum pecuniæ conſumat: non peccat, ſi gratis bibat. Si mortificationis cauſa, & bibendo quartam partem vini pro juſta refectione adhiberi ſoliti non excedat, veniale; mortale, ſi notabiliter excedat. In 2. ſi non exceſſit medietatem parvæ aviculæ, non peccat graviter; non enim multum obeſt fini legis, adeoque & datur parvitas materiæ. In 3. ſi venit poſt Evangelium, peccavit graviter; potuit tamen peccaſſe ratione periculi, etſi per accidens non multum ſero venerit. In 4. eſt grave ſacrilegium in affectu, ſed non incurrit cenſuram, quæ, uti & reſervatio, requirit actum etiam externum mortaliter malum.

Caſus VIII. Caja absque malo fine converſatur cum ſponſo, quia tamen inde patitur ſtimulos carnis, & ex diſcurſibus ac geſtibus ſponſi advertit ipſum venere inflammatum, hinc ex una parte timet grave peccatum, ex altera, ſi familiaritatem declinet, timet ſponſi valde divitis offenſam.

Q. 1. Quomodo peccatum de ſe veniale fiat mortale? 2. Quid Cajæ dicet Confeſſarius?

℞. 1. Potiſſimum ſequentibus modis: ex dictamine conſcientiæ erroneæ, ex fine adjuncto, vel effectu mor-

mortaliter malo, ratione nimii affectus vel finis ultimi, ratione ſcandali activi, ratione periculi proximi labendi in mortale: *denique* ratione contemptus formalis (a). ℟. 2. Non poteſt ſine gravi peccato continuare familiaritatem; exponet enim ſe proximo periculo non tantum cogitationum aut turpium motuum, quod ſecluſo periculo conſenſus ex rationabili cauſa licet, ſed & conſentiendi in delectationes venereas, aut ſaltem cooperabitur peccatis ſponſi, ideoque poſtponendum eſt bonum fortunæ. Ideo ſi Caja adduci non poſſit, ut converſationem deferat, inculcet, ut ſaltem ex periculo proximo faciat remotum, ut fugiat conventicula in locis tenebricoſis, ut non ſit ſola cum ſolo, ut ſæpius obfirmet animum contra omnem impudicitiam: & roget ſponſum, ut ab omni actu illicito abſtineat, ne matrimonium, prout in ſimilibus fieri ſolet, malum ſortiatur exitum, ut ſponſo ad mala allicienti fortiter reſiſtat, & ſi hæc ſe facturam ſerio promittat, poterit abſolvi, alias non.

Caſus IX. Cajus confitetur: ſæpius complacentiam habui in objecto malo, ſed ſtatim iterum rejeci. 2. videndo mulieres formoſas in his delectatus ſum. 3. audiens Gallos ab Auſtriacis graviter eſſe cæſos lætatus ſum. 4. tranſiens mulieres altercantes manſi, & ſtans riſi. *Denique* legi librum obſcænum ob ſtylum elegantem. Q. 1. *Quid ſit delectatio moroſa, & quale peccatum? 2. Quomodo in his peccaverit Cajus?*

℟. 1. Delectatio moroſa eſt *ſimplex complacentia in objecto cogitato, absque deſiderio illud exequendi:* eſt pro ratione objecti veniale vel mortale. ℟. 2. Peccatum mortale delectationis & deſiderii pravi in uno ictu oculi committi poteſt, ſi adſit plena adverten-

tia

(a) *Vid. Num.* 19.

tia & conſenſus; hinc non excuſatur in 1. per hoc, quod non diu inhæſerit, licet continuando gravius peccaſſet. *In* 2. viſus formoſæ mulieris de ſe malus non eſt, adeoque nec delectatio inde conſurgens; inquirendum igitur motivum aſpicientis, quod ſi eſt ad laudandum Deum in operibus ſuis, actus eſt meritorius: ſi ex levitate, curioſitate, licet ſequatur aliqua delectatio ex venuſtate, ut grata eſt viſui, eſt veniale tantum, modo inde turpem non admittat appetitum, quem reprimere tenetur; ſi ex motivo libidinis, peccatum eſt mortale (a). *In* 3. ſi de ſolo ſtratagemate & ingenioſo modo, nullum eſt peccatum per ſe: ſi de ſtrage Gallis illata, eſt peccatum mortale per gaudium inimici de malo, ut illi malum eſt: ſi de pace vel liberatione a malis inde orta, bonum eſt. *In* 4. ſi tantum de modo rixandi fuerit delectatus, per ſe non peccavit. *In* 5. ſi minore aviditate legat libros honeſtos & pios, in quibus ſtylus non eſt minus elegans, cenſetur de ipſa re delectari, adeoque peccavit graviter.

Caſus X. Famulus confitetur: ſæpe habui cogitationes malas: 2. ſæpe graves carnis tentationes, quibus negligenter reſtiti: 3. quandoque complacui mihi in copula, quam proxime matrimonium initurus habebo, & 4. ſæpe optavi, ut matrimonium acceleretur, ut copulam habere poſſim. *Q. Quid judicabit & faciet Confeſſarius?*

℞. Male confitetur; quid enim intelligit per cogitationes malas? Igitur interrogetur, quales fuerint? Si reſpondeat: turpes; rogetur, an cum voluntaria delectatione inhæſerit? ſi hoc: inquirenda eſt conditio perſonæ, ſi ſit ignota, an voto ligata? Imo probabilius etiam, an conjugata? (b) *Dein* objectum, an de forni-

(a) *Vid. Num.* 23. 24. & 25.
(b) *Vid. Num.* 26. & *ſeqq.*

fornicatione? An de ſodomia? *&c.* *Dein* an aliquid turpe fecerit vel facere deſideraverit? Quia ordinarie hoc deſiderium adeſt in iis, qui ſunt dediti ſimilibus delectationibus; inquirendæ ſunt objecti qualitates, an mulier conjugata? conſanguinea? &c. Si nullatenus cogitaverit de qualitate objecti, contraxit tantum malitiam fornicationis; ſi autem ſoleat quascunque obvias concupiſcere, eſt omnium reus; quia animus ad omnia paratus, & confuſe ſaltem advertit; hinc de hoc ſe accuſare debet. *In* 2. Si non conſenſit, quod tantum negligenter reſtiterit, peccavit venialiter; tenebatur autem elicere actum ſaltem ſimplicis diſplicentiæ; alias ſe exponit periculo conſenſus. *In* 3. Si complacentia non fuerit in ſola voluntate, ſed ſimul in appetitu ſenſitivo, ut eſſe ſolet, hoc eſt: ſi delectatur de copula ut futura quidem, attamen per imaginationem ſibi præſente, peccavit graviter; quia adhuc eſt ipſi illicita, & talis complacentia per ſe eſt cauſa commotionis venereæ, & initium pollutionis. *In* 4. Si ſine actuali affectu ad copulam matrimonium deſideravit accelerari, ut per copulam liberaretur V. G. a gravibus tentationibus, imo & ut poſſit uti voluptatibus tunc licitis, per ſe non peccavit; nil enim mali appetiit. Sed hoc valde periculoſum in praxi.

Caſus XI. Titius confitetur: 1. fui ſuperbus, arrogans, ambitioſus: ſum gloriatus, quod alios in potando ſuperaverim. 2. Ex magna paſſione, quam habeo ad pecuniam, ſemper plura deſidero, ſine injuſtitia tamen; erga pauperes ſum durus & eleemoſynas non do, cogitans proles adhuc eſſe innuptas. Q. 1. *Quid ſit ſuperbia & avaritia?* 2. *qualiter in his peccaverit Titius?*

℞. 1. Superbia eſt *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ* (a) in hominibus minoris conditionis raro pec-

(a) *Vid. Num.* 31. *& ſeq.*

peccatum mortale; hinc non eſt, cur deſuper examinentur. Avaritia eſt *inordinatus appetitus bonorum temporalium*, de ſe veniale, per accidens ſæpe mortale. ℟. 2. Titius interrogandus eſt: quale officium ambierit? Si fuit illo dignus; non peccavit, potuitque mediis licitis procurare: ſi notabiliter indignus cum gravi alterius injuria vel damno, peccavit graviter; honor ſi moderate appetatur ex re non prohibita, non eſt peccatum. *In* 2. Si tantum gloriatus fuerit de ſuis viribus vel dexteritate, per ſe peccavit tantum venialiter; interim provocando ad potum potuit peccare graviter. Quantum ad duritiem in pauperes, interroget: an duris, an contumelioſis verbis compellarit? An eleemoſynam negaverit, ubi ex charitate ad eam tenebatur? An ab iis debita nimis rigide exegerit? An mercedem operariis debite ſolverit? Providendum eſt prolibus, ſed ſervata non tantum juſtitia, ſed & charitate proximi. *Cæterum* accumulare divitias ad collocandos filios in matrimonium, vel ſe efferendum in altiorem ſtatum, prudentiæ eſt, modo nec lædatur juſtitia, nec charitas.

Caſus XII. Cajus conjugatus victus amore laſcivo in cognatam ſuam voto caſtitatis obſtrictam, eam violenter in locum diſſitum abduxit, ubi prius inebriatam cognovit, ſed imperfecte, ne imprægnaretur: 2. ancillam metu ad copulam induxit, dumque intelligit concepiſſe, ſibi timens, ſuadet, ut famulo, & ſi res cum ipſo non ſuccederet, filio ſuo occaſionem copulæ præbeat, ac dein patrem prolis dicat, quod & feliciter factum, Cajo multum deſuper lætante.

Q. Qualiter peccaverit Cajus?

℟. Interrogandus eſt Cajus, a quo tempore amorem laſcivum foverit in cognatam; ſolent enim ſimiles diu

diu fovere hæc deſideria, antequam ad actum perveniant, & ſic intercurrit interruptio moralis. Cajus contraxit malitiam adulterii (quia conjugatus) inceſtus (quia in conſanguineam) ſacrilegii (quia voto ligatam) raptus (quia cauſa libidinis abduxit, etſi effectus non eſſet ſecutus) ſtupri (ſi ſine prævio ebriæ conſenſu) ſcandali & ebrietatis, ad quam induxit, & mollitiei completæ; quia ſemen extra effudit & quidem ex intentione graviter mala poſitive impediendi generationem (a). *In* 2. Iterum ſtuprum, quia metu, & ſpecialiter contra juſtitiam, quia ex officio tenetur ſuorum peccata impedire; unde iterum graviſſime peccavit contra juſtitiam, charitatem, caſtitatem, pietatem ſua ſuaſione. Gravis ſit injuria famulo, dum falſo nominatur Pater, & quæ ideo exponit, ſunt ipſi compenſanda a Cajo. Graviſſime peccat de iſtis lætando, & quamdiu ſincere non dolet, abſolvi non poteſt.

Caſus XIII. Titius confitetur: 1. decies pollutionem habui. 2. ſemel ad alium dormientem, ſemel fricando canem, ſemel copulam tentavi cum ſtatua fæminæ. 3. inter laborandum fere ſemper cum aliis turpia locutus ſum. *Q. qualiter peccaverit, & quomodo examinandus ſit?*

℞. Cognita qualitate perſonæ quantum ad 1. interroget Confeſſarius: an fuerit directe intenta? Et toties peccavit graviter; an indirecte tantum? Et tunc: quam cauſam dederit? An per ſe efficacem, ut ſunt tactus, aſpectus, verba turpia, & quidem ſine honeſto fine? An tantum remotam? An cum vel ſine periculo conſenſus? An ex poſt delectatus? (b) 2. Pollutiones ſecundum ſe ſunt ejusdem ſpeciei: attamen ex objecto cogitato ſæpe accedit alia ſpecies fornicationis, adulterii, ſacrilegii, ſodomiæ, prout eſt perſona, ad quam

(a) *Vid. Num.* 39. *& ſeqq.*
(b) *Vid. Num.* 47. *& ſeqq.*

quam eſt affectus, vel deſiderium, de quo eſt interrogandus. 3. Dum ad dormientem, debet exprimere hujus qualitatem; quia tactus illi ex ſe ordinantur ad diverſas copulas. 4. Dum ad ſtatuam, eſt mera pollutio per inſtrumentum inanimatum, exprimendus tamen affectus ad fæminam & qualem. Si adfuit affectus ad canem, fuit beſtialitas. *Denique:* quo animo verbis illis uſus ſit? An fuerint tantum ſcurrilia? An obſcæna? An tantum ad inanem conſolationem non veneream? Et ſic per ſe eſt tantum veniale; an cum præviſo ſcandalo? Quot? & qualium perſonarum &c.; An audiendo complacentiam veneream habuerit? An & cur ſubriſerit? &c.

Caſus XIV. Cajus mercator tabernam erexit vicinam Titio easdem merces vendenti, cumque Cajus ſua affabilitate tranſeuntes ad ſuam tabernam alliciat, qui alias Titium accedebant, Titius hoc illi lucrum invidet, optatque, ut dæmon illum dudum abripuiſſet, idque toties, quoties videt aliquem emptorem ingredi tabernam. Q. 1. *Quid ſit invidia?* 2. *An & quomodo in his peccet Titius?*

℞. Ad 1. Invidia eſt triſtitia de bono proximi, prout apprehenditur eſſe diminutivum propriæ excellentiæ. (a) Ad 2. peccat 1. graviter contra charitatem, quoties deliberate grave malum imprecatur. 2. graviter peccato invidiæ; quia imprecationes hæ graves & repetitæ ſatis indicant invidiæ paſſionem, imo & odium grave. Quodſi tantum doleret, ſe lucro alias juſte acquiſito jam carere, poſſet ratione invidiæ a mortali excuſari.

Caſus XV. Titius confitetur, quod, cum ipſe ſit pauper & minus doctus, ſæpe invideat aliis cum magna triſtitia, eoquod apud homines mino-

(a) *Vid. Num.* 52.

minorem habeat famam, quam illi. *Qualiter peccat?*

℟. Si triſtetur de bono aliorum, non quod ipſi illud habeant, aut quod illud ipſis invideat, ſed quia ipſe illo caret, eſt æmulatio quædam; & ſi ea deſideret ad bonum finem, non peccat: ſi autem doleat de bono aliorum, in quantum hi illum ſuperant bonis illis, eſt invidia, & affectio mala. Qui de invidia ſe accuſant, ſi alias bonæ ſint conſcientiæ, non debent facile damnari peccati mortalis; quia triſtantur tantum, quod ipſi non habeant, quæ triſtitia communiter eſt peccatum veniale; & ſi verſetur circa bonum honeſtum, eſt laudabilis, juxta illud Apoſtoli: *Æmulamini Charismata meliora.* Similis æmulatio prudenter ſæpe excitatur inter pueros; conducit enim ad eorum in ſtudiis & virtutibus profectum.

Caſus XVI. Titius confitetur: 1. quaſi indies bibo crapulam, vulgo, einen Rauſch: 2. hoſpites invitatos per me & alios ſubordinatos ad bibendum animo: unde aliqui plene, aliqui ſemiplene inebriantur, cogitans illos debere ſcire, quantum portare poſſint; eſt autem inter illos unus ſeniculus, qui ex modica ſumptione inebriatur. Cajus timoratior certum dominum quandoque invitat ad prandium, bibunt hilariter, advertit autem alterum proxime inebriandum, cuperet, ut abiret, ſed non audet hoc dicere: angitur igitur, quid ſit agendum? Q. 1. *Quid ſit ebrietas?* 2. *Quale peccatum?* 3. *Qualiter peccet Titius?* 4. *Quid poſſit, aut non poſſit facere Cajus?*

℟. 1. Ebrietas eſt *voluntarius exceſſus in potu inebriante usque ad defectum uſus rationis.* ℟. 2. Si ſit perfecta usque ad omnimodam vel gravem perturbationem uſus rationis, eſt peccatum mortale; graviter enim repugnat rectæ rationi, quod homo ſciens &

volens ſe privet uſu rationis, & poteſtate propinqua ad illum (a). Hinc ℞. 3. in 1. bibendo crapulam per ſe peccavit venialiter; graviter vero, dum plene ebrius fuit, modo adverterit, vel potuerit advertere periculum, quod poteſt, & debet advertere, qui ſæpe ebrius fuit. Unde in 2. ſi Titius aliique ſubordinati adverterent ex propinatione ulterius continuanda alios plene inebriandos eſſe, nec tamen abſtinuerint ab ulteriori propinatione, ſeu etiam provocatione ad bibendum, peccarunt mortaliter nedum peccato intemperantiæ, ſed inſuper peccato ſcandali; ſecus ſi non adverterint, niſi crapulam ſeu ebrietatem imperfectam. Idem eſt in 3. quia malitia ebrietatis non conſiſtit in quantitate hauſtus, ſed in privatione uſus rationis. ℞. 4. Cajus tenetur ſub mortali abſtinere ab ulteriori provocatione, imo & propinatione; provocaret enim ad id, quod ſine peccato mortali ab eo fieri non poteſt. Interim ex rationabili cauſa V. G. timore gravis inimicitiæ, rixarum &c. licebit apponere vinum.

(a) *Matth.* 16. *v.* 19.

DISSERTATIO V.

DE

CENSURIS, IRREGULARITATE ET SEPULTURA ECCLESIASTICA.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid, & quotuplex ſit Cenſura, & quænam ab illa excuſent?*

D. 1. Cenſura eſt *pœna ſpiritualis medicinalis, qua homini viatori baptizato delinquenti & contumaci per Eccleſiaſticam poteſtatem aufertur uſus quorundam bonorum ſpiritualium. dr. pœna ſpiritualis;* per quod convenit cum depoſitione, degradatione &c. *dr. medicinalis*, quia per eam non tam intenditur vindicta peccati, quam emendatio delinquentis; unde hac obtenta ordinarie debet tolli. *dr. homini viatori;* quia hic ſolus jurisdictioni Eccleſiæ ſubeſt: dicitur enim (a): *quodcunque ligaveris ſuper terram.* Hinc dum mortuus excommunicatur, tantum declaratur excommunicatus, & directe præcipitur vivis, ne pro eo orent, aut eum in loco ſacro ſepeliant. Sic & mortuus quandoque abſolvitur a cenſuris, quatenus permittitur, ut alii eum in loco ſacro ſepeliant, & pro eo orent. *dr. baptizato*; quia ſoli baptizati ſunt ſubjecti Eccleſiæ. *dr. delinquenti;* quia, cum ſit pœna, ſupponit culpam, & cum ſit pœna gravis, ſupponit peccatum mortale, non tamen ſemper proprium; quia ob delictum Prælati, vel communitatis per accidens ſuſpenſione & interdicto ligantur etiam innocentes. Inſuper cum ſit pœna fori externi, peccatum debet eſſe

(a) *Matth.* 16. *v.* 19.

eſſe externum, licet occultum. Excipitur excommunicatio minor, quæ, cum ſit pœna levis, eoquod a quolibet Confeſſario poſſit tolli, incurritur ob culpam venialem. *Denique* peccatum illud debet eſſe in ſua ſpecie completum; leges enim pœnales ſunt ſtricte interpretandæ & cum effectu (a). *dr. contumaci*, qualis eſt, qui ſciens præceptum Eccleſiæ annexam habere cenſuram, nihilominus illud violat. *dr. per poteſtatem Eccleſiaſticam;* CHRISTUS eam dedit dicens (b): *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo:* ubi conceditur poteſtas neceſſaria ad rectum regimen Eccleſiæ, ad quod pertinet poteſtas rebelles coercendi, eosque privandi bonis communibus. Hinc dicitur Matth. 18.: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, hoc eſt: ſeparetur ut indignus Eccleſiaſtica communione ejusque fructu. *dr. quorundam bonorum*, intellige communium V. G. publicorum Eccleſiæ ſuffragiorum, Sacrificiorum, Sacramentorum & aliorum, quæ ſubjacent diſpoſitioni Eccleſiæ: bona enim interna: ut gratia, virtutes &c. per Eccleſiam eripi nequeunt. *dr. ſpiritualium;* quia uſu bonorum temporalium nonniſi ſecundario privat.

(2) *Reſ.* 1. Ceſſatio a divinis, quæ eſt prohibitio Eccleſiæ celebrandi divina officia, & miniſtrandi Sacramenta in aliquo loco, non eſt cenſura; quia non imponitur per modum pœnæ, ſed luctus ob injuriam Deo vel Eccleſiæ illatam. Qui eam violat, peccat graviter, ſed non incurrit irregularitatem: ſicut incurrit violans interdictum.

Reſ. 2. Irregularitas, etiam quæ eſt ex delicto, non eſt cenſura; quia non eſt tam pœna, quam inhabilitas principaliter in punitionem: eſt de ſe perpetua, non tollitur per abſolutionem, ſicut cenſura, ſed per

(a) *Part.* 3. *Tract.* 2. *de pœnit. Num.* 129.
(b) *Matth.* 18. *v.* 18.

per diſpenſationem: eam violans non incurrit novam irregularitatem. Hinc dum in Jubilæo datur facultas abſolvendi a cenſuris, non datur diſpenſandi in irregularitate, ut declararunt *Paulus V.* & *Urbanus VIII.*

Reſ. 3. Depoſitio, degradatio non ſunt cenſuræ; quia de ſe perpetuæ ſunt, & principaliter in vindictam tendunt.

(3) *Reſ.* 4. Pueri ante ſeptennium, licet uſum rationis habeant, non incurrunt cenſuram; non enim tenentur legibus humanis. Impuberes incurrunt excommunicationem latam in ingredientes monaſteria Monalium; Trid. enim ait: *Cujuscunque ætatis ſint* (a). Pariter incurrunt latam in percuſſores Clerici (b). Alias probabiliter non incurrunt.

Reſ. 5. Epiſcopus non poteſt cenſuram ferre in Religioſos exemptos; deficit enim jurisdictio: niſi in caſibus, quibus etiam exempti Epiſcopo ſubſunt. (c)

Reſ. 6. Si Epiſcopus ferat cenſuram generalem V. G. Siquis tale crimen admiſerit, ſit excommunicatus, eam non incurrit peregrinus; cum non ligetur legibus ſpecialibus locorum: poſtquam tamen tale crimen contra naturæ aut Dei legem admiſit, ſi adhuc in Diœceſi ſit, poteſt citari, &, ſi contumax ſit, excommunicari: quia ratione delicti ſortitus eſt forum, & factus eſt ſubditus, Diœceſanus autem, qui tale crimen admiſit, licet mutet domicilium, quoad hanc cauſam Epiſcopo ſubjectus manet, per ſententiam enim ab ipſo latam præventus eſt, & manet ſubditus ratione delicti (d).

(4) *Reſ.* 7. Cenſura lata contra facientes non includit mandantes, conſulentes &c.; odia enim ſunt

 ſtricte

(a) *Vid. ſup. de Legibus Num.* 11.

(b) *ex cap.* 60. *Pueris de ſent. excommunicat.*

(c) *Vid. part.* 2. *de ſtatu Religioſo Num.* 21.

(d) *cap. Propoſuiſti extra de foro compet.*

ſtricte interpretanda. *Excipe*, niſi utrumque prohibeatur ſub cenſura; ſic ſub excommunicatione prohibetur percutere Clericos, & hoc mandare, conſulere &c.

Reſ. 8. Si lex directe prohibeat mandatum vel conſilium ſub cenſura, hæc incurritur, etſi mandatum, vel conſilium revocetur ante executionem actus: ſi autem directe & principaliter prohibeat actum, & acceſſorie mandanti vel conſulenti imponatur cenſura, mandato ante executionem actus revocato, mandans eam non incurrit: de conſulente videndum eſt, an adhuc in actum influxerit (a).

Reſ. 9. Cenſuratus ubique privatur uſu ſpiritualium; ſic ſuſpenſus a Miſſa non poteſt eam legere in alia Diœceſi: excommunicatum in una Diœceſi tenemur vi juris communis ubique vitare; ſecum enim excommunicationem defert, ut leproſus lepram.

(5) *D.* 2. Tres ſunt Species cenſuræ: *Excommunicatio*, *Suſpenſio*, & *Interdictum*; quæ licet ſæpe iisdem bonis privent, diſtinguuntur tamen juxta diverſum privandi modum: *de his infra*. *Accidentaliter* alia eſt cenſura *a Jure*, alia *ab Homine*. *A Jure* eſt, quæ per legem fertur contra peccata futura, & durat, quousque durat Lex. *Ab homine* eſt, quæ per ſententiam Superioris fertur; hæc ceſſat per mortem, aut amotionem illius, qui illam tulit quoad vim obligandi impoſterum. Si autem jam ſit contracta, manet poſt ejus mortem; nemo enim jure communi liberatur a cenſura, quam ſemel incurrit, niſi per abſolutionem; hinc nec tollitur per mortem cenſurati; quia (b) mortui indigent abſolutione. Neque tollitur per datam ſatisfactionem parti læſæ, aut emendationem delinquentis; patet ex prop. 44. damn. ab *Alex. VII.* *Quoad forum conſcientiæ reo correcto, ejusque contumacia ceſſante*

(a) *Vid. de Reſtit. in comm. Num.* 61.
(b) *ex cap. Sacris. de ſent. excom.*

ſante ceſſant cenſuræ. Tandem cenſura alia eſt *Latæ ſententiæ*, quæ per ipſam legem vel ſententiam infligitur, & ipſo facto ſine nova ſententia incurritur. Alia *Ferendæ ſententiæ*, quam Jus vel Judex minatur ſe inflicturum, vel jubet infligi; unde, ut incurratur, requiritur ſententia Judicis condemnatoria, & non mera declaratio (a).

(6) *D.* 3. A cenſura incurrenda excuſant. 1. *Ignorantia invincibilis*, imo & probabiliter *vincibilis*, modo non ſit craſſa vel ſupina legis Eccleſiaſticæ, etiam ſtante cognitione legis naturalis aut divinæ, ſive ignorantia ſit juris, ſive facti, ſive ſolius pœnæ. V. G. noſti percuſſionem Clerici eſſe peccatum, ſed non ſcis eſſe ab Eccleſia ſub cenſura prohibitam; quia cenſura requirit contumaciam, quæ eſt quaſi contemptus legis Eccleſiaſticæ ſub pœna prohibentis, non datur autem contemptus, ſi aliqua diligentia, licet non ſufficiens adhibeatur; adeoque pœna ſciri debet, alias retrahere non poteſt. *Dixi: modo non ſit craſſa;* Bonifacius enim VIII. (b) ait: *ligari cenſuris nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina.* Si addatur in lege: *qui ſcienter, conſulto, auſu temerario* &c. etiam excuſat hæc ignorantia; quia non dicitur temerarie præſumpſiſſe, niſi adſit ſcientia, aut ignorantia ſit affectata, quæ in jure æquiparatur dolo & ſcientiæ. Hinc ſimplices ſæpiſſime non incurrunt excommunicationem; quia vix de alia ſciunt, quam lata in percuſſores Clericorum; quæ vix alicui eſt ignota. 2. *Metus gravis injuſte incuſſus*, etſi a peccato forte non excuſet, eoquod concurrat lex naturalis; quia contumax non eſt, qui aliquid invite facit, modo abſit contemptus legis & poteſtatis, Religionis ac fidei & grave ſcandalum, pro quibus vitandis homo potius mor-

(a) *Vid. de Legibus Num.* 37. *& ſeq.*
(b) *Cap. ut animarum de Conſtit. in* 6.

mortem ſubire tenetur. 3. *Impotentia moralis* faciendi id, quod ſub cenſura præcipitur; hæc enim a lege humana excuſat. 4. *Appellatio legitima*, ſi hæc interponatur, antequam abſolute feratur ſententia cenſuræ (a). Per appellationem autem ſubſequentem cenſuræ non ſuſpenduntur, & ſententia cenſuræ habet interim ſuam vim, donec a Judice appellato aliud decidatur (b). 5. *Innocentia cenſurati:* ad vitandum tamen ſcandalum, debet ſe ut talem habere coram iis, qui cenſuram ſciunt, & ignorant innocentiam. Hinc, ſi tunc in cenſura actum Ordinis exerceat, peccat peccato ſcandali reſiſtendo poteſtati publicæ: non tamen contrahit pœnas contra violantes cenſuram.

Q. Quot modis Cenſura poſſit eſſe injuſta?

℞. Tribus potiſſimum modis: 1. Si non adſit peccatum mortale externum. 2. Si ſubſtantialis ordo judicii non ſit ſervatus: V. G. reus non eſt citatus, monitus, convictus. 3. Si eam judex tulit ex odio, vindicta vel alio pravo motivo. Ex quibus ſequentes caſus reſolvuntur.

Titius ob furtum notabile, quod commiſit, excommunicatus eſt, ſed cenſuram hanc ex odio tulit ejus Superior. Q. *An revera ſit excommunicatus?*

℞. *Affirmat.* modo alia adſint, quamvis judex graviter peccaverit; hoc enim valori non obeſt. Si ſupra recenſita defuiſſent, non eſſet vere excommunicatus, poſſetque occulte celebrare, ſed in foro externo deberet abſtinere, donec nota eſſet invaliditas ob reverentiam authoritati Eccleſiæ debitam, & ad vitandum ſcandalum.

Cajus ex ſententia juridica fuit excommunicatus, verum a multis etiam peritis invalida reputata eſt lata in eum ſententia: Q. *Quid agendum?*

℞. Ex

(a) *ex cap. 16. de appell.*
(b) *per Cap. 37. eodem.*

℟. Ex *D. Thoma Quodl.* 4. *a.* 14. *in O.* Standum eſſe ſententiæ judicis, & habendum ut excommunicatum, quidquid in contrarium privati ſentiant; tum quia ſupponitur negotium eſſe plenius diſcuſſum a judicibus Eccleſiaſticis, quamvis minus peritis; tum quia eſſet in magnum nocumentum utilitatis communis.

QUÆSTIO II.

(7) *Quis poſſit cenſuram ferre, & quis abſolvere?*

D. 1. Omnis & ſolus Superior habens jurisdictionem ſpiritualem in foro externo contentioſo poteſt jure ordinario ferre cenſuras; omni enim & ſoli tali competit poteſtas coercendi in foro externo ſubditos pœnis ſpiritualibus. Hinc cenſuras ferre poteſt Papa in omnes baptizatos; Epiſcopus in ſubditos ſuos; item Superior Religioſus in Religioſos ſibi ſubjectos: non poteſt Parochus, qui nec poteſt aliquem declarare excommunicatum propter percuſſionem V. G. Clerici; licet lata ſententia excommunicationis poſſit excommunicatum prohibere ab ingreſſu Eccleſiæ. Nec poteſt Abbatiſſa; quia non habet jurisdictionem ſpiritualem, ſed œconomicam tantum. Poteſt tamen Clericis ſibi ſubjectis & inobedientibus exercitium ſui officii interdicere per modum præcepti. Poteſtas ferendi cenſuram non poteſt delegari laico, nec fæminæ; quia hujus ſunt incapaces ſaltem jure humano.

(8) *D.* 2. Cenſura non poteſt ferri ſine prævia monitione; quia ſine hac non poteſt dici contumax. Lex aut præceptum præcipiens aut prohibens aliquid ſub cenſura non requirit aliam monitionem; ipſa enim lex monet, ut contumax cenſeatur, qui obedire recuſat. Si feratur ab homine per ſententiam particularem, eſt invalida, ſi non præceſſerit monitio Canoni-

ca,

ca, ſeu juxta ſacros Canones inſtituta, quæ authoritate Judicis fit ipſi reo coram teſtibus in ſcriptis, ut a culpa reſipiſcat. Hæc debet eſſe ſaltem virtualiter trina, hoc eſt: una pro tribus, ſi gravis mali immineat periculum dato pro ſingulis ſufficienti temporis ſpatio ad deliberandum: *De quibus Canoniſtæ.*

(9) *D.* 3. A Cenſura a jure vel ab homine generaliter lata, ſi non ſit reſervata, abſolvit omnis Confeſſarius; hoc enim concedit Superior, dum eam ſibi non reſervat, modo ad forum contentioſum non ſit deducta. Si ab homine lata per ſententiam particularem, aut a jure lata ſit reſervata, abſolvit tantum ille, qui eam tulit, ejus ſucceſſor, in ordinaria jurisdictione Superior, vel ab his ad hoc delegatus; unde niſi ſpecialiter exprimatur, non comprehenditur ſub generali conceſſione abſolvendi a cenſuris. In articulo mortis, vel morali ejus periculo ab omnibus directe abſolvit omnis Sacerdos, ſicut &, dum impedimentum eſt perpetuum accedendi aliquem habentem poteſtatem ordinariam vel delegatam (a). Si impedimentum ſit temporale, & ſimul adſit neceſſitas confitendi, a cenſuris reſervatis indirecte abſolvit communis Confeſſarius; ſic enim præſumitur de benignitate Eccleſiæ.

Reſ. 1. Diœceſanus ab Epiſcopo ſuo per ſpecialem ſententiam excommunicatus vel ſuſpenſus abſolvi non poteſt ab Epiſcopo alterius Diœceſis, ad quam migrat, ut ibi commoretur. Imo ſi fuerit ſpecialiter excommunicatus in altera Diœceſi ob crimen ibi commiſſum, non poteſt a proprio ſuo Epiſcopo abſolvi, dum in ſuam Diœceſin revertitur.

Reſ. 2. Archi-Epiſcopus non poteſt abſolvere a cenſura lata ab Epiſcopo ſibi ſubjecto hujus ſubditos; quia hi non ſunt ſubjecti Archi-Epiſcopo extra caſum viſitationis vel appellationis.

Reſ.

(a) *Vid. part. 3. de pœnit. Num.* 136. *& ſeq.*

Reſ. 3. A cenſuris abſolvi poteſt abſens, imo invitus; ſicut enim talis cenſurari poteſt, ita & abſolvi.

Reſ. 4. Poteſt quis abſolvi ab una excommunicatione, & non ab altera; non enim habent connexionem in aliquo: ſicut peccata, quæ tolluntur per gratiam cum quovis mortali incompoſſibilem.

Reſ. 5. Non requiritur ſtatus gratiæ: non enim conficitur Sacramentum, ſufficitque communis abſolutio: *Abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis &c.*

Reſ. 6. Irretitus cenſura tenetur quamprimum abſolutionem petere, alias peccat graviter; niſi ob parvitatem materiæ, vel ex alio capite excuſetur.

QUÆSTIO III.

(10) *Quid, & quotuplex ſit Excommunicatio, & quinam effectus?*

D. 1. *Excommunicatio eſt cenſura privans Fidelium Communione qua tali.* Eſt autem triplex hæc communio. 1. *pure interna* conſiſtens in fide & charitate, per quam fideles inter ſe & cum Chriſto myſtice copulantur: hac privare non poteſt Eccleſia, & nemo invitus privari. 2. *pure externa* conſiſtens in convictu politico, ut in colloquiis, commerciis, aliisque actionibus ad humanam ſocietatem pertinentibus. 3. *mixta*, quæ conſiſtit in actibus exterioribus interiorem & ſpiritualem fructum ex propria inſtitutione habentibus; ut ſunt uſus activus & paſſivus Sacramentorum, ſuffragia publica Eccleſiæ, indulgentiæ &c.

(11) *D.* 2. Excommunicatio eſt duplex. *Major*, & *minor*. *Major* (quæ ſimpliciter dicitur excommunicatio, dum ſine addito ponitur excommunicatio, vocaturque *anathema*) privat omni Communione fidelium.

lium. *Minor* privat 1. uſu paſſivo Sacramentorum, ita ut peccet mortaliter, qui cum illa extra neceſſitatem Sacramentum recipit; eſt enim materia gravis: nullam tamen ideo irregularitatem contrahit, aut aliam pœnam; nihil enim in jure exprimitur. Sacramenta pure adminiſtrare in ea per ſe non eſt prohibitum: attamen videtur veniale; quia indecens eſt eum miniſtrare Sacramentum, cui prohibitum eſt ſuſcipere. 2. Privat electione paſſiva, non autem activa ad beneficia; ita ut ligatus excommunicatione hac non poſſit ſcienter ad beneficium Eccleſiaſticum etiam ſimplex eligi; aut præſentari: eſtque electio illa, præſentatio, aut collatio irritanda, non irrita (a). Cumque materia ſit gravis, eſt mortale talem præſentare, eligere, aut eidem conferre, ac etiam ex parte ipſius, qui ad tale beneficium eligitur, ſi illud in tali excommunicatione acceptet. Incurritur autem excommunicatio minor per ſolam communicationem prohibitam cum excommunicato vitando. *Pro quo*

(12) *D.*3. Poſt conſtitutionem *ad evitanda;* quam approbavit *Martinus V.* ſolum ſunt vitandi 1. qui per ſententiam Judicis nominatim ſunt excommunicati, ac ſpecialiter & publice denunciati tanquam excommunicati. 2. Percuſſor Clerici adeo notorius, ut non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec excuſari probabiliter a culpa gravi: cum autem raro id accidat, ideo raro tenemur vitare percuſſores Clericorum, antequam denuntientur; facile enim quis dicet ſe ex ſubito motu, ſine plena deliberatione feciſſe, vel ad defenſionem, vel non cogitaſſe de Clericatu: nec vitandus eſt ab iis, coram quibus percuſſio facta eſt, quamdiu non eſt publica.

Obſ. In iſta Bulla, ut expreſſa clauſula indicat, nullus favor per ſe & directe conceditur excommunicatis

(a) *Ex cap. ſi celebrat de Clerico excomm.*

catis toleratis; ſed tantum aliis fidelibus, ut poſſint cum illis communicatre. Unde tenentur ſe non ingerere Communioni cum fidelibus in iis, in quibus Communio de jure prohibetur; ſed tantum hæc ipſis licita ſit indirecte, ſi fideles cum ipſis communicare velint.

(13) *D.* 4. Novem ſunt effectus excommunicationis majoris. 1. Privat *communibus Eccleſiæ ſuffragiis*, id eſt, quæ publice & nomine Eccleſiæ offeruntur, licet ſupponatur Deo per contritionem reconciliatus. *dr. communibus;* quia non privat ſuffragiis fidelium privatis; cum hæc ſint bona non Eccleſiæ, ſed fidelibus propria: ideoque privatim pro illis orare, etiam in Sacrificio Miſſæ ſub *Memento*, non eſt prohibitum (a). 2. Privat *Sacramentorum adminiſtratione, & receptione.* Pœnitentiæ Sacramentum extra caſum neceſſitatis defectu jurisdictionis invalide adminiſtrat excommunicatus vitandus: alia Sacramenta valide; ſed illicite, excepto baptiſmo non ſolemni in caſu neceſſitatis, ſi alius deſit; quia eorum valorem non poteſt impedire Eccleſia. Peccat mortaliter toleratus, ſi ultro ſe ingerat adminiſtrationi, non, ſi requiſitus faciat: tunc enim adminiſtrat licite. Similiter peccat mortaliter etiam toleratus extra caſum neceſſitatis Sacramentum aliquod recipiens; agit enim in re graviſſima contra præceptum Eccleſiæ. Suſcepta valet etiam pœnitentia, ſi bona fide procedat, vel neceſſitate compellatur; alias eſt invalidum defectu doloris.

Reſ. Quando Cajus peccatum mortale, propter quod excommunicationem Papæ reſervatam incurrit, inculpabiliter omittit ex oblivione, dum ab aliis peccatis abſolutus eſt, fuit adhuc indirecte abſolutus a peccato reſervato; ſic enim præſumitur de benignitate Eccle-

(b) *Vid. Part.* 3. *Tractat.* 1. *de Euchariſtia Num.* 79.

Eccleſiæ: ne alias per totam vitam careret fructu Sacramenti, qui inculpabiliter ſuæ excommunicationis oblitus eſt. 3. Privat *facultate audiendi Miſſam, & aſſiſtendi publicis officiis;* ita ut excommunicatus etiam toleratus nequeat Miſſæ, aut horis canonicis publice recitari ſolitis, proceſſioni, vel benedictioni publicæ intereſſe. Si non toleratus velit his aſſiſtere, Clerici debent eas omittere, ſi inchoatæ non ſint, & alibi recitare ſine cantu: ſi inchoatæ ſint, monendus eſt, ut exeat; ſi nolit, vi expellendus eſt, etiam Clericus: ſi expelli non poſſit, inchoatæ relinqui debent, & alibi finiri. Miſſa ante Canonem eſt relinquenda, Canone incepto finienda cum uno Miniſtro aliis recedentibus, usque poſt ſumptionem, tunc Sacerdos recedere, reliqua in Sacriſtia vel alio loco abſolvere debet. Si tantum per Eccleſiam tranſeat, aut breviter oret, nil eſt abrumpendum, nec alii debent exire. Concioni intereſſe poteſt. Horas, ſi obligetur, tenetur excommunicatus recitare privatim, licet fructus non percipiat; quia poteſt reſipiſcere: peccat venialiter, ſi in recitatione dicat: *Dominus vobiscum*, cujus loco diceret: *Domine exaudi orationem meam.* Si excommunicatus vel interdictus monitus pertinaciter in Eccleſia maneat, ipſo facto incurrit excommunicationem Papæ reſervatam; quam & incurrunt ejus in hac pertinacia fautores. Eandem Papæ reſervationem incurrit Clericus, qui ſcienter & ſponte illum admittit ad officia divina; pariter qui ſepelit in loco ſacro. 4. *Eſt inhabilis ad dignitates & beneficia Eccleſiaſtica acquirenda;* itaque electio, præſentatio &c. in favorem excommunicati ſunt nulla. *Excipe:* niſi beneficium obtinuerit per proviſionem Apoſtolicam, cui ſolet inſeri abſolutio a cenſura quoad effectum conſequendi beneficium. Non prodeſt ignorantia invincibilis, quæ a peccato excuſat, ſed inhabilitatem non tollit. Non privatur bene-

ficio

ficio ante excommunicationem obtento: ſi tamen per annum in excommunicatione inſordeſcat, ac negligat procurare abſolutionem, eo poteſt privari; imo ex Trid. contra eum tanquam de hæreſi ſuſpectum procedi poteſt. Probabilius nec privatur fructibus beneficialibus ante ſententiam Judicis; quia hæc pœna non ſatis probatur. 5. Privat excommunicatio *uſu & exercitio omnis jurisdictionis ſpiritualis*; ita ut actus jurisdictionis a non tolerato exerciti ſint invalidi, a tolerato ſint validi: niſi contra eum excipiatur a litigante, ſunt enim tunc invalidi; quia Concilium Conſtantienſe non ipſis, ſed fidelibus tantum concedit, ut cum illis communicare poſſint. 6. Vitandum privat *Jurisdictione Eccleſiaſtica* tam voluntaria, quam contentioſa: proinde actus jurisdictionis a non tolerato exerciti non illiciti tantum, ſed & invalidi ſunt; quia jurisdictionis uſu privatus eſt. 7. *Adminiſtratione officii & beneficii jam prius habiti;* ita ut eligere ad Prælaturam, conferre, vel præſentare ad beneficium, & alios actus legitimos valide exercere non poſſit. 8. Privat *omni communicatione cum fidelibus;* ita ut excommunicatus etiam toleratus peccet, dum extra caſus a jure exceptos communicat cum fidelibus in actibus ſacris, forenſibus & civilibus; quia ut dixi, favor communicandi cum tolerato, non ipſi, ſed fidelibus datus eſt. 9. Excommunicatus vitandus, ſi moriatur, antequam abſolutus ſit, privatur *Eccleſiaſtica ſepultura*, quamvis ſigna pœnitentiæ dederit: tunc tamen etiam mortuus abſolvitur, & Eccleſiaſtica ſepultura donatur, interveniente tamen authoritate Superioris. Si ante abſolutionem ſit ſepultus in loco ſacro, debet exhumari, Eccleſia vel cæmeterium, quia polluta ſunt, reconciliari.

(14) *D.* 5. Actiones, in quibus fideles tenentur vitare excommunicatos non toleratos, comprehenduntur hoc verſu:

Os, orare, vale, Communio, menſa negatur.

Per *Os* prohibetur confabulatio per verba, ſignà, literas &c. ac omnia ſigna amicitiæ, ut amplexus, acceptatio, & miſſio munerum. Per *orare* prohibentur Sacramenta, communia ſuffragia, & Eccleſiæ orationes tam in, quam extra Eccleſiam, ſi fiant nomine Eccleſiæ. Per *vale* omnis ſalutatio honorifica, aſſurgere excommunicato &c. Per *communio* omnis ſocietas civilis, omne commercium in contractibus. Per *menſa* communicatio cibi & potus; ac ideo non licet in convivio, ad quod excommunicatus eſt invitatus, comparere: non prohibetur conventio caſualis in eadem V. G. menſa.

Reſ. Qui communicat cum vitando in divinis, audiendo cum eo V. G. Miſſam, peccat mortaliter, niſi adſit levitas materiæ; quia hoc directe prohibetur, & eſt res gravis: qui in civilibus, per ſe tantum venialiter ſecluſo contemptu & ſcandalo, quæ adſunt, ſi monitus deſuper fuerit. Qui communicat cum excommunicato in crimine criminoſo; hoc eſt: ob quod excommunicatio lata eſt, incurrit e communicationem majorem: V.G. ſciens concubinarium qua talem eſſe excommunicatum, ei auxilium, favorem, conſilium retinendi concubinam præbet: ab hac excommunicatione nemo poteſt abſolvere, niſi qui principalem, cum quo communicavit; unde ſi ſit reſervata excommunicanti, ad illum debet recurrere communicans, quamvis alias non ſit illi ſubjectus ratione delicti.

(15) *D.* 6. Caſus in quibus licet communicare cum excommunicato non tolerato continentur hoc verſu:

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Per *utile* intelligitur quælibet utilitas corporalis, vel ſpiritualis excommunicati, communicantis, vel alterius tertii, modo vera ſit, ad damnum fugiendum, vel lucrum capiendum. Hinc poteſt quis illum ſui peri-

periculi admonere, errantem inſtruere &c. eſt enim opus charitatis. Per *lex* intelligitur Matrimonium; ideoque uxor poteſt a viro excommunicato debitum exigere & reddere: in gubernatione domus cum eo communicare. Per *humile* intelligitur ſubjectio; hinc filii non emancipati cum parentibus, famuli & ancillæ cum ſuis Dominis, Religioſi cum Prælatis excommunicatis communicare poſſunt. *Excipitur* communicatio in crimine criminoſo, quæ omnibus prohibita eſt. Per *res ignorata* intelligitur ignorantia etiam vincibilis. Per *neceſſe* neceſſitas, quæ reſpicit ſalutem animæ, corporis, famæ, modo contemptus & ſcandalum abſint.

QUÆSTIO IV.

Quomodo excommunicationem majorem incurrant Hæretici, & legentes libros hæreticos?

Frequentior in his partibus, ideoque ſcitu magis neceſſaria eſt communicatio lata contra hæreticos, & contra percuſſores Clericorum, ideo utraque diſtincte examinanda eſt: prima in hac, ſecunda in ſeq. quæſt.

(16) *D.* 1. In Bulla Cænæ ſic dicta, quia quot annis in Cæna Domini Romæ ſolet de novo promulgari, excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt 1. Hæretici, intellige formales in & externi. 2. Eorum receptores, qui Hæreticos qua tales recipiunt, & fugientibus hoſpitium præbent, ne incidant in manus Judicum. 3. Defenſores, qui vel errores Hæreticorum, vel perſonas eorum ob cauſam hæreſis propugnant.

(17) *D.* 2. Legere ſcienter ſine licentia, & in materia notabili ex quocunque fine libros Hæreticorum de Religione tractantes vel hæreſin continentes, imprimere, defendere, per ſe graviter prohibitum eſt ab Eccleſia ſub excommunicatione latæ ſententiæ reſerva-

ta Pontifici in Bulla Cænæ; quæ prohibitio facta eſt præſertim propter periculum perverſionis.

Reſ. 1. Incurrit, qui nil ore proferendo ſola mente percurrit; quia hoc eſt legere, licet non ſit recitare: imo probabilius, qui jubet ſibi prælegi; quia per alium legit, quod perinde eſt, ac ſi per ſe ipſum legeret, & alias facile eluderetur excommunicatio: ſi autem alium non induxerit ad legendum, non incurrit, quia non legit, ſed tantum audit.

Reſ. 2. Qui legit idiomate ſibi ignoto, probabilius non incurrit; legit enim tantum materialiter: ad lectionem autem formalem requiritur, ut legens mente percipiat, quod legit, vel ſaltem ad alium lectionem dirigat.

Reſ. 3. Legi debet *ſcienter*, hoc eſt: cum ſcientia librum eſſe authoris Hæretici, & de Religione tractare, vel hæreſin continere.

Reſ. 4. Legi debet *ſine licentia*, quam dare poteſt ſolus Papa: & in Germania Epiſcopi; in Ordine noſtro Provinciales ex ſpeciali Privilegio.

(18) *Reſ.* 5. Dicitur notanter: *In materia notabili:* nam a mortali, adeoque & cenſura excuſat parvitas materiæ. Si aperias librum hæreticum, & incidas in rem, quæ directe eſt hæreſis, vel contra fidem, peccas mortaliter, & incurris excommunicationem, etſi legas paucas lineas; quia agis contra finem legis: ſi materia ſit indifferens, non peccas mortaliter, ſi legas paginam.

Reſ. 6. Non eſt licitum Ludimagiſtro admittere pueros acatholicorum diſcentes legere ex cathechismo V. G. hæretico; quia ipſe docendo & corrigendo reipſa legit, ſimulque cooperatur ad inſtructionem in hæreſin.

Reſ. 7. Legens ex quocunque fine, etiam animo refutandi errores incurrit cenſuram, licet ſi vir doctus; manet enim periculum in communi, quod ſuffi-

cit (a). *Deinde* motivum prohibitionis ſimul eſt deteſtatio Authoris Hæretici.

Reſ. 8. Perinde eſt, ſive libri ſint impreſſi ſive manuſcripti, ſive compacti ſive non; eſt eadem ratio: manuſcriptus eſt proprie liber; nam arte inventum typum utique erant libri, & nunc ſunt bibliothecæ, ubi meri ſunt libri ſcripti. *De concione vide caſum* 4.

(19) *Reſ.* 9. Additur: *Hæreticorum*, ſeu qui habet authorem hæreticum: unde qui librum legit de Religione tractantem, vel hæreſi corruptum ab alio infideli Pagano, Judæo, vel etiam Catholico conſcriptum, non incurrit excommunicationem; Eccleſia enim ſpecialiter prohibuit libros ab hæreticis compoſitos, in quibus majus eſt periculum. Nam teſte Apoſt. 2. Tim. 2. v. 17. *ſermo* hæreticorum *ut cancer ſerpit.* Aliorum autem errores ſat noti ſunt, & confutati; ideoque minus periculoſi. Interim ſi adſit periculum proximum perverſionis, jure naturæ prohibentur ſimiles libri.

Reſ. 10. Debet tractare de Religione, ut de Eccleſia, ſcriptura ſacra, de myſteriis fidei, de Theologia, bonis operibus, licet forte nullam hæreſin contineat; quia Bulla loquitur disjunctive; ergo ſufficit vel de Religione tractare, vel hæreſin continere. Intellige ex profeſſo, non obiter tantum; unde non comprehenduntur libri hæreticorum hiſtorici profani, medici, juridici; licet ſubinde hæreſes contineat: comprehenduntur tamen *Sleidanus*, *Minſterus*, & *Aventinus*, licet hiſtorici, quia data opera hiſtorias ſcripſerunt, ut hæreſin mendaciis exornarent, & Catholicam Religionem denigrarent.

(20) *Reſ.* 11. Incurrunt, qui tales libros *retinent* ſive ſuo, ſive alieno nomine, ſive ad legendum, ſive ad alium finem, V.G. ad vendendum, compingendum; ſed iterum datur parvitas materiæ, & attendenda eſt

(a) *Vid. ſup. pag.* 128.

& quantitas temporis, & intentio retinentis; ſi enim per unum vel alterum diem retineas, ut commodius tradas iis, quibus tradi debent, non peccas; ſi diu cum propoſito tradendi, peccas venialiter: ſi vero tamdiu, ut cenſearis non velle tradere, mortaliter, & incurris excommunicationem.

Reſ. 12. Incurrit, qui ad impreſſionem propinque concurrit, ut qui imprimendos tradit, ſuſcipit, typos ordinat, chartas humectat, impreſſionem corrigit, expenſas ſubminiſtrat.

Reſ. 13. Qui defendit, hoc eſt: tuetur, commendat, occultat, vel impedit, ne extradatur, comburatur &c.; quia facto defendit.

Reſ. 14. Qui legit, aut retinet libros cujusvis authoris non Hæretici prohibitos ob ſuſpicionem hæreſis aut falſi dogmatis, incurrit excommunicationem, ſed non reſervatam, ut habetur in Regula indicis librorum prohibitorum. ***Si ob aliam cauſam ſunt prohibiti, nulla incurritur excommunicatio; modo non ſint Hæreticorum.***

(21) *Q. Quid de indice librorum prohibitorum?*

℞. Tres ſunt in hoc indice claſſes. *In* 1. ſunt libri propter ipſos Authores damnati, qui de Religione ex profeſſo tractant, aut hæreſin continent: horum lectio ſub peccato mortali & excommunicatione Papæ reſervata prohibita eſt: ad eandem ſpectant libri Hæreſiarcharum V. G. *Lutheri, Calvini*, licet nec de Religione agant, nec hæreſin contineant; & tunc ſunt prohibiti ſub excommunicatione, ſed non reſervata. *In* 2. ſunt libri propter doctrinam, non propter authores, qualescunque ſint, prohibiti: permittuntur tamen libri Poetarum ethnicorum materiam obſcænam continentes propter ſermonis elegantiam; pueris tamen prælegi non debent, niſi ſint purgati. *In* 3. Sunt libri ob doctrinam ſive fidei, ſive bonis moribus repugnantem pro-

prohibiti, quorum authores ſunt incogniti, & incerti. Qui legunt libros ſecundæ & tertiæ claſſis non incurrunt excommunicationem; ſi non tractent de Religione, nec hæreſin contineant.

In Germania index librorum prohibitorum quoad ſecundam & tertiam claſſem non eſt receptus. Pariter non eſt receptus quoad libros a Catholicis conſcriptos, & in indicem relatos propter aliquam doctrinam, quam continent, non ſatis conformem Theologiæ, SS. Canonibus &c.: quia paſſim retinentur, & leguntur. Quamvis libri hiſtorici, juridici, politici, & ſimiles ab hæreticis conſcripti in Germania non ſint prohibiti jure Eccleſiaſtico, facile tamen nocere poſſunt imperitis & juventuti; quia falſa immiſcent, & probroſa in vilipenſionem Pontificis, Status Eccleſiaſtici, ac Catholicorum doctrinam & vitam per ludibrium tractant; hinc jure naturali multis prohibitum eſt legere; ſicut & libros Judæorum, Paganorum, & antiquorum hæreticorum, quorum hæreſis jam eſt extincta, licet ab Eccleſia non ſint prohibiti. Legens ſcholia & additiones hæreticorum incurrit excommunicationem non reſervatam; quia legit libros damnatos ob hæreſin, aut falſi dogmatis ſuſpicionem: ut dicitur *in Regula decima indicis.* Qui legit libros Catholicorum vetitos, eoquod incitent ad venerea, peccat graviter: ſed non incurrit excommunicationem; quia non legit librum hæretici, nec prohibitum ob hæreſin, aut falſi dogmatis ſuſpicionem.

QUÆSTIO V.

(22) *Quomodo incurratur excommunicatio Canonis ob Clerici percuſſionem?*

D. Can. *ſi quis ſuadente* ſic habetur: „ ſi quis ſuadente diabolo manus violentas in Clericum

„ vel Monachum injecerit, anathematis vinculo ſubja„ ceat: & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſol„ vere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico „ conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat. „ Pro quibus ex communi interpretum

Reſ. 1. Omnes baptizati rationis compotes utriusque ſexus, qui hoc crimen perpetrant, incurrunt hanc excommunicationem; impuberes tamen abſolvi poſſunt ab Epiſcopo.

Reſ. 2. Incurrunt mandantes, conſulentes, efficaciter ſecuto effectu conſentientes, (a) Imo tantum percuſſionem Clerici ſuo nomine factam ratihabentes percuſſore judicante percuſſionem gratam illis futuram; (b) debet tamen ratihabitio manifeſtari ſigno externo. Item non impedientes, ſaltem ſi ex officio teneantur impedire, & ſine gravi incommodo poſſint. (c)

(23) *Reſ.* 3. Per Clericum intelliguntur omnes aliquo ordine, etiam prima tonſura tantum initiati; modo non ſint privati privilegio Canonis: *de quo, ubi de Sacramento Ordinis.*

Reſ. 4. Per Monachum intelliguntur omnes Religioſi utriusque ſexus etiam Novitii, converſi, item tertiarii & tertiariæ, quæ collegialiter vivunt ſub habitu, & voto aliquo expreſſo (non quæ in propriis domibus habitant, ut declaravit Leo X.) etiam Eremitæ, ſi vivant ſub obedientia Prælati voto adſtricti.

(24) *Reſ.* 5. Manum violentam in Clericum injicit omnis, qui aliqua corporis parte lædit V. G. tundit manu, Clericum, aut rem ei adhærentem percutit ſive immediate abſque inſtrumento, ſive medio fuſte, gladio &c. ſi violenter detineat, inſequatur, ut præcipitetur in foveam: ſi ſputum, aut pulverem in illum

(a) *Clem. ſi quis ſuadente. de pœnis.*
(b) *ex Cap.* 23. *de ſent. excomm. in* 6.
(c) *Cap. Quantæ de ſent. excomm.*

illum conjiciat, ſi ejus veſtimenta laceret: ſi equum, frænum, currum, cui inſidet, arripiat, vi ſiſtat: ſi pecunias, quas ſecum habet, violenter auferat, vel extorqueat, pileum, aut baculum eripiat: ut ex *Cap. Nuper de ſent. excomm.* clare eruitur; quia hæ actiones cenſentur violentæ, & graves in ratione injuriæ & contemptus.

Reſ. 6. Requiritur peccatum mortale in & externum in ratione ſacrilegii; ideo & intentio & injectio debet eſſe gravis, ſi non in ratione læſionis, ſaltem in ratione injuriæ: ut ſpuere in Clericum, luto eum impetere &c. non autem, qui verbis vel minis injurioſis Clericum afficit; non enim dicitur manus violentas injicere: nec qui ictum vibrat, reipſa tamen nec illum nec rem ei adhærentem tangit: nec qui veſtimenta ipſi non adhærentia dilacerat: neque qui absque vi veſtes Clerici ſurripit, aut furatur in itinere equum, licet ideo iter proſequi non poſſet; quia actiones iſtæ nullam vim perſonam & dignitati inferunt.

(25) *Reſ.* 7. Dicitur: *ſuadente diabolo*, hoc eſt: ex intentione graviter lædendi: hinc Prælatus, vel Magiſter cauſa diſciplinæ percutiens Clericum etiam in ſacris conſtitutum non incurrit excommunicationem: niſi exceſſus foret enormis; tunc enim incurrerret: ſicut & ſi principaliter fieret ex odio, & ſecundario cauſa correctionis, ſecus ſi principaliter fiat cauſa correctionis, licet admiſceatur peccatum mortale odii.

Reſ. 8. Non incurrit, qui Clericum percutit, vel detinet in continenti vim vi repellendo ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, ad defendendum ſe, ſua, vel ſuos etiam amicos, imo & extraneos innocentes (a); defenſio enim jure naturæ licita eſt. Nec qui Clericum cum uxore, matre, ſorore, vel propria filia turpiter agentem percutit in continenti: licet graviter peccet;

(a) *ex cap. ſi vero de ſent. excomm.*

peccet; quia difficile eſt in his caſibus a furore temperare.

(26) *Reſ.* 9. Dicitur in Can.; *& nullus Epiſcoporum præſumat illum abſolvere;* intellige: ſi ſit percuſſio enormis, aut ſaltem gravis, quæ ſit cum multi ſanguinis effuſione, corporis vulneratione, multorum capillorum evulſione: vel quæ valde excedit in modo: V. G. ſi Epiſcopus, Abbas, Superior alapa percuteretur. Levis eſt, quæ, licet ſit mortalis, non ſit cum tali exceſſu, & reſervatur Epiſcopo. (a) Prælati Regularium ſaltem plerique poſſunt ex privilegiis ſuos abſolvere; etſi percuſſio ſit enormis. *Cæterum* ſi Religioſus percutiat Religioſum alterius Ordinis, non ſolum debet a proprio Superiore abſolvi, ſed & a Superiore percuſſi. (b)

Reſ. 10. Clericus conſentiens in ſui percuſſionem non eſt ipſo facto excommunicatus; ſed excommunicandus. (c)

QUÆSTIO VI.

(27) *Quid de Suſpenſione, & Interdicto?*

D. 1. *Suſpenſio eſt cenſura, qua Clericus privatur uſu poteſtatis Eccleſiaſticæ qua talis. Dr. uſu poteſtatis;* quia ſuſpenſio tantum privat exercitio Ordinis aut jurisdictionis, non ipſo beneficio vel officio, ut facit depoſitio & degradatio. *Dr. poteſtatis Eccleſiaſticæ;* ideo nonniſi Clericus ſuſpendi poteſt. Suſpenſus poteſt ſuſcipere Sacramenta; quia hæc perceptio non eſt uſus poteſtatis Eccleſiaſticæ.

(28) *D.* 2. Suſpenſio alia eſt *a jure;* alia *ab homine*, prout ſupra: alia *totalis*, qua quis ſuſpenditur ſimul

(a) *cap.* 17. *de ſent. excomm.*

(b) *ex cap. Cum illorum. de ſent. excomm.*

(c) *ex cap. Contingit. de ſent. excomm.*

ſimul ab ordine, ab officio, & a beneficio ejusque fructibus: alia *partialis*, qua ab uno horum tantum.

Reſ. 1. Suſpenſio abſolute lata intelligitur de ſuſpenſione totali; cum non ſit, cur potius intelligatur de uno, quam de alio, niſi ex adjunctis colligatur.

Reſ. 2. Suſpenſus ab Ordine non ideo eſt ſuſpenſus a jurisdictione, niſi ad exercitium jurisdictionis Ordo requiratur; Ordo enim eſt quid diſtinctum a jurisdictione, & ſine ea reperitur. Neque ſuſpenſus a beneficio hoc ipſo eſt ſuſpenſus ab officio; quia poteſt quis in pœnam privari fructibus beneficii, manente onere illi deſerviendi: hinc talis tenetur in Eccleſia, a cujus beneficio eſt ſuſpenſus, divina officia exercere; quia pœna non relevat ab onere. Neque ſuſpenſus ab officio hoc ipſo ſuſpenſus eſt a beneficio; quia nomine officii non venit beneficium.

Reſ. 3. Suſpenſio ab officio abſolute prolata privat omni uſu Ordinis, jurisdictionis, & cujuscunque miniſterii Eccleſiaſtici; qui enim totum prohibet, omnes partes cenſetur prohibere.

(29) *Reſ.* 4. Suſpenſio a jurisdictione abſolute lata privat omni uſu jurisdictionis ſpiritualis; quia propoſitio indefinita in materia doctrinali æquivalet univerſali.

Reſ. 5. Eccleſia non poteſt annullare actus Ordinis; exercentur enim vi characteris indelebilis: poteſt tamen annullare actus jurisdictionis, & de facto annullat in illo, qui nominatim ſuſpenſus eſt, & denuntiatus: alius autem ſuſpenſus requiſitus a fidelibus poteſt licite & valide actus jurisdictionis exercere; ſi autem ſponte ſe ingerat, peccat graviter, attamen valide agit; cum enim Eccleſia eum toleret, conſervat in eo jurisdictionem.

Reſ. 6. Suſpenſio ab Ordine abſolute lata prohibet omnem actum cujuscunque Ordinis etiam minoris ſolem-

ſolemnem, *ut ſupra de jurisdictione.* Qui tamen ſuſpenſus eſt V. G. a Sacerdotio, non ideo ſuſpenſus eſt a Diaconatu; quia poteſt aliquis ut indignus arceri a majori, & admitti ad minus. *Econtra* ſuſpenſus ab Ordine inferiore, ſuſpenditur quoque a Superiore. Suſpenſus a divinis, ab omni actione ſolemni ſuſpenſus habetur.

Reſ. 7. Suſpenſus ab Ordine, ſi actum Ordinis exerceat eo modo, quo a laicis nequit exerceri, incurrit irregularitatem Papæ reſervatam: (a) non ſic ſuſpenſus a beneficio, vel jurisdictione, ſi actum beneficii, vel officii exerceat; talis enim nullam ipſo facto pœnam incurrit, ſed puniendus eſt arbitrio judicis, & irregularitas non imponitur, niſi ob violationem ſuſpenſionis ab ordine.

(30) *Reſ.* 8. Per ſuſpenſionem a beneficio privatur quis perceptione fructuum beneficii; unde peccat mortaliter, ſi fructus percipiat, teneturque eos reſtituere. Inter fructus beneficii numeratur illius adminiſtratio; unde non poteſt illius bona locare, fructus vendere &c. Si adminiſtrationi ſe ingerat, & fructus percipiat, perdit ipſo jure beneficium (b): non tamen amittit jus, quod ipſi ratione beneficii competit, conferendi aut eligendi; quia hæc non ſunt proprie fructus beneficii, ſed actus officii, & jurisdictionis.

(31) *Reſ.* 9. Suſpenſio impeditur per appellationem præcedentem, ſi rationabilis ſit; quia ſic impeditur poteſtas Superioris: per appellationem tamen ſubſequentem ad ſuſpenſionem non impeditur ſuſpenſio ab officio, aut ingreſſu Eccleſiæ; quia iſta ſecum affert executionem. (c) Unde cum exceptio firmet regulam

(a) *Can. ſiquis Epiſcopus. conſ.* 11. *q.* 3.
(b) *cap. Capientes. de elect. in* 6.
(c) *Vid. ſup. Num.* 6.

gulam in contrarium, ſuſpenſio a beneficio, & quælibet alia videtur impediri per appellationem.

Reſ. 10. Suſpenſio, quæ ad tempus fertur vel ſub conditione, V. G. donec ſatisfacias, lapſo tempore, aut ſatisfactione præſtita absque nova abſolutione ceſſat.

(32) *Q. Quid ſit Depoſitio?*

℟. Eſt *ſententia Eccleſiaſtica, qua Clericus in perpetuum privatur tum officio, tum beneficio retento ſolo Clericali privilegio;* vocaturque in jure *degradatio verbalis. Degradatio* autem *realis* eſt ſententia Eccleſiaſtica, qua Clericus in perpetuum ſolemniter privatur ſimul privilegio *Canonis* & *fori*, ita ut illum percutiens non plus peccet, quam ſi percutiat laicum. (a) *Dixi: ſolemniter*, hoc eſt: capillorum tonſione, ornamentorum ordini competentium ſpoliatione, prout in Pontificali Romano exponitur.

(33) *D. 3. Interdictum eſt cenſura Eccleſiaſtica privans uſu aliquorum Sacramentorum, publica divinorum officiorum celebratione, & Eccleſiaſtica ſepultura.* Interdictum aliud eſt *locale*, quod immediate locum afficit prohibendo fieri in illo ſacras functiones: aliud *perſonale*, quod immediate perſonam afficit prohibendo ipſi participare in his ſacris functionibus, eamque comitatur, ubicunque exiſtat: aliud *mixtum*, quod & locum & perſonas immediate afficit. Utrumque ſubdividitur in generale & ſpeciale. *Locale generale* eſt V. G. totius Provinciæ, aut Civitatis; ita, ut in nulla illius Civitatis Eccleſia liceat divina celebrare &c. *Speciale* eſt alicujus Eccleſiæ ſolum. *Interdictum generale perſonale* reſpicit collegium aliquod plures perſonas continens. *Speciale eſt*, dum in unam, vel plures perſonas nominatim fertur.

Reſ.

(a) *cap. Is cui de ſent. excomm. in 6.*

Reſ. 1. Si aliqua Eccleſia ſit interdicta, debet populus aliam adire, ut divinis interſit: ſi autem populus ſit interdictus, & non Eccleſia, poſſunt extranei ibidem celebrare divina.

Reſ. 2. Interdicta Civitate interdicuntur ſuburbia, interdicto templo interdicuntur cœmeteria & capellæ, ſi ei contiguæ ſint, non econtra; quia acceſſorium ſequitur principale, non econtra.

Reſ. 3. Si feratur in populum, non afficit Clerum, ſi in Clerum, non afficit populum. (a)

(34) *Reſ.* 4. Religioſi etiam exempti excommunicationem incurrunt, ſi non ſervent interdictum generale, dum hoc ſervatur ab Eccleſia matrice, vel parochiali loci, in quo habitant. (b)

Reſ. 5. Interdicto communi ſubjacent innocentes, ut ſunt illius pars; ſi deſinant eſſe pars communitatis, non amplius ſubjacent: aliud eſt de nocentibus.

Reſ. 6. Ad incurrendum interdictum perſonale ſpeciale requiritur culpa mortalis propria: ad locale & perſonale generale ſufficit peccatum grave commiſſum a Rectore communitatis, vel præcipuis membris.

Reſ. 7. Si Clerici celebrent officia divina, ſuaque exerceant miniſteria perſonaliter interdicti, incurrunt irregularitatem.

Reſ. 8. Qui interdictos extra caſus in Jure exceptos ſcienter ſepeliunt in loco ſacro, incurrunt excommunicationem Epiſcopo reſervatam. (c) In eandem excommunicationem, & quidem Papæ reſervatam incidunt ipſo facto, qui interdictum ſervari prohibent, aut moniti ſervare pertinaciter renuunt.

Reſ.

(a) *Cap. ſi ſententia. de ſent. excomm. in* 6.

(b) *Clement.* 1. *de ſent. excomm. Vid. de Legibus N.* 10.

(c) *Clement.* 1. *de ſepult.*

(35) *Reſ.* 9. Clerici & Religioſi perſonaliter non interdicti in loco interdicto habitantes debent dicere in ſuis Eccleſiis Miſſas & divina officia clauſis januis ſubmiſſa voce ſine pulſu campanarum excluſis interdictis & excommunicatis.

Reſ. 10. Clerici juxta Cap. *Quod in te* poſſunt tempore interdicti localis, modo illud ſervaverint, nec ei cauſam dederint, ſepeliri in loco ſacro ſine pulſu campanarum & ſolemnitatibus Eccleſiaſticis.

Reſ. 11. Tempore interdicti poteſt conferri *baptiſmus* etiam ſolemnis & *confirmatio*, (a) *Pœnitentia*, (b) *Euchariſtia* in caſu neceſſitatis vel per modum viatici: (c) Non vero *extrema unctio:* quia hujus non eſt tanta obligatio vel neceſſitas, niſi infirmus Sacramentum aliud ſuſcipere non potuerit: *Denique Matrimonium*, ſed ſine benedictione nuptiarum.

QUÆSTIO VII.

(36) *Quid & quotuplex ſit Irregularitas?*

D. 1. Irregularitas eſt *impedimentum canonicum primario impediens ſuſceptionem Ordinum & ſecundario uſum receptorum ob reverentiam miniſterii Altaris & Sacramentorum. dr. Canonicum*, hoc eſt: jure univerſali Eccleſiæ introductum; ideoque nulla irregularitas eſt ab homine, ſed omnis a jure communi: incurritur ab ignorante invincibiliter eam ſuo delicto eſſe annexam, ſicut aliæ inhabilitates & impedimenta dirimentia Matrimonii, quia adhuc indecens eſt talem ex officio Altari miniſtrare.

Reſ.

(a) *cap. Quoniam. de ſent. excomm. in* 6.

(b) *cap. Alma mater. de ſent. excomm. in* 6.

(c) *cap. Quod in te. de pœnit. & Remiſſion.*

Reſ. 1. Tres ſunt effectus 1. impedit *ſuſceptionem Ordinum*, ac *primæ tonſuræ*, quæ ut diſpoſitio ad Ordinem reducitur (a). 2. Privat *Ordinum uſu*, omnium, ſi ſit totalis: aliquorum ſi partialis; ut Sacerdos amiſſo pollice non poteſt celebrare (b). 3. Totalis *inhabilem reddit ad quodlibet beneficium recipiendum*, idem eſt de *dignitate Eccleſiaſtica*; quia beneficium datur propter officium (c). Non tamen ipſo facto privat beneficio legitime jam obtento, nec ejus fructibus; modo recitet horas, & alia curet fieri per alium: nec privat jurisdictione Eccleſiaſtica, hinc Parochus irregularis licite committit alteri, ut abſolvat ſuos parochianos; hoc enim non eſt actus Ordinis, quia Parochus non Sacerdos poteſt delegare. Ipſe licite facit, quæ ordinem non requirunt: valide, ſed illicite, quæ eum requirunt.

(37) *D.* 2. Irregularitas eſt duplex, alia ex *delicto*, alia ex *defectu*. Prima cum ſit pœna valde gravis, requirit peccatum mortale in- & externum opere conſummatum; odioſa enim ſunt reſtringenda. Oritur 1. *ex reiteratione baptismi* ſcienter ſerio & abſolute facta, ex parte rebaptizantis eſt tantum partialis, ne ad altiores Ordines aſcendere poſſit, & delictum debet eſſe publicum: ex parte rebaptizati eſt totalis, etſi delictum ſit occultum (d). 2. Irregularitatem ex delicto incurrit, qui *furtive ordinatur*, id eſt ignorante Epiſcopo per dolum ſe ingerens (e). 3. *Clericus, qui ſolemniter exercet Ordinem ſacrum, quem non habet* (f). 4. *Clericus*

(a) *Cap. curandum Diſt.* 34.
(b) *cit. cap. curandum.*
(c) *Vid. part. 2. de beneſ. Num.* 13.
(d) *Cap. ex litterarum de Apoſtatis & reiterantibus baptisma.*
(e) *cap. 1. de eo, qui furtive.*
(f) *cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato miniſtr.*

cus violans cenſuram majoris excommunicationis, ſuſpenſionis ab Ordine, interdicti exercendo V. G. actum Ordinis ſacri ſolemniter (a). 5. *committens delictum inducens infamiam;* (b) debet tamen eſſe publicum, alias non ſequitur diminutio famæ. 6. *Voluntarie*, licet indirecte, *& injuſte occidens vel mutilans*, (c) illud *mandans*, *conſulens cum effectu*, aut alio modo *cooperans* vel *non impediens*, dum poteſt, & ex officio debet. Pro hoc

Reſ. 1. In bello patenter injuſto, ſi vel unus occidatur vel mutiletur, totus exercitus eſt irregularis; quia cenſentur ſe mutua præſentia animare.

Reſ. 2. Si homicidium vel mutilatio ſit caſualis adhuc inducit irregularitatem, ſi vel adſit culpa theologica gravis, vel occidens operam dederit rei illicitæ ex ſe periculoſæ. Hinc

Reſ. 3. Clericus vel Religioſus exercens chirurgiam cum inciſione, ſi ex tali actione ſequatur mors, vel mutilatio, fit irregularis, quamcumque adhibuerit diligentiam; iſtæ enim actiones ſunt prohibitæ Clericis ob periculum (d). *Excipe* neceſſitatem, ubi alius non adeſt.

Reſ. 4. Irregularitatem incurrit miniſtrans infirmo medicinam vel poculum maxime contra præſcriptum Medici, ex quibus notabiliter acceleratur mors, niſi ignorantia excuſet: non tamen qui revolvit infirmum, ut commodius quieſcat V. G.; non enim congruit infirmum ob evitandam levem mortis accelerationem ſuſtinere hoc incommodum.

(a) *cap.* 18. *de ſent. excomm. in* 6.
(b) *Can. infames. Cauſa* 6. *q.* 1.
(c) *ex toto titulo de homicid.*
(d) *Gloſſ. in cap. tua nos.* 19. *de homicidio.*

Reſ. 5. Non incurrit, qui occidit vel mutilat pro neceſſaria ſui vel alterius innocentis defenſione, niſi graviter excedatur moderamen inculpatæ tutelæ; ubi enim non eſt culpa, non debetur pœna.

(38) *Reſ.* 6. In dubio facti de homicidio injuſto, V.G. exploſiſti cum aliis ſclopetum in Cajum paulo poſt mortuum, & dubitas, an etiam ex tua actione ſit mortuus: dediſti conſilium, & dubitas, an influxeris in homicidium &c. debes te habere ut irregularem. Ex Cap. *Ad audientiam. Significaſti de homicidio*, ubi in honorem ſtatus Clericalis, & reverentiam ſacrificii ſtatuitur, ut cenſeatur irregularis, qui poſuit actum, & dubitat, an mors ex eo non ſit ſecuta. Hoc non debet extendi ad dubium mutilationis, quia jus loquitur de homicidio injuſto, & ſumus in odioſis; hinc etiam ſi dubites, an in bello juſto aliquem occideris, non es irregularis, qualis nec es in aliis dubiis tum juris tum facti circa irregularitatem; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, & irregularitas non cenſetur lata, niſi clare exprimatur in jure (a).

Reſ. 7. Per *mutilationem* hic intelligitur abſciſſio alicujus membri: unde non ſufficit graviter vulneraſſe, aut membrum reddidiſſe inutile, ut ſiquis excœcaverit hominem privando viſu, non eruendo oculum. Per *membrum* intelligitur pars aliqua principalis corporis peculiarem in corpore functionem habens, ut manus, pes, oculus &c. Unde non fit irregularis, qui in rixa alteri excutit dentes aliquos, imo & digitum abſcindit; quia digitus eſt tantum pars & officium membri, & in pœnalibus ſtricta interpretatio eſt facienda. *Dixi alteri;* qui enim ſibi ipſi digitum aut articulum illius aut aliam corporis partem ſine juſta cauſa abſcindit, eſt irregularis (b).

Reſ.

(a) *Cap. Is qui de ſent. excomm. in* 6.

(b) *ex Cap. ſiquis abſcidit.* 4. *d.* 55.

Reſ. 8. Medici, chirurgi & ſimiles, ſi vel artem non intelligant, vel infirmum negligant, vel nociva præbeant, incurrunt irregularitatem, ſi inde mors notabiliter acceleretur: non ſi ſecundum artis ſuæ principia membrum abſcindant ſanitatis causa, ſi adhibeant debitam diligentiam, etſi mors ſequatur.

(39) *D.* 3. Irregularitas *ex defectu* eſt, quæ ex ſolo aliquo defectu phyſico vel morali inducente indecentiam in ſacris etiam ſine culpa incurritur; honor enim & reverentia miniſterio altaris debita exigit, ut miniſtri ſine macula ſint & defectu indecenti. 1. *Ex defectu animi* irregulares ſunt pueri nondum habentes uſum rationis, amentes, furioſi, lunatici, energumeni, deſtituti ſcientia neceſſaria & neophyti, hoc eſt: adulti recenter converſi a paganismo vel judaismo. 2. *Ex defectu corporis*, qui ita ſunt corpore vitiati, ut vel abſolute non, vel nonniſi cum magna indecentia vel periculo, aut ſpectantium horrore, riſu vel offenſione peragere poſſint ordinis miniſteria, ut cæci, ſurdi (non tamen ſurdaſtri) claudi, ſi ſine baculo, aut alia deformitate ad altare accedere non poſſint: qui carent oculo ſiniſtro, qui dicitur *Canonicus*; aut etiam dextro cum notabili deformitate: ſi abſit deformitas, & ſolo oculo dextro canonem ſine nota legere poſſint, etiam defectus oculi ſiniſtri non cauſabit irregularitatem: Item qui maculam turpem in facie, vel gibbum valde deformem habent. Hermaphroditi, etiamſi ſexus maſculinus prævaleat: leproſi epileptici ſeu morbo caduco laborantes; qui tamen; ſi jam ordinati ſint, & intra annum eo morbo non laborarint, præſumuntur liberati, & actum ordinis exercere, imo ad ordinem majorem aſcendere poſſunt: in dubio, an defectus corporis ſit enormis, ſtandum eſt judicio Epiſcopi, cujus eſt in dubio de hoc judicare, etiam quoad Regulares: ſi tamen defectus ſupervenerit poſt ordinationem, Præla-

tus judicare poteſt, an pergere poſſit in miniſterio. Occulta corporis vitia non inducunt irregularitatem: eunuchi tamen, & hermaphroditi etiam occulti irregulares ſunt.

Reſ. Carens V.G. digito ad frangendam hoſtiam neceſſario impeditur etiam a ſuſceptione ordinum inferiorum imo & primæ tonſuræ; quia prohibetur a clericatu: ſi tamen jam Sacerdos factus amiſerit pollicem, non prohibetur exercere alia munia, ad quæ eſt capax. *Econtra* habens in manu ſex digitos citra notabilem deformitatem, vel carens uno digito ad ſacras functiones non neceſſario, ſine culpa eunuchus, & ſimiles non ſunt irregulares. 3. *Ex defectu natalium* irregulares ſunt omnes illegitimi, ſeu non nati ex legitimo thoro, vel matrimonio valido, aut ſaltem ex una parte bona fide & in facie Eccleſiæ contracto, licet invalido, niſi per ſubſequens matrimonium ſint legitimati: in dubio non eſt irregularitas; quia vitium in dubio non præſumitur, ideoque infantes expoſiti probabiliter non indigent diſpenſatione; cum non conſtet de illegitimitate, & delicta non præſumentur; parentes quandoque exponunt ob paupertatem: attamen in praxi petatur diſpenſatio, quam in dubio tali dat Epiſcopus. 4. *Ex defectu ætatis* irregulares ſunt, qui nondum habent legitimam ætatem ad ſuſceptionem ordinum requiſitam. 5. *Ex defectu libertatis* irregulares ſunt ſervi, adſcriptitii & originarii, ita ut ſine conſenſu Dominorum ſaltem tacito ordinari non poſſint, nec Religionem ingredi: Item conjugati, niſi adſit licentia uxoris, & hæc votum caſtitatis emittat: Item omnes curiæ ſæculari obligati juramento vel ſtipendio, quamdiu tale officium habent: Item milites obligati juramento militari. 6. *Ex defectu bonæ famæ* irregulares ſunt omnes infames infamia ſive juris ſive facti. *Juris* oritur 1. ex propriis vel parentum deli-

delictis, quibus ex conſtitutione legum annexa eſt infamia, ſaltem ſi ſint publica. 2. Ex vili ſtatu: taliter infames ſunt hiſtriones, & in his partibus carnifices eorumque filii. 3. Ex condemnatione in judicio, vel publica punitione; ut dum quis ob crimen V. G. furti condemnatur aut virgis cæditur. Infamia *facti* hic eſt publica notitia vel opinio commiſſi criminis cujuscunque ignominioſi, per quod apud prudentes fama graviter læditur. 7. *Ex defectu ſignificationis Sacramenti* irregulares ſunt bigami: eſt autem bigamia triplex. 1. *Vera*, dum quis valide contraxit matrimonium cum duabus, illudque conſummavit, ſive ante ſive poſt baptiſmum; quia ſic dividit carnem ſuam in duas, ideoque non repreſentat perfecte unionem Chriſti cum Eccleſia tanquam unici ſponſi cum ſponſa unica. 2. *Eſt interpretativa*, dum quis habet copulam carnalem cum legitima uxore, poſtquam fuit ab altero cognita. 3. Eſt *ſimilitudinaria*, dum quis poſt ſuſceptos ſacros ordines aut profeſſionem religioſam contrahit matrimonium, licet invalidum, cum virgine eamque carnaliter cognoſcit; quia pariter violat matrimonium ſpirituale quod contraxerat. Sic & bigamus cenſetur, qui poſt conſummatum cum ſua uxore matrimonium hac vivente ſerio, etſi nulliter, contrahit cum alia eamque cognoſcit (a); non qui ante vel poſt matrimonium, vel in ipſo fornicatus, vel adulteratus eſt; quia hoc nullo jure exprimitur, & per copulam fornicariam non ſignificatur conjunctio Chriſti cum Eccleſia. 8. *Ex defectu lenitatis* irregulares ſunt, 1. qui in bello juſto offenſivo propriis manibus aliquem occidunt vel mutilant, vel directe & proxime ad hoc cooperantur, V. G. onerando tormenta bellica, hortando, ut hic in particulari occidatur: ſecus ſi tantum in genere animent ad ſtrenue pugnandum. In bello defenſivo etiam

(a) *Ex Cap. nuper. de bigam.*

propria manu occidens non ſit irregularis, niſi Clericus in ſacris conſtitutus aut beneficiatus citra neceſſitatem pugnaverit. 2. Qui in judicio ad mortem vel mutilationem Rei cooperatur effectu ſecuto; eſt enim defectus lenitatis; quia non imitatur perfecte Chriſtum agnum manſuetiſſimum, cujus perſonam gerit ſacerdos. *dr. effectu ſecuto*; quia generaliter effectu non ſecuto nulla incurritur irregularitas. *Pro regula generali ſolet poni:* Omnes & ſoli ratione juſtitiæ ſunt irregulares, qui ex officio ut Miniſtri juſtitiæ ad mortem, aut mutilationem directe & proxime efficaciter ſive phyſice, ſive moraliter concurrunt; ut Judex, Aſſeſſor, accuſator, Advocatus & teſtis contra Reum, Notarius, Scriba ſignans aut legens publice ſententiam, ſatellites, executores ſententiæ, Tortores, non opifex, qui furcam fecit: non Sacerdos, qui enſem benedicit carnifici, ne maleficio impediatur: nec Princeps conſtituens Judices, condens leges, modo non mandet, ut hic occidatur, nec pœnam mortis impoſitam mitigans. V. G. mutans rotæ in gladii pœnam; quia ſimiles nonniſi remote concurrunt.

Dices. Chirurgus, ſecundum regulas artis amputans manum non eſt irregularis ex defectu lenitatis; ergo neque judex ſecundum regulas juris condemnans reum ad mutilationem.

℟. *N. c.* Quia licet judex in ſe non ſit crudelis, tamen patienti crudelis videtur: Chirurgus autem nequidem ægro videtur crudelis; agnoſcit enim id fieri ad conſervandum totum.

Reſ. 1. Nec Clericus nec laicus incurrit irregularitatem, ſi in cauſa propria ob damnum ſibi, Eccleſiæ ſuæ, conſanguineis aut domeſticis illatum, reum accuſet, licet morte plectendus ſit: modo ante ſententiam prolatam externe ſerio proteſtatur, ſe non petere pœnam ſanguinis, ſed ſolum agere ad ſuum intereſſe.

Reſ.

Reſ. 2. Privatus vel Confeſſarius ducens reum & incitans equum ad citius eundum, reum monens, ut in via procedat: ſcalam aſcendat &c. non incurrit irregularitatem; quia hæc pro nihilo reputantur: item, qui rogat carnificem; ut aliquid aptet, quo citius moriatur reus, ne tantum ſentiat.; *Ratio ſimilium eſt;* quia non concurrunt ut miniſtri juſtitiæ, & faciunt ut tormenta minuantur: hinc potius juxta, quam contra lenitatem Chriſti agunt.

Reſ. 3. Parochus, qui advertens in pago ſibi commiſſio graſſari vitia morte digna & in graviſſimum damnum boni communis vergentia inſtat apud Superiores, ut ſimilibus viam præcludant, quamvis aliqui facta inquiſitione convicti morte puniantur, non ideo incurrit irregularitatem; tenebatur enim hæc in genere manifeſtare.

Reſ. 4. Irregularitas contrahitur ipſo jure ob defectum & delictum homicidii etiam occultum; adhuc enim indecens eſt, talem ex officio miniſtrare altari.

(40) *Quomodo tollatur irregularitas?*

℟. 1. Orta ex infamia facti tollitur per conſtantem notoriam vitæ emendationem: non vero ſi ſit inducta per jus vel ſententiam Judicis; hæc enim indiget diſpenſatione Papæ (ſi infamia ſit juris Canonici) Principis, ſi lata ſit jure civili. Orta ex ætatis vel alio temporaneo defectu hoc ſublato tollitur.

℟. 2. Per profeſſionem Religioſam tollitur irregularitas ex defectu natalium quoad ordines; non tamen quoad dignitates & Prælaturas.

℟. 3. Diſpenſare in irregularitate poteſt Papa; eſt enim ſupra jus Canonicum. Epiſcopus (a) poteſt diſpenſare in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto ad forum contentioſum non deducto, excepto homicidio voluntario, & quidem, ut interpretantur Au-

(a) *ex Trid. Seſſ. 24. Cap. 6.*

thores, ſimpliciter & directe voluntario: non in irregularitatibus ex defectu, excepta bigamia ſimilitudinaria (a) & defectu natalium ad tonſuram & ordines minores, ac beneficium ſimplex non requirens ſuſceptionem Ordinis ſacri; Epiſcopus enim non poteſt diſpenſare in jure communi, niſi id ei ſpecialiter concedatur a Papa.

℞. 4. Prælati Regulares ſaltem mendicantes vi privilegiorum cum Religioſis ſibi ſubditis ſaltem pro foro conſcientiæ diſpenſant in quavis irregularitate etiam ex bigamia & homicidio occulto, poſſuntque hanc poteſtatem delegare aliis; cum ſint annexa officio, ideoque cenſeatur ordinaria. In bigamia vera videntur non poſſe diſpenſare: cum enim Papa in hoc diſpenſare non ſoleat, non cenſetur ad hoc facultatem dare.

Reſ. Si Parochus V. G. contraxerit occultam irregularitatem, peccat graviter, ſi in illa actus ordinis exerceat; ideoque debet omni poſſibili modo procurare citiſſime diſpenſationem, & ſub alio prætextu infirmitatis V. G. vel itineris alteri officium committere: hoc ſi non poſſit, poteſt exercere actus ordinis, quantum ad declinandam gravem infamiam, vel aliud grave periculum aut ſcandalum populi requiritur; lex enim Eccleſiæ non obligat cum tanto incommodo, & prævalet lex naturalis de vitando ſcandalo &c.

QUÆSTIO VIII.

(41) *Quinam priventur ſepultura Eccleſiaſtica?*

N. 1. Sepulturæ electio adeo libera eſt, ut etiam uxor inconſulto marito, & Filius, modo ſit pubes, ſine patris conſenſu eam eligere poſſint: dum autem uxor ſpecialem ſibi ſepulturam non eligit, tumulanda eſt

(a) *Cap. 4. de Clericis conjugatis.*

eſt in ſepulchro Mariti & quidem ultimi, ſi ſucceſſive plures habuerit.

N. 2. Siquis absque electione ſepulchri moriatur, ſepeliendus eſt in ſepulchro a Majoribus conſtituto: alias deferendus ad Eccleſiam parochialem, quamvis extra Parochiam mortuus ſit, modo ad eam commode deferri poſſit.

N. 3. Ubi Parochianus alibi elegit ſepulturam aut conſtitutum habet ſepulchrum Majorum, debetur Parocho proprio portio canonica de iis, quæ alteri Eccleſiæ ocaſione funeris obveniunt; ut, qui Sacramenta adminiſtrando onus habuit cum vivente, etiam poſt mortem de funere emolumentum habeat. Quænam autem ſit hæc portio, pro cujusvis loci conſuetudine decidendum. Male autem facit Parochus, ſi expenſas funerales ideo augeat, quia defunctus ſepeliendus eſt in Eccesia Regularium: ut de ſe patet, & dicitur deciſum a S. Congteg.

N. 4. Sub pœna excommunicationis Papæ reſervatæ effectu ſecuto prohibitum eſt, ne Religioſus aut Clericus aliquem inducat aut perſuadeat, ut in ſuis Eccleſiis vel cœmeteriis eligat ſepulturam, vel electam non mutet.

D. Eccleſiaſtica ſepultura, ita ut nec in loco ſacro, vel benedicto ad ſepulturam fidelium deſtinato, nec cum Eccleſiaſticis Cæremoniis ſepeliri licite poſſint, privati ſunt 1. Pagani, Hæretici, Judæi eorumque fautores, & omnes majori excommunicatione ligati. 2. Qui ex deſperatione vel ſimili paſſione ſe ipſos occiderunt: non vero ſi per inſaniam (quod in dubio præſumitur, præſertim ſi fuerint melancholici). 3. Mortui in duello: de quibus Ss. Papa Benedictus XIV. *in Conſtit. Deteſtabilem de anno* 1752. *quarto Idus Novemb.* ſic dicit: „Simili motu & authoritate decernimus, ac „ declaramus ſepulturæ ſacræ privationem a ſacro-

„ ſancta

„ ſancta Tridentina ſynodo inflictam morientibus in „ loco duelli & conflictus, incurrendam perpetuo fo„ re, etiam ante ſententiam Judicis, a decedente etiam „ extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, „ ſive duellum publice, ſive privatim indictum fuerit „ ac etiamſi vulneratus ante mortem non incerta pœ„ nitentiæ ſigna dederit, atque a peccatis & cenſuris „ abſolutionem obtinuerit: ſublata Epiſcopis & ordi„ nariis locorum ſuper hac pœna interpretandi ac di„ ſpenſandi facultate, quo cæteris documentum præ„ beatur fugiendi ſceleris, ac debitam Eccleſiæ legibus „ obedientiam præſtandi.„ 4. Manifeſti & publici peccatores ſine pœnitentia mortui V. G. in actuali furto, vel adulterio occiſi: ſi pœnitentiæ ſignum dederit, tundendo V. G. pectus, vel invocando Nomen Jeſu, pœnitentia publicanda eſt ad tollendum ſcandalum. 5. De quibus publice conſtat, quod eo anno non ſint confeſſi, aut Communionem ſumpſerint, ſi ante mortem non dederint ſignum pœnitentiæ, nec ulla ſit probabilis cauſa excuſationis: ſed pœna eſt ſententiæ ferendæ. 6. Infans ſine baptismo mortuus, niſi in utero matris maneat; tunc enim eſt pars matris: ſi ſit extractus & non baptizatus, ſepelitur extra locum ſacrum. Similiter privatur Eccleſiaſtica ſepultura, de quo dubitatur, an ullo modo ſit baptizatus; quia baptismus, qui eſt conditio ad gaudendum Eccleſiaſtica ſepultura, ſaltem dubie probari debet, 7. nominatim interdicti.

Reſ. 1. Cum raro ſine turbatione negetur Eccleſiaſtica ſepultura, Parochus in his caſibus debet ſuſpendere ſepulturam, & cum expreſſione facti ac circumſtantiarum a teſtibus examinatis ad Ordinarium pro conſilio & deciſione mittere, quod ad evitandas plurimas inconvenientias præſcribit agenda Colonienſis. Si in caſu dubio Ordinarius adiri non poſſit, pro cavenda populi offenſione & conſervanda fama defuncti ac propin-

pinquorum, expedit ſepeliri de nocte ſine funeris Solemnitatibus.

Reſ. 2. Ad redimendam gravem vexam aut ob aliam gravem cauſam poteſt Parochus permittere, ut ab Acatholicis in loco ſacro ſepeliatur hæreticus; quia hæretici in his partibus tolerantur, & paſſim videmus ſepeliri etiam in Eccleſiis, ubi habent loca ſepulturæ pro familia, nec poſſunt ſine graviſſimis incommodis iſto jure privari: ſic & Eccleſia permittit conſuetudinem, ut in aliquibus locis hæretici cum Catholicis eandem habeant Eccleſiam & cæmeterium. Non licet tamen Parocho ritu Catholico cum cruce, ſtola &c. talem ſepelire; ſic enim profiteretur eſſe mortuum in vera Eccleſia, eſſe dignum publicis Eccleſiæ bonis, quod de ſe illicitum eſt. *Plura de his Canoniſtæ.*

De Cenſuris, Irregularitate & Sepultura Eccleſiaſtica.

Caſus I. Titius Sacerdos peccat in aliena Diœceſi & propter hoc cenſuratur ab Epiſcopo illius Diœceſis, ſed ille mox ad propriam revertitur. Debita ſolvere renuens ad illa condemnatur, addita pœna ſuſpenſionis niſi intra menſem ſolvat, ſed durante menſe inſcio Epiſcopo impetrat a creditore prorogationem ad bimeſtre, intra quod tamen non ſolvit, tum quia non poteſt, tum quia appellat ad Archi-Epiſcopum. Q. 1. *Quid ſit cenſura?* 2. *Quis eam ferre poſſit?* 3. *in quos?* 4. *Quid ad caſum?*

℞. *Ad* 1. Eſt pœna ſpiritualis &c. (a). *Ad* 2. habens jurisdictionem ſpiritualem in foro externo contentioſo (b). *Ad* 3. in ſolos baptizatos Subditos ratione utentes. *Ad caſum* ℞. *in primo*, ſi peccet in materia prohibita jure naturali vel divino, V.G. furatus eſt, ſcan-

(a) *Vid. Num.* 1. (b) *Vid. Num,* 7.

ſcandalum dedit &c. poteſt cogi ſub excommunicatione ad ſatisfaciendum (a). Imo ſi ante egreſſum ſit legitime citatus, adhuc poteſt excommunicari, quia ratione judicii inchoati retinet Epiſcopus ille jurisdictionem in illum: ſi peccaverit contra legem particularem illius loci, non poteſt cenſurari; quia qua peregrinus probabiliter non tenetur legibus, adeoque in hoc non ſortitur forum loci. *In* 2. cenſuram non incurrit ante elapſum bimeſtre; cum enim lata ſit ad inſtantiam creditoris, cenſetur Epiſcopus conſentire in terminum prorogationis. Impotentia etiam moralis excuſat a peccato & contumacia; ergo ab incurrenda cenſura. Appellatio, ſi ſit legitime facta ante cenſuram latam vel ante adventum conditionis, ſub qua facta eſt, impedit cenſuram: ſi poſt completum terminum aut cenſuram abſolute latam, non impedit ſuſpenſionem; jam enim contracta eſt, & ſola abſolutione tolli poteſt (b).

Caſus II. Epiſcopus prohibuit Clericis ſub pœna ſuſpenſionis luſum chartarum in publicis diverſoriis; Titius & Cajus Sacerdotes lædunt, dum ſunt in aliena Diœceſi vicina: inter ludendum ex ſubito motu Titius Cajo dat alapam, Cajus econtra Titium arripit crinibus & in facie vulnerat: Petrus colludens volens percutere Cajum percuſſit Titium: Paulus graviter vulneravit Petrum, qui ex hoc die octava moritur, ſed die ſeptima præmoritur Paulus, homicidio autem annexa eſt excommunicatio. Q, 1. *An in primo incurrerint ſuſpenſionem? 2. an excommunicationem? 3. an Cajus vitandus? 4. a quo abſolvi poſſit? 5. quid de colludente? 6. quid de Paulo?*

℞. *Ad* 1. Si per legem aut ſtatutum generale prohibitum ſit, non incurrerunt; ſecus ſi per particularem prohibitionem (c). *Ad* 2. Si Titius propter ſubitum

(a) *Vid. Num.* 3. (b) *Vid. Num.* 6.
(c) *Vid. pag.* 96.

bitum motum non peccaverit graviter, etiam non incurrit excommunicationem, ſecus ambo incurrerunt. *Ad* 3. Si tantum duo vel tres fuiſſent præſentes, non erat vitandus; quia nondum publicus Clerici percuſſor (a). *Ad* 4. Si percuſſio fuerit enormis, debebat abſolvi a Papa. *Ad* 5. Incurrit excommunicationem; quia voluntario percuſſit Clericum. *Ad* 6. Non incidit in excommunicationem; non enim ante mortem, quia nondum homicidia: non poſt mortem, dum alter moritur; quia mortuus non incurrit.

Caſus III. Titius dives beneficiatus moriens omnia bona ſua legavit Eccleſiæ & pauperibus, quod ubi reſcivit Cajus ejus nepos, tanta percitus eſt iracundia, ut defuncti cubiculum ingreſſus mortuum corpus repetitis validis fuſtium ictibus coram duobus ſuis fratribus percuſſerit.

Q. *An excommunicationem incurrat?*

℟. Videtur, quod non: quia pœna Canonis imponitur percuſſoribus Clerici, ſed cadaver non eſt Clericus, & odioſa ſunt ſtricte interpretanda, ergo:

Caſus IV. Cajus vir nobilis verbis injurioſis a quodam Eremita offenſus, duos aut tres ipſi fuſte, quem manu tenebat, impegit ictus.

Q. *An excommunicationem incurrat?*

℟. Si iſte Eremita vivat ſub aliqua Regula ab Eccleſia approbata, & alicui legitimo ſuperiori ſubſit, incurrit; quia favores ſunt ampliandi. Si hoc non ſit, & tantum portet veſtem religioſam ob pium aliquem affectum, non incurrit, quia tunc non fruitur privilegio Clerici.

Caſus V. Sacerdos regularis heri converſatus eſt familiariter cum Parocho excommunicato vitando, de quo hodie ante Miſſam angitur, quia autem judi-

(a) *Vid. Num.* 12.

judicat ſe tantum peccaſſe venialiter, Miſſam celebrat: alia vice commiſit peccatum, cui eſt annexa excommunicatio Papæ reſervata, quod confitetur confratri ſuo communi Confeſſario & ab eodem, cum non ſit caſus Bullæ Cænæ abſolvitur. *Q.* 1. *Quomodo peccaverit converſando?* 2, *an Miſſam celebrando?* 3. *quis poſſit a cenſuris abſolvere?* 4. *an in ultimo bene?*

℞. *Ad* 1. Si in divinis, mortaliter; ſi tantum in civilibus, per ſe venialiter (a). *Ad* 2. Licet tantum in civilibus converſatus ſit, peccavit tamen mortaliter celebrando; debebat enim prius abſolvi ab excommunicatione minore in qua non poterat Sacramentum ſumere. *Ad* 3. a non reſervatis abſolvere poteſt omnis Confeſſarius; a reſervata, qui eam tulit, ejus Superior aut Succeſſor &c. (b) *Ad* 4. Male extra caſum neceſſitatis; quia licet poſſit abſolvere ſæcularem a caſibus Papæ reſervatis, non tamen Regularem, niſi ſit ejus Superior aut ab eo ſpecialiter delegatus.

Caſus VI. Titius legit concionem hæretici cogitans non eſſe librum. 2. legit & libros, quia judicat in ſe non eſſe periculum perverſionis. 3. intelligens adhuc non licere ſibi legere, retinet ad ornatum: & gallicos, quos non intelligit: 4. dat habenti licentiam legendi. 5. obtinuit legendi licentiam, ſed legit ex ſola curioſitate.

℞. *Ad* 1. Probabilius peccat graviter & excommunicationem incurrit quia non tam verba, quam mens Legislatoris eſt attendenda: adeſt æquale periculum, & liber exprimitur ut ſpecies principalis. *Ad* 2. Peccat graviter & incurrit excommunicationem, quia non ceſſat finis adæquatus: nec ceſſat periculum univerſaliter (c). *Ad* 3. Adhuc peccat, & incurrit detinendo, quia

(a) *Vid. Num.* 14. (b) *Vid. Num.* 9.
(c) *Vid. Num.* 28.

quia finis partialis eſt, ut tales libri omnino aboleantur in odium authorum (a). *Ad* 4. Si non abdicet dominium, adhuc incurrit, quia reipſa retinet apud alium. *Ad* 5. Si licentia ſit ſimpliciter data, non peccat graviter; quia licentia tollit prohibitionem, ſi additum ſit: *ad effectum; errores* ſcilicet, *& hæreſes confutandas* &c. ſi paſſim legat ex ſola curioſitate, videtur peccare graviter, quia in re gravi agit contra mentem concedentis, (modo tamen illa ſit ſeria, & non potius ſit ſtylus) non tamen incurrit excommunicationem; quia adhuc diſpenſatio in tantum eſt valida. Hoc certum eſt, qui advertit mentem dubitationibus concuti, peccat graviter, ſi pergat; nulla enim licentia a periculo labendi eximere poteſt.

Caſus VII. Titius 1. a Nobili accepit titulum ordinationis ſub pacto, ut ſuſcepto Sacerdotio cedat, aut ſaltem nihil ex illo exigat. 2. Factus Sacerdos ſimoniace obtinuit Parochiam. 3. Parochus jungit matrimonio perſonas alienas ſine licentia. 4. Pergit tamen exercere parochialia. 5. Tandem Roma obtinet diſpenſationem ſuper irregularitate, quam in cenſuris celebrans incurrerat, ſed antequam reſcriptum pro executione tradat, pergit functiones peragere. *Quid ad hæc Theologus?*

℞. *Ad* 1. Probabiliter non incurrit ſuſpenſionem, quia pacta illa ſunt irrita, adeoque ſine titulo non ordinatur. *Ad* 2. *per ſecundum, & tertium* incurrit ſuſpenſionem. *Per quartum* fit irregularis (b). *Ad* 5. Non indiget novo reſcripto, ut ad functiones ſuas reſtituatur; quia licet celebrando, & functiones ordinum exercendo peccaverit mortaliter toties quoties, per ſe loquendo, novam tamen irregularitatem non incurrit.

Caſus

(a) *Vid. Num.* 20. (b) *Vid. Num.* 29.

Caſus VIII. Titius Theologus 1. Ludens cum Socio ſclopo, quem vacuum credidit, explodit, & ita offendit ejus oculum, ut videre per eum amplius non poſſit. 2. Sæpe deſcripſit proceſſus criminales Patris ſui Notarii publici. 3. Nuper vidit aliquem ab alio percuti, ex quo mortuus fuit, quod non impedivit, cum facile poſſet. 4. Pernoctans apud Sacerdotem advertit fures in domo, clamavit contra illos, quo factum, ut unus a Sacerdote ſit occiſus, alter captus, ad Judicem delatus, & ad patibulum damnatus. Q. *Quid ſit irregularitas & an in his contracta?*

℞. 1. Irregularitas eſt *Impedimentum Eccleſiaſticum impediens directe & primario ſuſceptionem Ordinum, ſecundario Ordinum ſuſceptorum uſum*: (a) alia eſt ex delicto, alia ex defectu (b). ℞. 2. *Ad* 1. non incurrit; quia mutilatio debet eſſe talis, ut membrum phyſice ſeparetur (c): nec incurrit in ſecundo; quia cooperatio non fuit ab habente officium (d): nec *in tertio*, ſed tantum peccavit contra charitatem. *In quarto*, ſi clamaverit animo, ut occiderentur, incurrit; niſi fecerit propter ſui corporis periculum. Sacerdos occidens, ſi prudenter timuerit periculum vitæ nec alia via V. G. clamando ſe potuerit juvare, non incurrit: ſecus, ſi potuerit; quia exceſſit moderamen. Si detulerit ad Judicem, ut ſua reciperet, non fit irregularis; ſi ut vindictam poſtularet, ſecuta morte, eſt irregularis.

Caſus IX. Cajus relictis ſtudiis dat nomen militiæ, qua dein relicta repetit ſtudia, & ad Ordines aſpirat. Q. *An diſpenſatione in irregularitate indi-*

(a) *Vid. Num.* 36. (b) *Vid. Num.* 37.
(c) *Vid. Num.* 38. (d) *Vid. Num.* 37.

indigeat, & an a Regulari diſpenſari pòſſit? Nam 1. dubitat, an bellum, in quo pugnavit, fuerit juſtum? 2. an jaculando aliquem occiderit? 3. an aliquem, cui ictum dedit, mutilaverit? 4. ſemel cum Sociis aggreſſus eſt viatorem; quem ſocii ita vulnerant, ut ex poſt mortuus ſit: ipſe autem ictum ſaltem lethalem non dedit. *Denique* infirmo contra præſcriptum Medici vinum porrexit, quo hauſto brevi mortuus eſt.

℞. 1. Miles, qui nullum propria manu occidit, vel mutilavit, & de licentia abivit, non indiget diſpenſatione: irregularitas, quam habent milites ob juramentum militare, tollitur obtenta licentia. 2. Bellum in dubio poteſt judicari fuiſſe juſtum; hinc non incurrit, dum de occiſione dubitat. 3. Ob mutilationem dubiam non eſt irregularis; jus enim loquitur de dubio homicidii injuſti (a). 4. Ob quartum eſt irregularis, quia comitando alios animoſiores fecit, ideoque cooperatus eſt ſaltem moraliter. 5. *In ultimo,* niſi conſcientia invincibiliter erronea excuſaverit, peccavit graviter, & incurrit irregularitatem ex delicto. 6. Regulares non poſſunt cum ſæcularibus diſpenſare in ulla irregularitate; quia nullibi hoc reperitur conceſſum.

Caſus X. Cajus Coloniæ ſtudens Theologiæ commiſit crimen inducens infamiam juris, quod dum paulatim divulgari advertit, abiit in patriam ſuam diſſitæ Diœceſis, ubi de hoc crimine nihil conſtat. *Q. An ibidem ſuſcepturus Ordines debeat ſe habere pro irregulari?*

℞. Non debet: Ubi enim delictum infame non eſt publicum, ibi delinquens non eſt actualiter infamis, adeoque nec ex infamia irregularis; ſi tamen adſit probabile periculum publicationis, debet abſtinere ab Ordinum ſuſceptione, aut diſpenſationem petere tum ra-

(a) *Vid. Num.* 38.

tione ſcandali, quod forte oriretur, tum ob irregularitatem contrahendam, tum quia irregularitas ex infamia non tantum prohibet Ordines ſuſcipere, ſed & eorum actus exercere.

Caſus XI. Moritur 1. Titius non electa ſepultura, quem relicta ejus uxor vult ſepeliri in Eccleſia Regularium, ſed reſiſtente fortiter Parocho permittere debuit, ut ſepeliretur in Parochiali. Moritur 2. uxor, & electa ſepultura ſepelitur in Eccleſia Regularium, in qua & diem ſeptimam ac triceſimam ſolemniter celebrari curat ejus filius. Contra hoc ultimum proteſtatur Parochus; & quia primum impedire non poteſt, jura funeralium notabiliter auget: dumque funus comitatur, ingreditur Eccleſiam, ibique alte cum ſuis orat: *miſerere.* Infirmatur 3 Cajus, & Matrici Eccleſiæ intendit facere legatum, ſed a Religioſo Confeſſario perſuaſus legat Monaſterio. Q. *an in his bene?*

℞. *In primo* Non bene; ſæculares enim poſſunt ſibi eligere ſepulturam in Eccleſiis quibuscunque Regularium (a), & ſi defunctus non elegerit, poſſunt hæredes vel Curatores funeris ex conceſſione Pii V. aliorumque Pontificum. *Ad* 2. ℞. Valde male egit Parochus in primo, male & in ſecundo: contra primum eſt Bulla *Urbani VIII. Nuper pro parte*: contra ſecundum *Clementis X. Alias pro parte*, quamvis ex nimia conniventia vel incuria poſſeſſio alicubi ſit contraria. *Ad* 3. Graviter peccat; quia prohibitum in *Clement.* 1. *de privil.*

Caſus XII. Religioſus extra Conventum moritur: Cajus ſæcularis ſed commenſalis in Conventu moritur: in quo & ſubito moritur Titius caſu

(a) *Vid. Num.* 41.

caſu ad Monaſterium veniens. Dubitatur, ***ubi hi ſint ſepeliendi?***

℞. Primus ſi ad Conventum commode deferri poſſit, poteſt Parocho inconſulto ſine aliqua ſolutione jurium deportari (a). Secundus indubie in Monaſterio, quia commenſalis. De tertio dubitatur: videtur ſepeliri debere, ubi alias ſepeliendus erat; ſed Parochus non niſi ante januam Monaſterii officium ſuum incipere debet.

(a) ***Declar. Card. 2. Julii anno 1620.***

TRACTATUS III.

DE
STATU RELIGIOSO,
BENEFICIIS, ET IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

DISSERTATIO I.

DE
STATU RELIGIOSO.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid ſit ſtatus Religioſus, & quæ conditiones ad validam profeſſionem requirantur?*

D. 1. Status Religioſus eſt *ſtabile inſtitutum ab Eccleſia approbatum, tendens ad perfectionem Chriſtianam per tria vota: paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, quibus homo ſe ſuaque omnia Deo conſecrat ad ejus cultum irrevocabiliter;* unde vocantur Religioſi, ſeu ad Dei obſequium & cultum (quem Religio reſpicit) ordinari.

Reſ. 1. Ad ejus eſſentiam requiruntur 1. tria iſta vota, quæ ſubſtantialia vocantur. 2. Ut inſtitutum ſit a Papa approbatum. 3. Ut homo ſe per vota Superiori

periori Ordinis tradat irrevocabiliter, ſaltem ex parte ſua, isque traditionem acceptet. *Additur: ſaltem ex parte ſua;* quia emittentes vota ſimplicia in Societate JESU ſunt veri Religioſi, & tamen ex parte Societatis acceptatio eſt revocabilis ex gravi cauſa.

(2) *Reſ.* 2. Religioſus vi ſuæ profeſſionis ſub peccato mortali tenetur tendere ad perfectionem; quod nemo negat: hæc tamen obligatio non videtur eſſe diſtincta ab obligatione votorum, Regulæ, & Conſtitutionum ſuæ Religionis, ſicut obligatio obediendi Deo, ei placendi, ad ipſum ut finem ultimum tendendi non eſt diſtincta ab obligatione ſervandi mandata Dei. Conſiſtit autem perfectio præcipue in amore DEI ſuper omnia, ad cujus alimentum & incrementum dirigunt exercitia a Regulis ac ſtatutis præſcripta, ſi, ut decet, ſerventur.

Reſ. 3. Peccat mortaliter 1. qui tantum vult ſervare ea, quæ ſub mortali obligant; hoc enim propoſitum directe opponitur perfectioni acquirendæ. 2. Qui ex conſuetudine vel levitate quaslibet regulas ac ſtatuta, etſi de ſe non obligantia, in Religione ſua præſcripta negligit; præſcindendo enim a gravi ſcandalo & damno, quod ſuo malo exemplo infert diſciplinæ, talis vere non tendit ad perfectionem: quod magis verum eſt, ſi non curet meditationem, examen conſcientiæ, lectionem ſpiritualem &c.; quia hæc ad finem perfectionis Religioſæ magis ſunt neceſſaria: ideoque tales ſunt in ſtatu peccati mortalis, quamdiu retinent hanc conſuetudinem,

Reſ. 4. Obligantur Superiores ſub mortali, procurare, & conſervare obſervantiam Regularem & diſciplinam Religioſam, prout Regula & conſtitutiones eandem præſcribunt: hinc connivendo etiam in levioribus facile peccare poſſunt mortaliter, ſi ex reſpectu humano, ex deſidia, aut quia in iisdem & ipſi culpa-

biles ſunt, non corrigant eos, qui V. G. ſilentium liberius frangunt, otio torpent, ad Chorum ſegnius accedunt, curioſitatibus vacant, potum ſectantur &c. Hæc enim & ſimilia, ſi frequenter & impune fiant, nec cum debito conatu præpediantur, paulatim diſciplinæ regulari damnum notabile inferunt etiam pro futuro; ergo indubie graviter peccat, qui illud non impedit, dum ex officio debet: hujus obligationis Confeſſarii Superiorum, ſi eos opportune & diſcrete non moneant, cum iis culpam contrahunt.

(3) *Reſ.* 5. Peccat graviter filius ingrediendo Religionem, ſi parentes graviter egeant ipſius ſubſidio; prævalet enim præceptum naturale pietatis ſuccurrendi parentibus, modo ſit certa ſpes juvandi. Non eſt autem eadem obligatio erga fratres & ſorores; cum non ſit ſimilis dependentia. Cæterum poteſt ingredi, etſi contradicant parentes; quia quilibet habet libertatem amplectendi ſtatum, ad quem ſe a Deo vocatum judicat. *Sed quid ſi jam profeſſus ſit, & parentes graviter egeant?* ℟. 1. Si parentibus in gravi neceſſitate conſtitutis ingreſſus eſt, tenetur egredi, ſi aliter ſubveniri iis non poſſit: quia ingredi non poterat obligatione ſubveniendi jam contracta. ℟. 2. Si poſt filii profeſſionem parentes in egeſtatem inciderint, non tenetur egredi; quia jam mutavit ſtatum; ergo illi obligationi ſupervenienti non tenetur ſatisfacere, niſi quantum poteſt ſalvo ſtatu: ſicut ſi eſſet matrimonio junctus, non teneretur deſerere uxorem, ut ſuccurreret parentibus. Quinam autem, & quo modo ad Religionem admittendi ſint, ex particularibus Ordinis conſtitutionibus potiſſimum pendet, & ſatis colligitur per decurſum.

Reſ. 6. Qui vi, metu, fraude ad Religionem aliquem inducit, peccat mortaliter contra Religionem & juſtitiam: & qui puellam aut viduam ſic inducit, incurrit

(a) *ex Trid. Seſſ.* 25. *cap.* 18. *de Reg.*

currit excommunicationem (a), quæ tamen reſervata non eſt. De impediente ab ingreſſu vide *de reſtitutione in fine.*

(4) *D.* 2. Ad validam profeſſionem tres requiruntur conditiones. 1. *Ex parte voventis*, ut ſit baptizatus, ſui juris, ut annum decimum ſextum ætatis mathematice compleverit, (a) per annum integrum poſt ſuſceptum habitum in probatione fuerit (b), & nullum habeat impedimentum, quod per ſtatuta a Pontifice approbata in illo Ordine cenſetur eſſentiale. 2. *Ex parte Ordinis*, ut Superior, ad quem ſpectat, cum conſenſu majoris partis Capituli conſentiat in profeſſionem, & voventem recipiat. 3. *Ex parte profeſſionis*, ut ſit ſpontanea, gravi metu injuſte incuſſo aut fraude non extorta.

Reſ. 1. Annus probationis debet computari a momento ad momentum; quia lex determinavit tempus: debet eſſe continuus, moraliter non interruptus; alias debet de novo inchoari; *Trid.* enim ad valorem requirit annum continuum; interrumpitur autem ab eo, qui dimiſſo habitu egreditur animo non revertendi, licet poſt horam revertatur.

Reſ. 2. Si Novitius cum licentia Superiorum ſanitatis, vel negotiorum cauſa etiam per aliquot menſes moretur extra monaſterium, vel ægrotet, non interrumpitur Novitiatus: ſed nec tunc, ſi Superior Novitium indutum veſte ſæculari cras volebat dimittere, ſed mox mutata mente veſtes Ordinis ei reddat: aut ſi Novitius ex intentione abeundi clam dimittat habitum, ſed Monaſterio nondum relicto iterum reinduat, non indigebit novo Novitiatu; quia interruptio non cenſetur completa, niſi accedat Superiorum dimiſſio, vel monaſterii egreſſio.

(a) *Trid. Seſſ.* 25. *cap.* 15. *de Reg.* (b) *Ibid.*

Reſ. 3. Novitio ejecto vel exeunti omnia, quæ ſecum tulit, & quæ parentes vel conſanguinei ex ejus bonis (intellige: in tanta quantitate, quæ liberum ejus egreſſum impedire poſſit) monaſterio donarunt, a Tridentino (a) ſub anathemate reddi jubentur: reddi etiam debet pretium habitus, quanti æſtimatur tempore diſceſſus.

Reſ. 4. Si Novitius moriatur ante profeſſionem, & dos jam ſoluta ſit, reſtitui debet hæredibus, niſi Novitius, in quantum ſui juris erat, ante mortem aliter diſpoſuerit.

Reſ. 5. In probabili periculo mortis valet profeſſio ante expletum novitiatum quoad indulgentias plenarias, & alias gratias ſpirituales; ideoque & gaudet ſuffragiis Profeſſis debitis, modo annum ætatis decimum ſextum compleverit: reconvaleſcentem tamen non ſtringit, niſi lapſo probationis termino ſponte repetatur, ante quem, ſi moriatur, monaſterium non ſuccedit in bonis Novitii; quia tantum in ſpirituale ſolatium hoc indulſit Pius V.

(5) *Reſ.* 6. Si profeſſio fuerit nulla ex defectu V. G. ætatis, poteſt ratificari; attamen hæc ratificatio non fit ab illo, qui non ſcivit nullitatem (b); quia ignorantis nullus eſt conſenſus, niſi expreſſe velit ipſam eſſe ratam, etſi ab initio fuiſſet nulla. In rigore ab utraque parte tam monaſterii, quam invalide profeſſi deberet fieri ratificatio: adeoque ex parte utriusque interveniſſe notitia impedimenti, prout de revalidando matrimonio dicetur; attamen ratificationem ex parte monaſterii videtur ſupplere Eccleſia, dum eum, qui non reclamat intra quinquennium, habet pro profeſſo, nulla facta mentione novæ acceptationis ex parte Superiorum. Poteſt autem hæc ratificatio fieri vel ex-

expreſſe

(a) *Seſſ.* 25. *c.* 16. *de Reg.*
(b) *Vid. part.* 2. *Tract.* 2. *n.* 43. *Q.* 1. *n.* 43.

preſſe vel tacite, dum ſciens prioris nullitatem exercet actus ſolis Profeſſis proprios, ſuffragando V. G. in Capitulo.

Reſ. 7. Invalide profeſſus, ſi de invaliditate conſtet, nec profeſſionem ratificaverit, poteſt contra illam reclamare ſervata forma a Trid. præſcripta (a) & iis, quæ ſancivit Papa Benedictus XIV. (b).

(6) *Reſ.* 8. Qui occultat impedimentum, quod in illa Religione cenſetur eſſentiale, peccat graviter contra juſtitiam; adeoque facta profeſſione poteſt ejici, ad quod ſufficit Conſtitutiones de ſimilibus ejiciendis eſſe approbatas a S. Sede, & cuilibet fuiſſe intimatas ante profeſſionem: iterum tamen ſervanda eſt forma præſcripta; pro cujus notitia dicta conſtitutio in caſu occurrente attente legi debet.

Reſ. 9. Novitius gaudet omnibus Privilegiis Religionis, & in favorabilibus venit nomine Religioſi: ſic habet privilegium canonis & fori, particeps eſt omnium indulgentiarum & privilegiorum ipſi adaptabilium.

Reſ. 10. Beneficium, ſi quod habuerit, tempore Novitatus retinet, illique debentur omnes fructus beneficii aſſignata deſervitori congrua portione (c).

Reſ. 11. Non obligatur ad Regulam & Statuta Ordinis: quia ad illorum obſervantiam per profeſſionem ſe nondum obſtrinxit: congruum tamen eſt, ut illa obſervare diſcat, ſecus dimitti meretur, cum nil boni ſperari poſſit; poteſt puniri, ſi transgrediatur; quia ſubeſt regimini, quamdiu vult in Religione manere.

Reſ. 12. Valide confitetur Confeſſario ſæculari, vel Regulari ab Epiſcopo approbato; in odioſis enim habetur

(a) *Seſſ.* 25. *cap.* 19. *de Reg.*
(b) *Anno* 1748. 4. *Martii. Conſtit. ſi datam.*
(c) *Cap. beneficium* 4. *de Regul. in* 6.

betur ut laicus, nec eum afficit reſervatio caſuum in Ordine præciſe.

Reſ. 13. Ante profeſſionem poteſt quovis tempore de bonis ſuis liberis diſponere per teſtamentum vel diſpoſitionem mortis cauſa, non autem diſpoſitione inter vivos rem magni momenti donando, debitum notabile remittendo &c. niſi duobus menſibus ante profeſſionem, & quidem cum licentia Epiſcopi aut ejus Vicarii. (a) *Ratio eſt:* quia prima, cum pro libitu revocari poſſit, non lædit libertatem redeundi ad ſæculum, quod facit ſecunda, cum ſe deſtitutum videat ſubſidiis.

(7) *Reſ.* 14. Profeſſus poteſt tranſire ad Ordinem ſtrictiorem & obſervantiam auſteriorem (b): hic tamen tranſitus non eſt laudabilis; monet enim Apoſtolus (c), *ut unusquisque, in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat;* & parum prodeſſe probat experientia. Ut validus ſit, requiritur 1. ut petatur licentia a Prælato, qui debet eam ponderare, & ſpiritum probare, an ſit ex puro zelo majoris perfectionis; quia ſæpe eſt ex levitate, vel paſſione aliqua, quod præſumitur, ſi rixa, vel ſimile quid præceſſerit. Si invenerit a DEO eſſe, obligatur dare licentiam, ſi conſtet, quod Religio, ad quam vult tranſire, velit eum recipere; ſi injuſte neget, hoc ipſo jus concedit *T. C.* 2. Indiget novo Novitiatu; quia novi Monaſterii vel Ordinis aſperitates nondum probavit, nec Ordo vel Monaſterium ipſius mores.

Reſ. 15. Profeſſio Religioſa 1. extinguit omnia vota ſaltem perſonalia ſimplicia prius emiſſa. (d) 2. Aufert irregularitatem ex defectu natalium ad ſuſcipiendos Ordines, non Prælaturas & dignitates (e). Neque tollit

(a) *Trid. Seſſ.* 25. *de Reg. c.* 16.
(b) *Cap. licet de Reg.* (c) 1. *Cor.* 7. *v.* 20.
(d) *Cap.* 4. *de Vot.* (e) *Cap.* 1. *de Filiis Pres.*

tollit irregularitates ex aliis defectibus vel culpis ortas. 3. Remittit pœnam peccatis quoad culpam remiſſis debitam ex opere operantis utpote opus præſtantiſſimum.

QUÆSTIO II.

(8) *Quomodo Religioſum obligant tria Vota?*

D. 1. Propter votum Paupertatis peccat quicunque Religioſus pro ratione materiæ, quoties absque licentia ſui Superioris accipit, uſurpat, conſumit, alienat, aut alio modo diſponit de re aliqua temporali, aut de illius uſu; hæc enim indicant proprietatem, & per votum privavit ſe facultate etiam accipiendi aliquid ab amicis, vel utendi rebus de ipſorum etiam voluntate independenter a voluntate Superiorum.

Reſ. 1. Poteſt uti rebus ſibi convenientibus de licentia Superiorum, ſed omni momento debet eſſe paratus exui ipſo uſu, ſi Superior juſſerit, hinc.

Reſ. 2. Peccat, ſi aliquid abſcondat, ne a Superiore auferatur, aut ne licentia revocetur, niſi habeatur cum licentia Superioris Majoris, & timeat, ne Superior immediatus male ferat, recurſum fuiſſe ad Superiorem, vel ne revocari curet.

Reſ. 3. Peccat, ſi ad pecuniam pro ſuis neceſſitatibus apud Superiorem depoſitam recurrat ut ſuam, vel ut ſibi debitam, murmuret, ſi eam Superior dare difficultet &c. Paupertas enim requirit, ut quis alieno vivat, utatur, & quidquid uſibus ſuis conceſſum eſt, alienum reputet: nec permittit, ut aliquid velut in particulari debitum poſſideatur etiam apud Superiorem.

(9) *Reſ.* 4. Peccat, qui pecuniam V. G. in certum uſum conceſſam conſumit in uſum diverſum, præſertim, ſi probabiliter in hunc uſum negaretur licentia.

Reſ.

Reſ. 5. Peccat quicunque, etiam Superior, ſi rebus, quibus utitur, non utatur ea moderatione & diligentia, quam prudentes communiter adhibere ſolent, ſi abutatur V. G. veſtibus, candelis, ligno, charta, libris &c. Qui hæc & ſimilia negligenter cuſtodit, prodige adminiſtrat, diſſipat, inutiliter conſumit, tenetur ad reſtitutionem damni. Subditi nonniſi uſum facti habent, alii adminiſtrationem, ſed nonniſi modo paupertati congruo.

Reſ. 6. Peccat, qui ex rebus communibus vel ſibi ad uſum conceſſis aliquid dat etiam mutuo vel commodato; eſt enim actus veri dominii, præſertim ſi extraneis detur; dicunt quidem, ſi detur ad breve tempus, & cum certa ſpe recuperationis, vix eſſe materiam gravem; ſed experientia docuit quoad libros commodatos ſæpe eosdem periiſſe, ideoque Superiores merito ſunt, & debent eſſe contrarii.

(10) *Reſ.* 7. Non peccat, qui aliquid accipit ſub conditione: ſi Superior approbet; nec ſi volentem mihi aliquid donare rogem, ut det conſanguineo V. G. meo; quia tunc mihi nihil donatur, ſed alteri me petente.

Reſ. 8. Peccat, ſi dominium apud donantem relinquat, ipſe vero re utatur, quia uſus ſine licentia repugnat voto paupertatis. Peccat, ſi cibos, aut vinum, quod ſibi ſubtraxit, det aliis etiam pauperibus ſine omni licentia; manent enim in bonis Monaſterii.

Reſ. 9. Si accipiat, retineat, abſumat aliquid ex bonis conventus, committit ſacrilegium contra votum, & furtum ſimul; quia contrectat rem alienam invito rationabiliter Domino. Idem eſt, ſi aliquid ab extraneo donetur; quia ſtatim acquiritur Monaſterio. Si autem maneat ſub dominio extranei, eſt contra votum, ſed non furtum. Si ab extraneo accipiat, quod

erat

erat ſibi a communitate dandum, facile præſumitur licentia.

(11) *Reſ.* 10. Si plura modica recipiat, vel expendat usque ad materiam gravem, peccat mortaliter, quia hæc uniuntur in ratione gravis damni, ſicut plura furta. Id tamen in eſculentis & poculentis ordinariis, ſi ipſemet ea conſumat, vix continget; quia Superior non eſt graviter invitus: aliud eſt, ſi dentur extraneis: ſi furtive pretioſiora auferat: ſi vinum, ubi pretio comparatur, etiam ipſemet conſumat.

Reſ. 11. Materia gravis cenſetur, quæ eſt talis in filiis reſpectu parentum; habent enim ſe Religioſi reſpectu Conventus, ad quem pertinent, ut filii. Hinc major requiritur quantitas ad mortale, & quidem major in iis, quæ ab extraneis oblata ſunt intuitu perſonæ, aliunde indebita, quam quæ a Monaſterio ſurripiuntur: minor econtra in iis, quæ dantur extraneis, quam quæ ſuis uſibus applicat, vel dat Religioſis ejusdem Conventus. Minor, ſi detur ex bonis Monaſterii communibus, quam ſi ex peculio ſibi aſſignato, quia, ubi major vel minor fit Monaſterio injuria & damnificatio, etiam magis aut minus inviti cenſentur Superiores: ideo major omnimode in uſu extraneorum, ubi annexa non eſt malitia furti In Ordine noſtro Min. Conventualium materia ad peccatum mortale ſufficiens valde reſtricta eſt; nam proprietas & furtum ad valorem trium Juliorum aſcendens eſt Caſus Guardiano reſervatus. *Conſtit. in cap.* 7. *Reg. tit.* 1. Julius autem valet 9. Stufferis.

Reſ. 12. Si Religioſus ſine omni licentia comedat, aut bibat apud exteros, peccat contra paupertatem, ſed vix unquam mortaliter; quia hæc materia cenſetur levis, & Superiores non ſunt quoad rem ipſam multum inviti, cum nullum damnum inferatur monaſterio.

Reſ.

Reſ. 13. Reſtitutio a Religioſo fieri poteſt, vel ex peculio ſibi conceſſo, ſi habeat, vel labore extraordinario ſibi tamen proportionato, vel extraordinariis ſaltem ſe quandoque privando.

(12) *Reſ.* 14. Sufficit quandoque licentia rationabiliter præſumpta: (de qua infra, ubi de dominio Religioſorum) quia talis non diſponit nomine proprio, ſed dependenter a voluntate Superioris; qui autem ex præſumpta accepit, ſi res adhuc extet, tenetur ex poſt Superiori inſinuare; quia non tantum ad recipiendum, ſed & ad retinendum requiritur licentia. Non ſufficit licentia præſumpta Superioris Majoris; cum enim ad hos non ſoleat fieri recurſus, niſi in gravioribus, præſumi debent, velle, ut ſubditi ſine immediati Superioris licentia nil agant.

Reſ. 15. Non excuſatur, ſi licentia injuſte negetur; quia adhuc agit independenter a voluntate Superioris; ergo nomine proprio.

Reſ. 16. Si Superior ſubdito permittat aliqua quocunque titulo provenientia ad uſus ſuperfluos, aut ſtatum paupertatis dedecentes, nimis pretioſa V. G picturas, horologia &c., uterque peccat contra paupertatem cum onere reſtitutionis; ſicut enim ipſe Superior licite taliter diſponere non poteſt, ſic nec ſuis licentiam dare, etſi Conventus conſentiat; quia de ſe repugnant paupertati, quam non ſufficit ſervare quoad ſubſtantiam nil habendo ut proprium independenter a licentia; ſed ſervari debet etiam quoad modum in ſua Religione approbatum ſecundum profeſſionem paupertatis magis vel minus rigoroſam; attentis tamen circumſtantiis perſonarum, loci, legitimæ conſuetudinis &c. Interim ſalva decentia expedit Superiorem magis inclinare in liberalitatem, quam parſimoniam, ne ſubditi ſibi ipſis ſub prætextu neceſſitatis varias commoditates clanculo procurent.

Reſ.

Reſ. 17. Sine licentia ſalva paupertate poſſum legere Miſſam rogando, ut ſtipendium detur amico; quia non do, niſi ſpirituale, cujus habeo dominium.

Reſ. 18. Non poſſum dare manuſcripta mea, ſicut nec librum choralem, quem ſcripſi, nec picturam, quam pinxi: quia ſtatim acquiritur Monaſterio. Si tamen alter pergamenum dederit, materiam ſubminiſtraverit, & in hujus gratiam ſcripſerim, pinxerim, poſſum ei donare; ſum enim dominus mei laboris & artis, quæ gratis exhibere poſſum. Idem dic de Moniali faciente V. G. ſcapularia ex materia ab extraneo ſubminiſtrata. Attamen Converſi præſertim peccare poſſunt contra obedientiam, ſi ſic laborem Conventus negligant.

Reſ. 19. Si ſæcularis det mihi pecunias inter pauperes V. G. diſtribuendas, poſſum facere; quia tantum operam meam exhibeo, & nullum (ut ſuppono) emolumentum temporale inde habeo.

Reſ. 20. Tacitus eſt conſenſus conferendi omnia mea manuſcripta, dum ad alium Conventum mittor: non libros omnes, quos de licentia Superiorum comparavi. De his plura L. C.

(13) *D.* 2. Ex voto caſtitatis tenetur Religioſus 1. abſtinere a conjugio: 2. ab omni actu in - & externo, qui ſit contra caſtitatem, & ab omni eo, quod per ſe, vel ex particulari diſpoſitione caſtitati repugnat, & libidinis proximum præbet incentivum: eſtque ſimul ſacrilegium in Religioſo, mortale, vel veniale, prout caſtitati graviter vel leviter adverſatur.

(14) *D.* 3. Ex voto obedientiæ tenetur 1. ſervare regulam & conſtitutiones ſecundum vim obligationis in unaquaque Religione receptam: licet autem Regula vel Conſtitutio per ſe ſub peccato non obliget, in praxi tamen

tamen raro ſine peccato fit deliberata transgreſſio. 2. Tenetur obedire Superiori competenti in omnibus, quæ cadere poſſunt ſub virtute obedientiæ; qualia ſunt, quæ directe pertinent ad Regulam: & quæ reputantur moraliter neceſſaria ad cavenda peccata, ad ſervanda vota & Regulas inſtituti: idque ſub mortali, ſi materia ſit gravis, & id ſe intendere Superior ſatis declaret; ut ſi præcipiat in virtute obedientiæ, ſub excommunicatione &c. ſi autem tali forma non utatur, nec aliud aliunde conſtet, cenſetur obligare tantum ſub veniali, aut etiam ſub nullo, ſed ſolum conſulere, & ſuum deſiderium indicare. Si autem præcipiat aliquid ſupra Regulam, V. G. extraordinarias, vel delicto non proportionatas nec ad obſervationem votorum neceſſarias mortificationes, non tenetur obedire *per ſe loquendo*: ſicut & ſi inutilia, niſi forte hæc præcipiat ad exercitium obedientiæ ſecundum Regulam; quia per votum obedientiæ ad iſta ſe non ſubjecit. Dum autem in Regula dicitur, in omnibus obediendum eſſe Superiori, intelligitur, in omnibus neceſſariis & conformiter inſtituto injunctis.

QUÆSTIO III.

(15) *Quid, & qualis ſit obligatio Clauſuræ apud Regulares?*

D. 1. Prohibitus eſt ſub gravibus pœnis ingreſſus mulierum non exemptarum in clauſuram Religioſorum. Patet ex Bullis priv. *Regularium Perſonarum.* Gregorii XIII. *Ubi gratia.*

Reſ. 1. Sub clauſura comprehenduntur habitacula interiora Monaſterii, imo & horti intra ſepta: comprehenditur ſacriſtia, ſi non ſit in eam ingreſſus, niſi per clauſtra Monaſterii: ſecus, ſi & per Eccleſiam; tunc enim cenſetur hujus pars.

Reſ.

Reſ. 2. Excipiuntur Reginæ, Duciſſæ, & Fundatrices, earumque pediſſequæ: in Germania admittuntur Comitiſſæ; imo clauſura ſemel aperta, quævis aliæ. Quamvis & hæc valde limitata ſint per Bullam Benedicti XIV. *Regularis diſciplinæ.* dat. 3. Jan. 1742.

Reſ. 3. Ingredientes ipſo facto incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, uti & Religioſi introducentes, vel admittentes, qui inſuper incurrunt ſuſpenſionem a divinis, privationem officiorum, & inhabilitatem ad ea.

Reſ. 4. Introducit, qui portam aperit, clavem præbet, ingreſſum conſulit: & ſi clauſuræ cuſtodiam habeat, ut Superior aut janitor, ſi tantum permitat, aut ingreſſam non expellat; hi enim ſunt cauſæ morales ingreſſus.

Reſ. 5. In Proceſſionibus, Miſſis, aliisque divinis officiis, dum intra clauſtra fiunt, ingredi permittuntur: uti & dum tantus eſt populi concurſus, ut Eccleſiæ porta non ſufficiat ad commodum in - & egreſſum: modo arceantur ab officinis interioribus.

Reſ. 6. Conſuetudo contraria rationabilis in Germania (ubi non eſt tantum periculum) contra rigorem clauſuræ prævalere poteſt, *de qua mox infra,*

(16) *D.* 2. Omnes Moniales vere Religioſæ obligantur ad perpetuam clauſuram, niſi ex fundatione aut contractu legitimo obligentur ad curam vel obſequium infirmorum. *Patet ex cap. Periculoſo de Statu Reg. in* 6. *Ex Bullis variorum Pontificum. Imo ex Trid. Seſſ.* 25. *de Reg. c.* 5. *Nec obeſt*, quod clauſuram profeſſæ non ſint; quia tanquam apprime utilis ad obſervantiam caſtitatis promiſſæ percipi poteſt, includiturque in voto obedientiæ. *Dixi: niſi ex fundatione &c.*; quia cum clauſura tantum ſit juris humani, non poteſt derogare juri naturali orto ex fundatione vel

 con-

contractu legitimo: attamen & hæ merito ad clauſuram adſtringendæ ſunt permittendo egreſſum tribus vel quatuor, quantum requiret neceſſitas.

Reſ. 1. Monialis ſine licentia in ſcriptis obtenta extra clauſuram egrediens, Superior ſine juſta cauſa concedens, & omnes, qui eam ſic egreſſam recipiunt, vel comitantur, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ipſo facto ſine ulteriori declaratione: Superior inſuper fit inhabilis ad omnes dignitates & officia, & aliis quibuscunque habitis privatur; ita Pius V. (a).

Reſ. 2. Licentiam egrediendi dare poteſt Epiſcopus etiam exemptis (b); qui authoritate Apoſtolica poteſt illis ſtrictam clauſuram præcipere, & quoad clauſuram viſitare, quam & pro poſſibili promovere debet. Eandem licentiam dare poſſunt Superiores Regulares quood Monaſteria ſibi ſubjecta in caſibus neceſſariis, alias non (c).

Reſ. 3. Cauſæ, ob quas Moniales exire poſſunt, ſunt: periculoſum incendium, peſtis, epidemia, lepra vel ſimilis morbus contagioſus, aut alia cauſa æque gravis, vel gravior, ut inundatio, incurſus hoſtium præſertim hæreticorum vel infidelium: imo ſatis probabiliter gravis morbus, a quo in Monaſterio curari non poſſint; quia defendere ſe contra morbum eſt juris naturalis, & leges humanæ non obligant cum periculo vitæ; ſed non facile practicandum. Permittit etiam Clariſſarum Regula exitum ob regimen alterius ejusdem Ordinis Monaſterii, illiusque correctionem, reformationem, ædificationem, aut ſi totus Conventus mutet habitationem. Cauſa aſſiſtendi matri infirmæ, aut ſimilis non ſubſiſtit.

(17)

(a) *in Conſtit. Decori.*
(b) *Pii V. conſtit. Cum Paſtoralis.*
(c) *Conſtit. Bened. XIV. Salutare* 3. *Jan.* 1744.

(17) *D.* 3. Ingreſſus in clauſuram Monialium ſine licentia in ſcripto obtenta ſub graviſſimis pœnis eſt prohibitus omnibus utriusque ſexus perſonis, niſi excuſet neceſſitas. Ita habet *Bulla Pii V.* & *Trid. loco citato.*

Reſ. 1. Pœna eſt excommunicatio, *ut ſupra.*

Reſ. 2. Omnibus non ſolum viris, ſed & fœminis prohibitus eſt; non tamen pueris ante ſeptennium: attamen ſaltem ob tumultum evitandum frequens ingreſſus non eſt permittendus. Amentes non ſunt admittendi; quia ad peccatum movere poſſunt, quod impedire intendit Tridentinum (a).

Si dicas: Etiam infantes maſculi Monialibus, & fœmellæ Monachis poſſunt eſſe occaſio peccandi per tactum V. G. ℟. Poſſunt per ſe & proxime. *n.* remote & per accidens ex malitia hujus vel illius. *c.* Communiter ad infantes non habetur affectus libidinoſus.

Reſ. 3. Excipiuntur Reges, Reginæ &c. *ut ſupra.*

Reſ. 4. Neceſſitas excuſat, non quævis utilitas: unde poſſunt ingredi opifices neceſſarii pro reparando, aut conſtruendo ædificio, pro fodienda terra, aperiendo ſepulchro &c. *Item* Viſitator, ut munus ſuum obeat, idque cum duobus, vel tribus ſociis Religioſis: Confeſſarius ut infirmis tum in Sacramentorum adminiſtratione, tum in morte aſſiſtat: imo quoties ex mera devotione confiteri vel communicare petit infirma, & probabiliter ut Miſſam audiat, diebus Feſtis, & Dominicis celebrare in infirmaria, ſi hæc extra fieri non poſſint. *Similiter* Medici, Chirurgi, & generaliter omnes, qui requiruntur ad debitam Monaſterii conſervationem & gubernationem, tum corporalem, tum ſpiritualem, & quidem, ſi caſus ſint ordinarii, de licentia Abbatiſſæ fit ingreſſus, ut habet praxis & tacitus conſenſus: ſi autem ſint extraordinarii, requiritur licen-

(a) *Vid. Tract.* 1. *de Leg. Q.* 4.

tia Epiſcopi, ſi ſint illi ſubjectæ; Superioris Regularis, ſi Monaſteria ſint exempta. Eam concedens ſine juſta cauſa graviter peccat, ſed non incurrit excommunicationem, aliasque pœnas, quæ latæ ſunt in ingredientes, non in permittentes intrare in clauſuram Monialium.

Reſ. 5. Finita cauſa ingreſſus ſtatim exeundum eſt; intellige ſtatim moraliter; nam per brevem moram ſe adhuc detinere urbanitatis vel etiam curioſitatis cauſa non videtur illicitum, ſaltem graviter; ſi tamen mora trahatur longa, erit peccatum mortale, ſed non incurruntur cenſuræ, quæ præcipue cadunt ſuper in - & egreſſum ſine licentia. *Interim*

(18) *Obſ.* Quoad modum obſervandi clauſuram, & quoad licentiam in - & egrediendi Monaſteria, attendendæ ſunt conſuetudines receptæ; quia obligatio ſervandi clauſuram oritur ex lege humana; legibus autem humanis per legitimam, conſuetudinem, ſaltem per 10 annos continuatam derogari poteſt ſecuudum omnes: ſic in aliis ſtrictior, in aliis laxior ſervatur clauſura: ſic videmus in - & ingreſſum permitti ex cauſis non ponderoſis: videmus Regulares exemptos Monialibus ſibi ſubjectis licentiam egrediendi concedere, Epiſcopo non requiſito. Hoc certum, peccare graviter Superiores, ſi non conentur ſerio tollere corruptelas, & permittant adeo relaxari clauſuram, ut diſciplina religioſa deſtruatur, vel caſtitas tuta non maneat. Arctius ad clauſuram tenentur Clariſſæ noſtræ, quæ clauſuram ſolemniter in profeſſione vovent juxta præſcriptum Regulæ ſervandam; ideo conſuetudines contrariæ, V. G. exeundi etiam de licentia Ordinarii quomodo corruptelæ non ſint, qui poteſt capere, capiat.

(19) Q. 1. *Quid de fugitivis, Apoſtatis, & habitum dimittentibus?*

℞. 1.

℟. 1. *Fugitivus* eſt, qui ſine Superioris licentia ſponte e Monaſterio diſcedit animo ad tempus vagandi, ſed iterum redeundi. *Apoſtata*, qui fide CHRISTI retenta diſcedit animo nunquam redeundi: ſive hi habitum dimittat, ſive non.

℟. 2. Fugitivos, & Apoſtatas tenentur Prælati Regulares annuatim ſollicite requirere, poſſuntque eos ubicunque capere invocato brachio ſæculari, quod Judices ſæculares in conſcientia præbere tenentur: poſſunt etiam ſuos cenſurare, citare, capere nemine implorato; quia in ſuos ſubditos hanc poteſtatem habent a Papa.

℟. 3. Fugitivis, & Apoſtatis de jure communi non eſt certa pœna ſtatuta ob fugam præciſe, & apoſtaſiam; pœnæ ergo ex propriis ſtatutis Religionum videri debent: ſi tamen moniti intra 15. dies non revertantur, incurrunt excommunicationem latam in *extrav.* (a).

℟. 4. Peccat graviter, qui a ſuo Conventu recedit ſine licentia, etiam ſub prætextu Superiores adeundi (b); talis tamen nec fugitivus, nec Apoſtata eſt, cum nec ad tempus velit ſe a jugo Religionis ſubducere.

℟. 5. Conſulens, recipiens, vel auxilium præbendo poſitive cooperans ad fugam Religioſi, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam.

℟. 6. Religioſus temere dimittens habitum peccat mortaliter & incurrit excommunicationem. (c) *Dixi temere;* id eſt: cauſa evagandi, non ex alia juſta cauſa V. G. balnei, natandi &c. Sic &, ſi de licentia noctu iter faciat, licite dimittit, vel potius occultat, ſi alias prudenter timeat ſcandalum, vel nocere id bono nomini ſuæ Religionis.

(a) 1. *de Reg. int. Comm.*

(b) *Trid. Seſſ.* 25. *c.* 4. *de Regul.*

(c) *Cap.* 2. *Ne Clerici vel Monachi in* 6.

℞. 7. Sine cauſa ad horam dimittere videtur tantum veniale ob parvitatem materiæ per ſe loquendo.

℞. 8. Portare habitum regularem ita abſconditum ſub aliis veſtibus, ut dignoſci non poſſit, eſt per ſe peccatum mortale, & continetur ſub dicta prohibitione; licet enim habitus non dimittatur materialiter; dimittitur tamen formaliter, cum non appareat ſignum diſtinguens a ſæculari vel Clerico, nec adſit juſta cauſa, ut ſupponitur.

(20) Q. 2. *In quibus Regulares exempti ſubſint juriſdictioni Epiſcopi?*

℞. Summatim in ſequentibus: 1. Regulares permanenter extra degentes V. G. ſtudiorum cauſa, ſi deliquerint, puniri poſſunt ab Epiſcopo ut Legato Sedis Apoſtolicæ (a). Apoſtata, & ejectus plene ſubjicitur. 2. Regularis notorie ſcandaloſus populo, ſi inſtante Epiſcopo a ſuo Superiore non puniatur intra tempus ab Epiſcopo præfixum, ab ipſo Epiſcopo puniri poteſt (b). 3. Non poſſunt indulgentias Romæ obtentas promulgare populo citra Ordinarii licentiam & approbationem. 4. Non poſſunt in propriis Eccleſiis exponere ſanctiſſimum Sacramentum publice in Monſtrantia absque conſenſu ſaltem tacito Epiſcopi. (c). 5. Ab Epiſcopo compelli poſſunt, (niſi ſint ſpecialiter exempti) ut ad publicas Proceſſiones accedant, & ſi aliqua de præcedentia ſuboriatur controverſia, brevi manu Epiſcopi eſt componenda remota omni appellatione (d): attamen quælibet pars poteſt poſtea jus ſuum proſequi. 6. Tenentur cenſuras & interdicta ab Epiſcopo promulgata in ſuis Eccleſiis publicare ac ſervare: item dies feſtos, quos Epiſcopus præcepit (e). 7. Regulares curati in iis, quæ ad curam & Sacramen-

(a) *Trid. Seſſ.* 25. *cap.* 14. *de Reg.*

(b) *Ibid.*

(c) *decl. Card. Conc. Trid. interpr.*

(d) *Trid. Seſſ.* 25. *c.* 13. *de Reg.* (e) *Cap.* 12.

mentorum adminiſtrationem pertinent (a). 8. Regulares, qui in alienis Eccleſiis absque Epiſcopi licentia concionari præſumunt; vel qui in ſuis Eccleſiis ipſo contradicente concionantur, vel qui inter concionandum errores & ſcandala diſſeminant, ab Epiſcopo puniri poſſunt (b). 9. Epiſcopi in his, quæ pertinent ad clauſuram Monialium etiam exemptarum conſervandam vel reſtituendam, plenam habent authoritatem (c). 10. Regulares non poſſunt proceſſiones extra clauſtra inſtituere ſine licentia Ordinarii, vel Parochi, niſi ſit conſuetudo, aut ſpeciale privilegium Papæ. 11. Subſunt quoad editionem librorum ſine ipſius licentia. 12. Die Sabbathi majoris hebdomadæ, antequam campana cathedralis vel majoris Eccleſiæ pulſetur, in Eccleſiis ſuis, ſecluſo ſpeciali privilegio, pulſare non debent; (d) hinc ſi citius abſolvant, non debent ad *Gloria* pulſare campanas, ſed exſpectare, donec pulſetur in Eccleſia majori: tintinnabula intra parietes Eccleſiæ pulſare poſſunt ad *Gloria.*

Dixi: Secluſo ſpeciali privilegio; tale enim quandoque conceditur, quemadmodum Baſilicæ Noſtræ Aſſiſienſi per ſpecialem Ssmi Papæ Benedicti XIV. Conſtitutionem anno 1754. editam in Patriarchialem, & Capellam Papalem erectæ fuit conceſſum.

De Statu Religioſo.

Caſus I. Religioſus clam vinum ex civitate credito accipit, & cum aliis ſæpius etiam ad ebrietatem bibit, pecuniam ab amicis extorquet, ut ſolvere poſſit: tandem, dum amovetur, relinquit debita, quæ a Conventu exiguntur. Q. 1. *Qualiter peccaverit?*

(a) *Cap.* 11.
(b) *Seſſ.* 5. *cap.* 2. *de ref.*
(c) *Seſſ.* 25. *cap.* 5. *de Reg.*
(d) *Leo X. Sacro approbante.*

rit? 2. An, & quæ debita a Religioſo contracta ſolvere debeat Conventus?

℟. *Ad* 1. Indubie per hæc peccat mortaliter contra votum paupertatis; non enim adeſt, aut prudenter præſumi poteſt conſenſus Superiorum: imo licet hic adeſſet, adhuc etiam contra paupertatem peccat (a); non enim poteſt Superior dare licentiam ad uſus illicitos, qualis eſt iſte potus exceſſivus, cum gravi læſione diſciplinæ Regularis, neglectu ſtudiorum, aliorumque, cum ſcandaloſa extorſione pecuniæ. *Ad* 2. ℟. 1. Non tenetur ex contractu, niſi Religioſo aliqua adminiſtratio ſit commiſſa ſaltem tacite, & hujus fines non exceſſerit. Nec tenetur ſolvere debita, niſi converſa ſint in utilitatem Monaſterii. Idem eſt, ſi res depoſita apud Religioſum etiam ex culpa perierit, etſi licentiam habuerit ſuſcipiendi depoſitum; quia delictum perſonæ non eſt convertendum in Eccleſiæ damnum, niſi inde aliquid in Conventum pervenerit.

Caſus II. Juvenis Religioſus ſæpe vinum, & alia ex bonis monaſterii clanculo ſurripit: inſuper diſpenſatori adeo novit adulari, ut ab ipſo extorqueat, quidquid deſiderat: denique pecunias a matre oblatas in varias nugas, & uſus vanos expendit. *Q. qualiter peccet?*

℟. *In primo* peccat graviter contra votum paupertatis, & Juſtitiam, quod idem facit Diſpenſator, ſi det ſuperflua, aut aliter, quam ſit rationabilis mens Superiorum. Peccat etiam graviter pecuniam exponendo inutiliter, & Superior, id permittendo; non enim eſt dominus, ſed adminiſtrator (b).

Caſus III. Religioſus ſtipendia Miſſarum hinc inde furtive recipit, Miſſas per amicos legi cu-

(a) *Vid. Num.* 12.

(b) *Vid. Num. ibid.*

curat: Eſculenta, & poculenta ab amicis emendicat ſub prætextu, quod non dentur ſufficientia: tres piſtolettas ſibi oblatas rogat deponi apud amicum Superiore inſcio. *Q. An, & qualiter in his peccet?*

℟. *Ad* 1. Eſt ſacrilegium, & furtum; hoc ipſo enim, quod acceptaverit, acquiruntur Conventui; ideo in materia notabili eſt mortale, & facilius ubi Conventus non habet ſtipendia. *Ad* 2. Peccat contra paupertatem, ſed non facile graviter; cum enim conſumantur, non cenſentur coaleſcere, nec infertur damnum Conventui: contra obedientiam vero peccare poteſt graviter, ſi ob juſtas cauſas ſit graviter prohibitum. *Ad* 3. Si acceptet etiam ſolum uſum, eſt mortale (a).

Caſus IV. Cajo Franciſcano mandat Superior, 1. ut propter delictum commiſſum in cella maneat pane ſolum & aqua contentus; ipſe autem clanculo vinum, & alios cibos ſibi a confratribus allatos ſumit. 2. ut aſſiſtat confratri maligna febri correpto; ſed cum timeat periculum mortis, renuit, donec Superior ſub formali obedientia mandaret; ubi fecit, ſed contracta infirmitate non diu poſt mortuus eſt. *Q. An, & qualiter in his peccaverit?*

℟. *In* 1. Non peccavit graviter contra obedientiam; quia non conſtat, quod Superior voluerit ſub mortali obligare, aut ſaltem hanc intentionem non ſatis manifeſtavit: imo ſi delictum fuerit abſolute & reſpective leve, obligare ſub mortali non potuit; peccavit tamen venialiter, ſicut & alii dando cibos; quia Superior vere præcepit. *In* 2. Renuendo ab initio non videtur peccaſſe mortaliter; cum enim non præceperit in virtute obedientiæ, non cenſetur voluiſſe obligare, quantum potuit; quia etiam in re gravi poteſt obligare leviter. Dum autem 2. mandat, tenebatur ſub pecca-

to

(a) *Vid. Num.* 10.

to mortali obedire(a); quia vi Regulæ tenetur Frater Minor ſervire Confratri, *ſicut vellet ſibi ſerviri;* ergo poterat præcipi a Superiore. Præſcindendo tamen a Regula, videtur non poſſe præcipi; quia, ubi periculum vitæ eſt certum, eſt nimis difficile, niſi bonum commune illud exigat. Interim prudentia & charitas in Superiore exigit, ut cura infirmorum in tali periculo demandetur illis, qui minus timidi ſunt.

DISSERTATIO II.

DE BENEFICIIS, SIMONIA, ET IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid, & quotuplex ſit beneficium, & quomodo acquiratur?*

D. 1. Beneficium Eccleſiaſticum eſt *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis fundatum.* Igitur in beneficio conſideranda ſunt tria: 1. *Jus,* ſive *legitima poteſtas & obligatio exercendi functiones ſpirituales;* ut adminiſtrare Sacramenta, legere Miſſas, orare horas canonicas &c. diciturque *officium,* & eſt omnino ſpirituale, nec eſt beneficium niſi fundamentaliter. Duplex autem hic eſt perpetuitas: una reſpectu beneficii, quod exigit durare perpetuo, ita ut vacans alteri conferri debeat; altera reſpectu beneficiati, cui confertur in titulum perpetuum, ut absque cauſa in jure expreſſa ei auferri nequeat. Hinc proprie beneficia non ſunt. 1. *Manualia;*

(a) *Vid. Num.* 14.

nualia; quæ ad nutum conferentis aufferri poſſunt, quæ tamen eſt quæſtio de voce. 2. *Commenda temporalis*, dum adminiſtratio beneficii alicui ad tempus committitur. 3. *Vicaria temporalis*, dum ad tempus alicui committitur adminiſtratio Eccleſiæ parochialis, & cura animarum: ſi authoritate Epiſcopi conſtituatur in perpetuum, habet rationem veri beneficii, & requirit ſacerdotium, eandemque ætatem, quam requirunt beneficia curata. 4. *Capellania ſimplex*, hoc eſt, obligatio dicendi certas Miſſas, quæ ſi authoritate Epiſcopi ſit erecta, & in titulum perpetuum conferatur, vocatur Capellania collativa, & habet rationem veri beneficii. 5. *Penſio Clericalis*, quæ eſt jus percipiendi certos fructus ex alieno beneficio, conceſſum alicui Clerico ad tempus vel etiam ad vitam penſionarii, quo mortuo exſpirat. 2. *Jus percipiendi fructus* ex primo conſequens, eſtque proprie beneficium, unde communiter dicitur: *beneficium datur propter officium;* & licet in ſe ſpirituale non ſit, eſt tamen tale denominative, & vocatur jus ſpirituali annexum. 3. Sunt *fructus* qui qua mere temporales vendi & emi licite poſſunt.

Reſ. 1. Laicus poteſt habere jus ad fructus beneficii, non tamen intuitu functionis ſacræ: neque ideo ſequitur, quod ſit capax beneficii.

Reſ. 2. Si quis ſine approbatione Epiſcopi fundet in perpetuum certas Miſſas, & pro iis ſtipendium, non eſt beneficium, nec ſufficit ad titulum ordinationis, nec inducit obligationem recitandi horas canonicas, ſed tantum eſt pium legatum.

(2) *D.* 2. Beneficium 1. aliud eſt *ſæculare*, quod pro Clericis ſæcularibus, alıud *Regulare*, quod pro Regularibus fundatum eſt. In dubio an ſit ſæculare, nec ne? ſi ſit intra monaſterium, præſumitur regulare: ſi extra, cenſetur ſæculare, niſi ex literis fundationis, vel

vel ex pacifica a Regularibus quadraginta annorum poſſeſſione probetur eſſe Regulare, quo tempore completur præſcriptio contra Eccleſiam; ſic multi paſtoratus modo ſunt Regularium, quia tempore peſtis debuerunt per Regulares deſerviri.

Reſ. Regulare non poteſt conferri ſæculari, nec ſæculare Regulari, alias collatio eſt nulla: Curatum tamen, ut paſtoratus poteſt ſine diſpenſatione Papæ conferri Regulari, ut habetur *cap.* 5, *de ſtatu Monachorum.* Requiritur autem conſenſus Epiſcopi, ſine quo non poteſt Abbas paſtoratum ſæcularem conferre ſuis Religioſis. 2. Beneficium aliud eſt *Titulare*, quod in perpetuum ſic confertur, ut absque gravi cauſa non poſſit aufferri: aliud *Annuale*, quod ad nutum Prælati, aut patroni auferri poteſt; talia ſunt pleraque Regularia: quæ neque ſunt curata, neque electiva, imo & curata ſunt manualia, ſi pleno jure ſubſint monaſterio. In dubio beneficium ſæculare cenſetur perpetuum: Regulare ad nutum revocabile. 3. Beneficium aliud eſt *curatum*, quod habet annexam curam animarum: aliud *non curatum*, quod hanc annexam non habet: licet autem beneficio ſit annexum onus audiendi confeſſiones, catechizandi &c. non eſt tamen proprie curatum; quia non adeſt ſimul jus faciendi ea, quæ ad curam animarum requiruntur. 4. Beneficium aliud eſt *ſimplex*, quod neque ſpecialem habet præeminentiam, neque jurisdictionem, neque adminiſtrationem Eccleſiaſticam, ſed tantum jus ad functiones ſacras V. G. Canonicatus &c. qui tamen præſertim in Eccleſiis cathedralibus vocatur ſimplex majus. Eſt autem Canonicatus *jus ſpirituale in perſona de Capitulo ad ſedem in choro, & ad vocem in Capitulo, ſi ſit in ſacris:* hinc poteſt quis eſſe Canonicus, licet non habeat præbendam, ſive jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ. Aliud dicitur duplex, quod horum aliquid habet annexum:

nexum : ſi præeminentiam & jurisdictionem circa Clerum in foro externo, dicitur dignitas, talem habent Epiſcopi, Vicarii Generales: ſi præeminentiam & jurisdictionem tantum in foro interno, dicitur beneficium curatum: ſi præeminentiam ſine jurisdictione, dicitur Perſonatus ut Scholaſteria, ſi tantum adminiſtrationem aliquam, dicitur officium, quale habet Cuſtos, Sacriſta. Duplex aliud eſt *majus*, ut Epiſcopatus, aliud *medium*, ut Decanatus, aliud *minus*; ut Paſtoratus. 5. Beneficium aliud eſt *collativum*, quod citra alterius nominationem, aut præſentationem libere confertur: aliud *electivum*, quod prævia electione obtinetur per Confirmationem Superioris: aliud *patronatum*, quod ad præviam nominationem, & præſentationem patroni ſecuta inſtitutione Canonica acquiritur. 6. Beneficia alia dicuntur *compatibilia*, quorum neutrum impedit, quo minus omnia ad utriusque functiones requiſita ab eodem convenienter fieri poſſint: alia *incompatibilia*, quorum functiones ab eodem debite fieri non poſſunt, & horum aliqua dicuntur primi Ordinis. Primi ordinis ſunt, dum ita repugnat illa ſimul habere, ut obtento pacifice & fructuoſe ſecundo eo ipſo vacet primum: talia ſunt plures Epiſcopatus, Paſtoratus, & omnia beneficia curata, omnia ſimplicia ejusdem ordinis ſub eodem tecto V. G. duo Canonicatus in eadem Eccleſia. Secundi generis ſunt, quæ non poſſunt quidem ſine diſpenſatione licite retineri, non tamen obtento ſecundo ſtatim vacat primum: talia ſunt omnia ſimplicia, vel ſimplex cum curato, ſi utrimque requiratur perſonalis reſidentia; an autem hæc requiratur, attendi debet vel primæva fundatio, vel legitima conſuetudo, qua fieri poteſt, ut beneficium originaliter requirens perſonalem reſidentiam, hanc amplius non requirat.

(3) *D.* 3. Beneficium Eccleſiaſticum via ordinaria non acquiritur ſine Canonica proviſione, ſive modo a ſanctis Canonibus approbato: extraordinarie acquiritur præſcriptione triennali juxta *Regulam Cancellariæ Apoſtolicæ de triennali*; ex qua, qui ex quovis titulo per triennium pacifice poſſedit, illud acquirit, modo in illud non ſit intruſus, hoc eſt, ſine titulo, vel Simoniace ingreſſus, & aliunde ad illud non fuerit ipſo jure inhabilis.

(4) *D.* 4. Beneficia acquiruntur ſeptem modis: 1. *præſentatione:* 2. *electione.* 3. *poſtulatione.* 4. *collatione.* 5. *reſignatione.* 6. *permutatione.* 7. *ſubrogatione.* Præſentatio eſt exhibitio perſonæ idoneæ & habilis a Patrono legitime facta ſuperiori, cujus eſt inſtituere: dat jus ad rem, ita ut Superior teneatur præſentatum inſtituere, niſi præſentetur indignus: jus in re, & ipſa collatio beneficii, datur per inſtitutionem a Prælato Eccleſiaſtico faciendam. Inſtitutio alia eſt verbalis, quæ fit verbo vel ſcripto: alia realis & corporalis, quæ vocatur inſtallatio vel inveſtitura, dum ipſa traditur poſſeſſio beneficii, præbendo V. G. claves, vel aliud ad beneficium ſpectans V. G. introducitur in domum paſtoralem. Inſtitutio autem *eſt conceſſio juris realis in beneficium facta ad præſentationem patroni.* *Electio* eſt perſonæ idoneæ & habilis deſignatio ad beneficium vacans: dat jus ad rem. *Poſtulatio* eſt obſecratio ab electoribus facta Superiori, ut ad beneficium vacans admittat aliquem, qui eligi non poteſt ob impedimentum Canonicum, in quo poteſt, & ſolet diſpenſare Superior: non dat jus poſtulato ante admiſſionem, & confirmationem, adeoque poteſt a poſtulantibus revocari, antequam ſit Superiori præſentatus, & a Superiore rejici. *Confirmatio* eſt beneficii in eum, qui electus vel poſtulatus eſt, collatio; & ideo fieri non poteſt a laico, a quo fieri poteſt præſentatio; differt ab inſtitutione quoad

con-

connotatum, quod hæc præſentationem, Confirmatio electionem præſupponat. ***Collatio*** eſt libera conceſſio beneficii ex ſolo jure & libertate conferentis absque præſentatione patroni aut electione prævia. ***Subrogatio*** eſt unius vocatio in jus & locum alterius; hæc tantummodo habet locum inter duos de beneficio litigantes, quorum ſi unus lite pendente moriatur, ſuperſtes in jus & locum iſtius ſufficitur, & quamvis mortuus collitigans jus ſuum tertio conceſſiſſet, & poſt mortem ejus iſte tertius beneficium impetraſſet, proviſio tamen iſtius ipſo jure irrita foret.

(5) *Reſ.* 1. Præſentatio facienda eſt ab eo, qui eſt in poſſeſſione, ſive ſit verus patronus, ſive putativus, ideoque licet poſtea manifeſtum fiat, præſentantem non habuiſſe jus patronatus, beneficiatus retinet beneficium. Idem eſt de iis, qui ſunt in poſſeſſione eligendi, & conferendi. Hæc poſſeſſio acquiritur per unicum actum, ſi præſentaverit bona fide, credens uti jure ſuo, ſi præſentatio fuit ab inſtituente admiſſa, & nullus contradixerit.

Reſ. 2. Jus patronatus eſt legitima poteſtas præſentandi Clericum legitimo Superiori ad beneficium vacans: eſt triplex, *Eccleſiaſticum*, quod convenit alicui ob titulum Eccleſiaſticum, *Laicum*, quod ob titulum ſæcularem V. G. ratione patrimonii, cui talis patronatus annectitur, *Mixtum*, quod ob utrumque convenit.

Reſ. 3. Jus patronatus acquiritur: 1. ſi quis Eccleſiæ fundum conceſſerit, ſi de conſenſu Epiſcopi Eccleſiam conſtruxerit, ſi beneficium fundaverit: talis ſecundum Canones poteſt prætendere jus patronatus, & ideo ſubinde ſunt plures patroni ex diverſis titulis. 2. Acquiritur jure præſcriptionis, dum quis ab immemoriali tempore præſentavit. 3. Ex conceſſione Papæ.

Reſ. 4. Jus patronatus non poteſt ratione ſui vendi, quia eſt ſpirituale: ſi tamen ſit reale adhærens

V. G. caſtro, poteſt vendi acceſſorie, modo intuitu illius caſtrum non vendatur carius.

Reſ. 5. Debet patronus præſentare ſe ipſum neque per ſe, neque per mandatarium, quamvis ſit Clericus & idoneus: ſi tamen Prælatus, ad quem ſpectat inſtitutio, motu proprio vocet Patronum Clericum, eique beneficium conferat, valet collatio, poteſtque Patronus pro hoc ſupplicare renunciando illa vice juri præſentandi. Inſuper ſi plures ſint Patroni ejusdem beneficii, poſſunt Patronum Clericum præſentare, ſicut & Electores, quamvis nullus poſſit ſe ipſum eligere, poſſunt tamen unum ex ſe ipſis: item poteſt Patronus præſentare ſuos filios, quia hi non ſunt deterioris conditonis.

Reſ. 6. Si Patronus Eccleſiaſticus præſentet indignum, vel inhabilem ſcienter, quod ſemper præſumitur in ipſo, niſi contrarium probet, privatur pro illa vice jure præſentandi, & devolvitur ad eum, ad quem ſpectat inſtitutio: ſi autem laicus talem præſentet, poteſt præſentare alium idoneum, modo adhuc currat tempus præſentandi. Inhabilis dicitur, qui laborat impedimento Canonico, vel non habet, quod fundatio requirit: indignus, qui non habet cætera requiſita V.G. bonam famam, ſcientiam neceſſariam.

Reſ. 7. Laicus poſt præſentationem unius, re adhuc integra, poteſt præſentare alium non privative excludendo primum, ſed cumulative adjungendo illi alterum, & tunc in poteſtate Epiſcopi eſt inſtituere, quem vult. Clericus, ſi unum præſentaverit, non poteſt alium præſentare.

Reſ. 8. Patronus Eccleſiaſticus habet ſex menſes, laicus quatuor computandos a tempore cognitæ vacationis, quo tempore debet præſentare ei, ad quem ſpectat inſtitutio; neque enim ſufficit præſentare Ordinario ad examen, quando inſtitutio ad alium Prælatum

tum ſpectat. Si intra hoc tempus ex negligentia, vel diſſenſione cum Compatrono non præſentet, collatio pro ea vice devolvitur ad eum, cujus eſt inſtituere: ſi autem facta, ut oportet, præſentatione ex præſentati negligentia, renuntiatione, morte, vel occulta inhabilitate non ſit facta inſtitutio, conceditur Eccleſiaſtico novum ſemeſtre, laico quadrimeſtre a cognitione hujus defectus computandum; quia negligentia V. G. alterius non debet nocere Patrono innocenti.

Reſ. 9. In mixto, ubi Eccleſiaſticus habet ſex menſes, Compatronus laicus etiam hos habet, & cum laicus poſſit alterum præſentare priore ut inidoneo repulſo, idem poterit Clericus; ſimiliter tunc Clericus poteſt præſentare duos. *Ratio horum eſt*, quia unus communicat privilegio alterius.

Reſ. 10. Tribus modis fit electio: 1. per ſcrutinium, dum quilibet eligentium ſuffragium ſuum ſecreto tradit. 2. Per compromiſſionem, dum eligendi poteſtas in unum, vel plures communi Electorum conſenſu transfertur. 3. Per inſpirationem, dum Electores ſubito quodam motu in unum communiter conſentiunt.

Reſ. 11. Ad validam electionem quinque requiruntur. 1. Ut omnes, qui jus eligendi habent, rite vocentur, ſi vocari poſſint. 2. Ut intra trimeſtre a die vacationis beneficii fiat electio, niſi adſit legitimum impedimentum. 3. Ut Electores ſaltem ſint Subdiaconi, ſi agatur de electione virorum, niſi adſit ſpeciale privilegium. 4. Ut Electorum major & ſanior pars libere conſentiat in unum: ſufficit tamen ad majorem partem quicunque exceſſus ultra medietatem, licet unius voti, V. G. Si vocales eligentes ſint tredecim, ſufficit ad Canonicam electionem, quod ſeptem conſenſerint. Sanior pars cenſetur, quæ majori ratione, & authoritate nititur, ut habet gloſſa. In dubio ſanior

 præ-

præſumitur, quæ eſt major, præſertim ſi nihil opponatur: idem eſt de præſentatione, ſi plures Patroni per modum unius communitatis præſentent, non vero ſi ſinguli ſeparatim, tunc enim ſufficit pluralitas votorum, V. G. ſi unus habeat tria, alter quatuor, tertius quinque vota, poſtremus eſt legitime præſentatus, & ſi cætera adſint, inſtituendus. 5. Qui electus eſt debet intra tres menſes (niſi adſit impedimentum) a notitia facta electionis petere confirmationem a legitimo Superiore, alias electio corruit per *Cap.* 6. *de electione in* 6.

Dices. Electio Epiſcoporum olim fiebat non tantum a Clero, ſed & a populo, ergo laicus eſt capax juris eligendi ad beneficium, ergo juris ſpiritualis, adeoque ſaltem per conſuetudinem, aut præſcriptionem hoc jus acquirere poteſt.

℞. *N. aſſ.* Populus interfuit electioni ex permiſſione Apoſtolorum, & Pontificum, ſed non dedit ſuffragium: cumque laicus non poſſit poſſidere jus ſpirituale, non poteſt hoc jus præſcribere, aut per conſuetudinem obtinere, cum illi jus reſiſtat.

Reſ. 12. Abſens non poteſt ſuum ſuffragium dare per litteras; quia electiones tantum fiunt inter præſentes; cenſetur autem præſens, qui adeſt per procuratorem vel mandatarium, ideoque legitime impeditus poteſt talem conſtituere, qui pro ſe ſuffragium ferat: hic tamen debet eſſe unus ex Collegio. Interim in affiliatione apud noſtros abſens non poteſt dare ſuffragium per procuratorem, ut eſt deciſum in Capitulo generali 1741.

Reſ. 13. Ad legitimam poſtulationem puram requiritur, & ſufficit conſenſus majoris partis Capituli: ſi autem concurrat cum electione, ita ut una pars Capituli poſtulet unum, altera eligat alium, debet poſtulantium numerus continere duas tertias Capituli,

V.G.

V. G. eſſe 12., ſi octodecim ſint votantes; alias prævalet pars minor eligens: ſi duas tertias contineat, poteſt Superior vel admittere electum, vel poſtulatum, prout voluerit.

Reſ. 14. Ad legitimam collationem ex parte conferentis requiritur legitima poteſtas, quam 1. habet Papa ut Chriſti Vicarius pro tota Eccleſia. 2. Quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi, niſi ex fundatione beneficii, privilegio, aut legitima præſcriptione hoc jus alteri competat V. G. Capitulo, Decano, Abbati, vel alteri Eccleſiaſtico, aut Regulari, non tamen laicis utpote incapacibus juris ſpiritualis conferendi beneficia. Unde fæmina, vel laicus jus nominandi ſive præſentandi ſæpe habent ex ſpeciali juris Privilegio, ſed Epiſcopus confert ad eorum præſentationem: quodſi aliquando ex horum negligentia vel crimine proviſio ad Superiorem devolvatur, primo devolvitur ad Epiſcopum, & hoc deficiente ad Papam.

Reſ. 15. Papa confert quatuor modis. 1. Jure præventionis, ſaltem in Gallia, dum alicui dat gratiam exſpectativam ad primum beneficium vacaturum, & hoc ſoli Papæ competit. 2. Jure reſervationis, dum aliqua beneficia reſervat in favorem aliorum V. G graduatorum. 3. Jure concurſus, quatenus cum quolibet alio collatore concurrere poſſet, ſi vellet; ubi tamen ſi alius collator præveniat, valet ejus collatio. 4. Jure devoluti, vi cujus ex diſpoſitione Canonum confert beneficia, ſi collatio fuerit Simoniaca.

Reſ. 16. Ex parte collationis requiritur, ut ſit determinati beneficii, & perſonæ abſolute ſine conditione ſuſpendente effectum, ac libera ſine injuſto metu, fraude, & dolo obtenta: ſique fundatio requirat, ut fiat cum conſilio, hoc audiri debet; alias actus eſt irritus, conſilium tamen non neceſſario ſequi oportet. Item ſine conditione, modo, & pacto, quo oneretur beneficiatus

ad inſtruendam V. G. juventutem: attamen ante collationem, dum beneficium vacat, poteſt Epiſcopus ex juſta cauſa circa illud diſponere aliquid. Item requiritur, ut ſi ordinarius collator conferat, hoc faciat intra ſex menſes a die vacationis cognitæ, aut juris ad conferendum acquiſiti. *Cap. Nulla de conceſſione præbendæ.*

QUÆSTIO II.

(6) *Quid circa Reſignationem, & Permutationem?*

D. 1. *Reſignatio eſt libera, & ſpontanea proprii beneficii, vel juris dimiſſio facta coram legitimo Superiore eam acceptante. Dr. libera & ſpontanea dimiſſio*, ſi enim fiat ex metu (idem eſt de dolo vel fraude) jure irrita eſt, vel ſaltem irritanda; quia nemo, niſi ſponte, privat ſe jure ſuo. *Dr. beneficii vel juris*; quia ſolum jus, quod quis vi præſentationis habet, poteſt reſignari, etſi litigioſum eſſet: imo quilibet criminoſus ſuo beneficio privandus reſignare poteſt, quamdiu beneficio privatus non eſt, quia ante ſententiam retinet jus in beneficium. Reſignatio fit *tacite*, dum quis ponit ſe in eo ſtatu, in quo beneficium ex juris diſpoſitione retinere nequit; ut ſiquis profiteatur in Religione, ſi in minoribus conſtitutus ineat matrimonium &c.: fit *expreſſe*, dum quis diſertis verbis beneficium dimittit; & hæc reſignatio alia eſt *pura*, alia *conditionalis*. *Pura* eſt, quæ fit abſque omni pacto vel conditione: *conditionalis*, quæ fit ſub certis conditionibus; & hæc eſt duplex, una fit *cauſa permutationis*, altera, quæ fit *in favorem tertii*, & hæc iterum alia eſt *ſimplex*, quæ fit abſque ulla reſervatione, alia *qualificata*, quæ fit reſervato ſibi jure regreſſus, vel penſione annua, vel aliquibus fructibus. Simpliciter reſignans

ſignans privatur omni jure beneficii; reſignans conditionate poſſeſſionem retinet, donec impleta ſit conditio.

(7) *Reſ.* 1. Ad reſignationem beneficii ſaltem *curati* requiritur juſta cauſa; quales ſunt *defectus ſcientiæ, debilitas*, imo & *malitia plebis*, ob quam quandoque etiam bonus Paſtor cogitur reſignare parochiam; in *ſimplicibus* non requiritur ſpecialis cauſa, ut docet experientia.

Reſ. 2. Voluntarie non poteſt reſignari beneficium, ſuper quo quis eſt ordinatus, nequidem apud Papam, niſi hoc exprimat, & quod aliunde habeat, unde vivat; alias reſignatio eſt nulla. Idem eſt de titulo patrimonii, ſuper quo quis ordinatus fuit.

Reſ. 3. Novitius duobus menſibus ante Profeſſionem poteſt beneficium reſignare, ſed non poteſt vi hujus alteri conferri, niſi ſubſecuta profeſſione, ne tollatur Novitio libertas regrediendi ad ſæculum.

(8) *Reſ.* 4. Ut quis reſignet beneficium, quod pacifice poſſidet, requiritur conſenſus Papæ, vel Epiſcopi; beneficiatus enim ſe obligavit Eccleſiæ, nec niſi per legitimum Superiorem a vinculo illo ſolvi poteſt. Profeſſurus tamen in Religione, quia ex jure habet facultatem dimittendi beneficium, ſi pure, & abſolute reſignet, non requirit hunc conſenſum.

Reſ. 5. Ad reſignationem in favorem tertii requiritur conſenſus Patroni laici, non vero Eccleſiaſtici apud Papam. *Ratio eſt:* ne laici deterreantur, quo minus ex propriis benefaciant Eccleſiæ; ſufficit tamen, ſi conſenſus poſtea accedat. Aliud eſt de reſignatione pura apud Ordinarium; quia Patrono tunc non præjudicatur, cum Epiſcopus non poſſit alteri conferre ſine præſentatione. Si Beneficium ſit *electivum*, requiritur conſenſus eligentium: *ſi collativum*, conſenſus collatoris, cui tamen derogare poteſt Papa.

Reſ. 6. Reſignatio pura, & quæ ſit cauſa permutationis ſimplicis, poteſt fieri coram Ordinario, vel alio collatore Eccleſiaſtico, ubi hoc conſuetudo introduxit, ut ad talem collatorem Eccleſiaſticum Epiſcopo inferiorem pertineat jus inſtituendi, & deſtituendi. Reſignatio autem in favorem tertii (a fortiori ſi ſit qualificata) non poteſt fieri niſi in manus ſummi Pontificis. Ita habet ſtylus Curiæ Romanæ, qui facit jus. *Ratio autem eſt*: quia hæc reſignatio ſapit Simoniam, & quia beneficia conferri debent ſine novi oneris impoſitione: ſuntque jure communi illicitæ omnes conditiones, quæ beneficio non inſunt, cui contravenire non poteſt Epiſcopus. Attamen poteſt reſignans ſimpliciter Epiſcopo aliquem commendare, & rogare, ut illi beneficium conferat, modo nil deducatur in pactum.

(9) *Reſ.* 7. Proviſus de beneficio reſignato debet facere reſignationem publicari in loco beneficii, & quidem ſi reſignatio ſit Romæ facta, extra Italiam intra 9. menſes: ſi apud Ordinarium, intra 3. menſes: alias ſi reſignans moriatur, antequam reſignatarius ceperit poſſeſſionem, beneficium cenſetur vacare per mortem.

Reſ. 8. Reſignans, ſive ſanus, ſive infirmus juxta Regulam Cancellariæ: *De viginti* poſt præſtitum coram Superiore conſenſum ſupervivere debet viginti dies; intra quos ſi moriatur, beneficium non per reſignationem, ſed per mortem vacabit, & collatio redibit ad eum, cui de jure debetur; cumque hæc regula poſita ſit contra fraudes, quibus affertur præjudicium tum Ordinariorum, tum patronorum juri, hinc in jure habetur favorabilis, & ideo dies vigeſima debet eſſe completa.

Reſ. 9. *Pius V.* in Conſtitutione: *Quanta Eccleſiæ* ſic ſtatuit: *Præcipimus, ne Epiſcopi, aut alii collatores*

tores de beneficiis reſignandis, aut ſuis, aut dimittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus audeant providere, quod ſi ſecus fuerit attentatum, id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere, quæ tamen conſtitutio locum non habet in beneficiis juris patronatus, ut declaravit *Gregorius XIII.* neque in beneficiis aliter, quam per reſignationem, vacantibus.

(10) *Reſ.* 10. Penſio, quæ eſt jus percipiendi fructus ex alieno beneficio, non poteſt creari propria partium authoritate; in jure enim prohibentur omnes conventiones privatæ circa beneficia, præbendas &c. imo tunc intervenit ſimonia juris divini, cum reſignans cedat jus ſpirituale ad beneficium pro jure temporali ad penſionem. Nec poteſt penſio creari authoritate Epiſcopi de jure communi, niſi in certis caſibus; quia jus canonicum facultatem illam reſervat Summo Pontifici: ergo denegat Epiſcopis, niſi conſuetudo legitima aliud introduxerit. *Dixi: niſi in certis caſibus;* quia dum Parochus parochiam dimittit ob ſenium, vel infirmitatem, vel quando pro bono pacis fit reſignatio beneficii litigioſi, poteſt Epiſcopus, ut illius ſuſtentationi provideat, penſionem ipſi reſervare. Interim ut & Papa creet penſionem, requiritur juſta cauſa: conceſſio enim penſionis eſt quædam diſpenſatio, quæ ſine cauſa non valet coram Deo, cum Pontifex non ſit redituum Eccleſiæ dominus, ſed diſpenſator univerſalis; unde ſicut, dum diſpenſat in voto ſine cauſa, non facit hominem in conſcientia ſecurum, ita & in penſionum, & beneficiorum diſtributione. Hinc nemo ſibi blandiatur, quod in penſione, vel beneficiis retinendis ſit a Papa diſpenſatus; ſi enim deſit juſta cauſa, diſpenſatio eſt nulla. Cauſa juſta eſt, quæ cedit in *utilitatem Eccleſiæ* V. G. pro dirimenda lite exorta inter duos circa idem beneficium, ne tempore litis Eccleſia legitimo Paſtore careat. Item *neceſſitas* reſignantis,

vel etiam *labores*, quos in favorem Eccleſiæ ſuſcepit &c.

Reſ. 11. Caſum ſequentem: Titius plura habens beneficia, unum vult reſignare Cajo, ne autem teneatur facere expenſas Romæ, inſimulque tempus urget, dimittit illud in manus Ordinarii, a quo, conſentiente patrono, confertur Cajo: prius tamen cum patre Caji occulte convenerat, ut ad dies vitæ ſibi annue ſolverentur centum floreni ex reditibus beneficii ſatis pinguis, quid reſpondebit Confeſſarius?

℟. Reſignatio, & collatio coram Deo nulla fuit, nec Cajus poteſt retinere beneficium ſine diſpenſatione a pœnitentiaria obtinenda, nec tenetur unquam aliquid dare Titio ob apertam ſimoniam; aliud eſſet, ſi Titius vere impotens, non habens aliunde, unde vivat, ſimpliciter & pure dimiſiſſet beneficium, & Epiſcopus ſua authoritate, non vi reſignationis, penſionem conſignaſſet, pro quo etiam prævie ſupplicare poterat; ut jam dictum de Parocho.

(11) *Reſ.* 12. Si Parochus, qui ob infirmitatem V. G. reſignavit, poſtea convaleſcat, & obtineat beneficium ſimplex, ex quo congrue vivere poteſt, non poteſt amplius prætendere penſionem ſibi ab Epiſcopo conſtitutam; quia conſtitui non potuit ab Epiſcopo, niſi ob neceſſitatem infirmi, ſed hæc jam ceſſat: ergo. Aliud eſt de penſione, quæ ob merita conſignata fuit a Papa.

Reſ. 13. Parochus, vel alius beneficiatus poteſt ſuum beneficium reſignare in favorem ſui conſanguinei etiam intuitu conſanguinitatis, modo fiat in manus Papæ, non Epiſcopi, & ſine præcedentibus tractatibus ſimoniacis, & alter aliunde ſit dignus, abſitque ſcandalum: nec ibi eſt ſimonia; nil enim temporale accipit. In ſupplica autem ad Papam directa debet fieri mentio, quod ſit conſanguineus, alias reſignatio probabilius vide-

videtur ſubreptitia, & nulla; hæc enim circumſtantia facit Pontificem longe difficiliorem ob Bullam Pii V. *de qua ſupra Num.* 9. & licet oppoſitum ſit etiam probabile, in praxi tamen pro avertendis piſcatoribus reſolutio noſtra tenenda eſt.

(12) *D.* 2. Permutatio beneficii eſt mutua beneficiorum reſignatio in manus legitimi Superioris ea lege, ut beneficium Titii conferatur Cajo, & econtra. Ad eam requiritur primo juſta cauſa, ut ſupra; hæc ſi bonum publicum ſpectet, poteſt Epiſcopus beneficiatis etiam invitis permutationem imperare, ſed cum minimo, quantum fieri poteſt, præjudicio innocentis permutare juſſi. 2. Ut permutantes habeant jus in re. 3. Si ſint beneficia electiva, vel patronata ſaltem laica, fiatque permutatio apud Ordinarium, requiritur conſenſus habentium jus eligendi vel præſentandi: quia permutatio non debet cedere in præjudicium aliorum (a). 4. Ut fiat in manus legitimi Superioris, ſive illius, ad quem ſpectat inſtitutio, aut collatio; alias permutatio eſt nulla, & permutantes committunt ſimoniam juris Eccleſiaſtici, & incurrunt excommunicationem; licet enim permutatio hæc in ſe non ſit ſimoniaca, cum utrumque ſit ſpirituale, propter periculum tamen ſimoniæ Eccleſia juſtiſſime has permutationes privata authoritate faciendas prohibuit. Licitum tamen eſt permutare volentibus inter ſe conferre, ſed cum relatione ad Superioris conſenſum; qui ſi reſignationes permutantium acceptaverit, non poteſt beneficia conferre aliis, quam permutantibus, cum nonniſi conditionate reſignent: hinc ſi permutatio ex alia etiam cauſa non ſortiatur effectum, liber datur reditus ad beneficia præhabita. 5. Ubi beneficia diverſis Ordinariis ſunt Subjecta, ſive in diverſis diœceſibus ſita, requiritur utriusque conſenſus. 6. Requiritur, ut ſi beneficia per-

(a) *Vid. La Croix Lib.* 4. 1091. *N.* 979. 977.

permutanda ſint inæqualia quoad dignitatem, juriſdictionem, poteſtatem, talis exceſſus non compenſetur pecunia, aut alio temporali pretio æſtimabili: alias erit ſimonia, *de qua infra.* Si inæqualia ſint quoad fructus, compenſatio authoritate Pontificia tractari debet. Demum coram Ordinario non poteſt beneficium commutari, niſi cum beneficio; hinc non cum titulo patrimonii, nec cum penſione Eccleſiaſtica non erecta in titulum perpetuum, ut habet communior ſententia.

QUÆSTIO III.

(13) *Quibus Beneficia ſint conferenda?*

D. 1. Ut quis valide obtineat beneficium, requiritur. 1. Ut ſit legitime natus, aut ſaltem legitimatus, 2. Ut ſit Clericus, hoc eſt: prima ſaltem tonſura initiatus ex Cap. *cum adeo* de reſcriptis; quia laici non ſunt capaces juris ſpiritualis. 3. Ut ſit immunis a cenſura Eccleſiaſtica & irregularitate, 4. Ut ſit cœlebs. 5. Ut habeat ætatem canonicam. 6. Ut non ſit ſimoniacus, nec intruſus in beneficium. Circa hæc

Reſ. 1. Collatio, idem eſt de præſentatione, & electione, facta non tonſurato non revalidatur, ſi poſtea tonſuram accipiat; quia, quod ab initio fuit invalidum, tractu temporis non convaleſcit; unde collatio debet renovari poſt ſublatum impedimentum.

Reſ. 2. Collatio &c. facta excommunicato, ſuſpenſo, perſonaliter interdicto, uti & irregulari cuicunque, eſt ipſo jure nulla; cum enim beneficium detur propter officium Eccleſiaſticum, par eſt, ut incapax ſit beneficii, qui eſt incapax functionum: quod verum eſt, etſi ſuam excommunicationem ignoret; cum ignorantia non reddat habilem ad actum, ad quem quis eſt inhabilis. Tenet hoc etiam de excommunicatis toleratis, quia extravagans: *Ad evitanda*, quæ diſtinctio-

ctionem facit inter toleratos, & non toleratos, nullum illis intendit præſtare favorem, ſed tantum aliis fidelibus. Si excommunicatio ſit minor, collatio non eſt irrita, ſed irritanda, ſi excommunicatus ſciverit ſuam excommunicationem, ex Cap. *Si celebrat de Clerico excommunicato.*

Reſ. 3. Uxoratus eſt beneficii incapax ex *Cap.* 2. *de Clericis conjugatis*, niſi uxor conſentiat, & ipſa, ſi juvenis ſit, religionem profiteatur, vel ſi provectior, votum caſtitatis emittat, vel vir legitimam perpetui divortii cauſam habeat; tunc enim ad Ordines & beneficium admitti poteſt.

(14) *Reſ.* 4. Ad beneficia ſimplicia *ex Tridentino* requiritur annus 14tus ſaltem inchoatus, niſi fundatio aliter habeat, & plus requirat. Ad beneficia curata parochialia omnia, item in Vicariis perpetuis curatarum Eccleſiarum requiritur annus 25tus ſaltem inchoatus, ſicut ad dignitates curatas. Ad cæteras autem dignitates, quibus cura animarum annexa non eſt, *non admittantur*, ait Tridentinum, *Clerici vigeſimo ſecundo ætatis anno minores*, ex quibus verbis: *non minores*, colligitur hos debere eſſe completos. Sicut enim major viginti duobus annis dicitur, qui illos complevit, ita minor, qui non complevit; & quia in prioribus dicit: *attigerit*, ſufficit 14tum, & 25tum eſſe inchoatos. Cæterum non datur hic parvitas materiæ, nec ſufficit eſſe proximum ætati requiſitæ, *prout alibi dictum eſt* (a). Ad penſionem, cum non ſit proprie beneficium, ſufficiunt 7. anni.

Reſ. 5. Collatio (idem eſt de electione, & præſentatione) facta illi, qui caret ætate jure communi requiſita, eſt ipſo jure nulla, niſi adſit diſpenſatio Papæ; quia facta eſt inhabili. Nec in ætate hac permiſſum eſt Epiſcopo diſpenſare: cum nequeat relaxare jus commune,

(a) *De peccatis N.* 17. *D.* 2.

mune, niſi ſpecialiter ipſi indulgeatur. Quamvis autem diſpenſatus ſis in ætate, ut fias presbyter, manes adhuc inhabilis defectu ætatis ad beneficium curatum: nec poteſt ſimilis ſe in concurſu alteri opponere; quia non ſe opponeret legitime.

(15) *Reſ.* 6. Dum beneficio annexus eſt Ordo Sacer, non eſt neceſſe de jure communi, niſi fundatio aliter habeat, ut, dum quis recipit beneficium, habeat hunc ordinem: ſed ſatis eſt, ſi intra annum ſuſcipiat. Conſtat *ex Clement. ſecunda de ætate & qualitate.*

Reſ. 7. Intruſus ad beneficium eſt inhabilis ad idem beneficium obtinendum, niſi rehabilitetur. Dicitur autem *intruſus*, qui ſcienter absque canonico titulo beneficium, accipit, vel retinet, quod fit, ſi ſine Superioris authoritate beneficium obtineat: ſi electus ante confirmationem, præſentatus ante inſtitutionem ingerat ſe ejus adminiſtrationi tanquam verus poſſeſſor &c.

Reſ. 8. Qui ſimoniace beneficium acquirit, eſt inhabilis ad illud, *de quo infra* (a). Obſervandum autem hic eſt, quod vi triennalis poſſeſſionis collatio beneficii bona fide poſſeſſi revalidetur, ſi inhabilitas proveniat ex pœna, cenſura, vel irregularitate; non, ſi ex ſimonia ſcienter contracta.

(16) *D.* 2. Ut licite quis obtineat beneficium, requiritur. 1. *morum probitas.* 2. *competens ſcientia.* 3. *intentio ſtatus Eccleſiaſtici, & ordinis beneficio annexi ſuſcipiendi.*

Reſ. 1. Morum probitas conſiſtit potiſſimum *primo:* in immunitate ab omni crimine, quod inducit vel irregularitatem, vel infamiam. *De quo, ubi de Cenſuris. Secundo* in tribus: 1. In vitanda crapula. 2. In fugienda avaritia, Clericis non raro familiari in dedecus Eccleſiaſticæ dignitatis. 3. In ſervanda continentia ex caſti-

(a) *Num.* 36.

caſtitate, ut ita circumſpecte vivant, ut, quantum poſſibile eſt, ſint extra ſuſpicionem incontinentiæ; & ideo prohibita eſt omnis ſuſpecta cohabitatio cum altero ſexu.

Reſ. 2. Requiritur competens ſcientia, ſaltem talis, qua opus eſt ad peragendas rite functiones ſacras beneficio annexas; datur enim beneficium propter officium. Si annexa ſit cura animarum pro foro externo, neceſſaria eſt ſcientia juris præcipue Canonici: quia ſunt judices, quorum eſt judicare ſecundum leges, & Canones. De Parochis, aliisque exercentibus ex officio curam animarum pro foro interno. *Vid. infra de Obligationibus Parochorum.*

Reſ. 3. Ad beneficia ſimplicia ſufficit ea doctrina, quam exigit ordo tali beneficio annexus, & ratio muneris; unde beneficiatus ſaltem ſciat breviarium dicere, ſi hæc & non alia obligatio ſit annexa. Si beneficiatus ſit omnino illiteratus, collatio eſt irrita; ſi vero aliquam ſcientiam habeat, non tamen ſufficientem ad beneficium adminiſtrandum, eſt irritanda, niſi promotus ſperet ſe brevi tempore ſibi comparaturum ſcientiam neceſſariam, ad quod tenetur.

(17) *Reſ.* 4. Collatio beneficii parochialis (quo nomine probabiliter venit quodcunque curatum) facta ei, qui intra annum ceſſante legitimo impedimento non ſuſcipit Sacerdotium, valuit quidem, ſed anno elapſo amittitur beneficium ipſo jure absque omni ſententia etiam declaratoria.

Reſ. 5. Suſcipiens tale beneficium tenetur ſub mortali habere animum ſuſcipiendi Sacerdotium intra annum: alias tenetur fructus ſuſceptos reſtituere, niſi mutata mente intra illum ſuſceperit, idque ante omnem ſententiam (a); quia nunquam fecit ſuos, utpote conceſſos ſub conditione, quam ipſe non implevit.

Suſ-

(a) *Vid. ſupra de Leg. n.* 37. *Dico.* 3.

Sufficit autem voluntas ſuſcipiendi conditionata, niſi V. G. primogenitus moriatur, & cogar ad matrimonium propter familiam.

Reſ. 6. Qui tale beneficium accepit animo ſuſcipiendi Sacerdotium, dein mutata voluntate non ſuſcepit, peccat graviter, ſed probabiliter non tenetur reſtituere fructus illo anno perceptos; quia expreſſe dicitur de illo, qui beneficium recipit absque animo Sacerdotium ſuſcipiendi: ergo cum diſpoſitio ſit odioſa, non debet extendi ad eum, qui dum accepit, hunc animum habuit: minus tenetur reſtituere hos fructus, qui, dum beneficium admiſit; hunc animum non habuit, poſtea tamen intra annum ſuſcepit. Non habenti animum ſuſcipiendi æquiparatur dubitans, an velit intra annum fieri Sacerdos.

Reſ. 7. Peccavit graviter, qui accipit beneficium ſimplex habens annexum ordinem ſacrum ſine intentione ſuſcipiendi ordinem tempore a jure præſcripto; peccat enim contra præceptum Eccleſiæ in re gravi; ſi vero beneficium ad nullum ordinem obliget, eſt tantum veniale illud acceptare animo fruendi ejus fructibus aliquo tempore, & poſtea ineundi matrimonium, beneficium reſignando; quia licet ſit aliqua perverſio, cum beneficia ſint inſtituta pro iis, qui Deo in ſtatu clericali ſe ſtatuerunt mancipare, non videtur tamen gravis, imo poteſt eſſe nulla, ſi faciat, ut V. G. ſtudia proſequi poſſit; nec prohibetur jure poſitivo beneficii dimiſſio. Sed verius eſt, quod poſitiva excluſio ſtatus Clericalis ſit peccatum grave; ut communius docent Doctores, ideoque non eſſe abſolvendum talem, donec animam mutet, aut certe culpa levis, ſi omnis abſit contemptus, aut beneficium dimittat.

D. 3. Beneficia præſertim curata conferri debent dignioribus. *Vide Part.* 2. *de injuriis. Tr.* 2. *Diſſ.* 3. *q.* 2.

Q. *An*

Q. *An liceat habere plura beneficia?*

(18) ℞. 1. Certum eſt ſimpliciter non licere, plura ſimul habere beneficia etiam ſimplicia. Ita *Trident.* Rationem dat; quia pluralitas hujusmodi magnam inordinationem involvit, dum minuitur cultus divinus, Eccleſia operariis, fundator pia intentione, pauperes Eccleſiæ utiliores futuri ſuſtentatione privantur.

℞. 2. Ex eodem Concilio: ſi unum beneficium ad honeſtam iſtius Clerici ſuſtentationem non ſufficiat, licitum eſt aliud acceptare, modo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, ſintque compatibilia, & hoc ſine ulla diſpenſatione.

℞. 3. Si unum beneficium ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiat, ut licite acceptetur aliud etiam compatibile, requiritur ſpecialis Papæ diſpenſatio, quæ nonniſi ex juſta cauſa eſt concedenda: hæc ſi non adſit, etiam diſpenſatus in conſcientia non eſt tutus, ſed unum dimittere debet; quia beneficiorum pluralitas juri naturali repugnat, dum non adeſt juſta cauſa, aut ſi hæc adeſſe deſinat. Papa eſt diſpenſator tantum bonorum Eccleſiæ, ideo diſpenſare non poteſt niſi in utilitatem ejus, & cultum Dei, in quem beneficia deſtinata ſunt, diſpenſatque ſub conditione: *ſi preces veritate nitantur.* Juſta cauſa eſt evidens neceſſitas & utilitas Eccleſiæ, merita perſonæ, nobilitas, dignitas, ſcientia, virtus &c. Modo caveatur, ne beneficiorum coacervatio ad privatum tantum, non ad commune bonum referatur, nec excuſat conſuetudo contraria: videt hanc Papa, ſed non ideo approbat; nam ut dicitur *Cap. Jam dudum* de præbend.: *Multa per patientiam tolerantur, quæ ſi in judicium deducta fuerint, exigente juſtitia non debent tolerari.*

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quid de Reſidentia, & aliis Beneficiatorum Obligationibus?

Suppono. Beneficiati 1. obligantur ad onera præſcripta in fundatione, cujus tenor conſiderate inſpiciendus eſt, & ad amuſſim ſervandus, *de hoc plura: ubi de Sacrificio Miſſæ.* 2. Obligantur fructus beneficii ſuperfluos ſaltem ex præcepto Eccleſiæ graviter obligante expendere ad cauſas pias. *De quo, ubi de Dominio.* Quoad præſens

(19) *N.* Reſidentia eſt *Commoratio aſſidua in loco beneficii ad ſervitium Eccleſiaſticum perſonaliter præſtandum:* hinc Canonicus V. G. in loco ſui beneficii commorans, ſed nunquam ad chorum, vel capitulum accedens non cenſetur reſidere, cum commoratio ejus ſit tantum materialis, adeoque nulla.

D. 1. De jure communi omnes beneficiati tam ſimplices, quam curati, ad reſidentiam obligantur: ſimplices ex ſolo jure Eccleſiaſtico, curati etiam ex divino. Patet *ex Trid.* (a) *Ratio datur;* quia alias munus paſtorale debito modo, prout res ipſa poſtulat, obire non poſſunt; intellige hæc: niſi juſta cauſa excuſet, & ex eorum abſentia nullum ovibus damnum immineat. *Dixi: de jure communi;* quia generali conſuetudine modo introductum eſt, ut obligati ad certas Miſſas, & ſimiles beneficiati ſimplices a reſidentia ſint liberi, poſſintque officium ſuum explere per alium, niſi aliud habeat beneficii fundatio. Pro Canonicis

(20) *Reſ.* 1. Canonici de jure communi poſſunt quolibet anno tribus menſibus ſive continuis, ſive interpolatis licite abeſſe, etiam pro ſola animi recreatione, & tamen fructus annuos, ſive corpus, ut vocant, lucrari, non vero diſtributiones quotidianas pro tempore ab-

(a) *Seſſ. 23. Cap. 1. de reform.*

abſentiæ, niſi forte conſuetudo pro his, qui alias ſeduli ſunt, aliud obtineat. Si ulterius abeſſe præſumant, peccant graviter vel leviter pro quantitate abſentiæ, aut officii detrimento; fructus pro rata abſentiæ non faciunt ſuos; inſuper primo anno media parte, ſecundo omnibus fructibus, etiam quos cauſa reſidentiæ jam fecerant ſuos, eo ipſo privantur (a).

Reſ. 2. Qui ſtudiorum, aut alia in jure approbata cauſa non reſidet in loco beneficii, nihilominus fructus annuos facit ſuos; cum enim non committat culpam, nec debet ſentire pœnam. Aliud eſt de diſtributionibus quotidianis.

Reſ. 3. Qui in loco beneficii reſidet, ſed ex juſta cauſa neceſſitatis vel utilitatis Eccleſiæ, in qua eſt beneficiatus, de licentia Prælati abeſt a choro, etiam lucratur diſtributiones quotidianas; quia tales præſentes in loco fictione juris cenſentur etiam præſentes in choro, prout habetur *Cap. un. de Clericis non reſid. in* 6. Hinc omnes, quos vera, non ficta (ut ſæpe fit) infirmitas, ſenium, injuſta captivitas, injuſta excommunicatio, vel alia corporalis neceſſitas, vel Eccleſiæ utilitas procuranda impedit, his fruuntur, modo alias conſueverint frequentare chorum; ſi enim ſani non frequentaverint, non cenſetur infirmitas dare cauſam abſentiæ. Cui autem applicandæ ſint diſtributiones, quæ abſentibus non debentur; pariter an legentes Miſſam ſub horis, & ſimiles habeantur pro præſentibus, ex particularibus ſtatutis, aut conſuetudine approbata reſolvendum eſt.

(21) *D.* 2. Epiſcopi ſingulis annis poſſunt per tres menſes, ſive continue, ſive interpolatim abeſſe a ſuis Eccleſiis: ſi diutius abſint, peccant, & fructus pro rata temporis non faciunt ſuos, ſed eroganda ſunt in fabricam Eccleſiæ, vel pauperes loci, niſi aliud poſtulet

 mu-

(a) *Trid. ſeſſ.* 24. *Cap.* 12. *de Reform.*

munus aliquod Epiſcopatui annexum. Sub eadem de ſe gravi culpa, & pœna prohibentur Parochi abeſſe a ſuis Eccleſiis ultro duos menſes continuos, aut interruptos. *Ita Trid.*

Reſ. 1. Parochus tenetur reſidere intra limites ſuæ Parochiæ, non in vicinia, niſi excuſet conſuetudo rationabilis, vel neceſſitas, ita quidem, ut de nocte liber ad eum ſit acceſſus; parum autem a Parochia diſtare pro nihilo habetur. Canonicus in civitate vel prope eam: Epiſcopus intra fines ſuæ Diœceſis.

Reſ. 2. Ut Parochus ultra duos menſes abſit, requiritur juſta cauſa; & licentia Epiſcopi expreſſa in ſcripto, niſi ob periculum in mora licentia peti non poſſit, ubi tamen poſtea de ſuo diſceſſu Epiſcopum informare debet. Duobus menſibus abeſſe poteſt ex honeſta cauſa etiam recreationis tantum: an autem tunc requiratur approbatio Epiſcopi, diſputatur; quilibet bene facit, ſi ſequatur ſuæ Diœceſis conſuetudinem. Interim ſemper ſubſtituendus eſt alius idoneus, aut ſi abſentia ſit brevis, cura vicino Parocho committenda, ſaltem ubi aliquod adeſt animarum periculum. Ad abſentiam unius diei ferialis, dum nullus eſt infirmus, non videtur neceſſe alium ſubſtituere, eoquod non ſit morale periculum, melius tamen eſt requirere vicinum Parochum, ut pro caſu abſentiæ ſuppleat, & parochianos monere, ut ipſum requirant, ſi neceſſitas occurrat. Attamen non eſt facile (inquit Reiffenſtul) tolerandum, parochum poſſe abeſſe ad duos, vel tres dies ſine ſubſtituto Vicario; quia facile poteſt contingere aliquam animam periclitari ex abſentia ſacerdotis. Incumbit autem Parochis attendere, quem in ſua abſentia conſtituant, an hominem prudentem, zeloſum, & qualiter præſtet ſuum officium; ſimiles enim operarii ſæpe deſtruunt, quod magno labore ædificatum eſt per Parochum proprium.

Reſ.

Reſ. 3. Non obſtat continuæ reſidentiæ, ſi Parochus divertat ad viciniam V. G. ad funus, ad anniverſarium, aut etiam cauſa recreationis eadem die reverſurus; ſecus foret, ſi ſæpe de nocte emaneret, quo caſu, ſi dies discontinui ſuperarent duos menſes, fructus ſaltem omnes non faceret ſuos. Si habeat duas Eccleſias unitas, debet reſidere in loco digniori: ſi non conſtet, quæ ſit dignior, in frequentiori: ſi una ſit in urbe, altera extra, debet reſidere in urbe, & alteri providere de idoneo pro nocte in neceſſitate.

Reſ. 4. Non ſatisfacit Parochus actualis, qui quidem perſonaliter eſt præſens in Parochia, omnia tamen peragit per alios; hoc enim eſt contra finem reſidentiæ, & officium Paſtoris, cujus obligatio eſt perſonalis. Nam qui officium gerendum ſuſcipit, ſimul tacite obligat ſuam perſonam ad functiones illius: alias nunquam ad illud officium aſſumeretur. Quia igitur Paſtor totam curam animarum aliis relinquens in re gravi deeſt ſuo officio, peccat graviter, & ſatis probabiliter tenetur ad reſtitutionem fructuum ex parte; attamen conſuetudine id declarante poteſt multa & magis difficilia aliis idoneis committere, ubi Parochiani ſunt contenti. Dixi: *Parochus actualis*; quia habitualis tantum, quales ſunt quidam Prælati, & Decani in Collegiatis, poſſunt officium paſtorale exercere per Sacellanos, vel Vicarios; debent tamen & ipſi eſſe apti, ut ſaltem in neceſſitate per ſe poſſint curam exercere: quia *Trid.* (a) ad omne beneficium curatum Cathedrali inferius requirit induſtriam perſonæ; debent quoque curare, ut Sacellanus vel Vicarius debite reſideat, præſtanda præſtet.

Reſ. 5. Parochus actualis etſi ob impotentiam per coadjutorem parochialia adminiſtret, reſidere tamen debet, ut ſaltem ſuis conſiliis adeſſe poſſit.

(a) *Seſſ. 7. cap. 3. de reform.*

(22) *D.* 3. Officium & obligatio Parochi eſt paſcere oves juxta illud CHRISTI ad Petrum: *paſce oves meas* (a); hoc fit tribus: *ſalutari doctrina, bono exemplo, & adminiſtratione Sacramentorum.* Inſuper tenetur pro illis orare, ac ſacrificare. Pro quibus

Reſ. 1. Peccat mortaliter Parochus, ſi ignoret ea, quæ neceſſaria ſunt ad officium, & directionem ſpiritualem ovium; cum enim ex officio ſit Paſtor, Doctor, Judex, Medicus, Conſiliarius, in iis, quæ animæ ſalutem concernunt, graviter peccat admittendo paſtoratum, ſi ad iſta deſit ipſi ſcientia, & dum hoc advertit, nec poteſt ſufficientem acquirere, tenetur dimittere, niſi bona fide proceſſerit; tunc enim *Trident.* permittit illi Vicarium cum debito ſalario. Debet autem ſcire ea, quæ ſcire debet Confeſſarius; de quo P. 4. de Pœnit. Inſuper & modum catechizandi, concionandi, aſſiſtendi infirmis, adminiſtrandi reliqua Sacramenta ipſis competentia. Item, quantum opus eſt ad inſtruendum populum circa myſteria fidei absque periculo errandi & falſum docendi. Hinc

Reſ. 2. Parochi, qui ſtudium negligunt, ſunt in continuo ſtatu peccati mortalis, donec vel officium dimittant, vel ſufficientem ſcientiam ſerio conentur acquirere: nec juvat emendicata ad breve tempus approbatio; quia hæc conceditur tum cum monitione, & ſpe melioris ſtudii, tum quia aliter fieri non poteſt ob defectum ſubſtituti, vel ſubſtituendi.

Reſ. 3. Peccat graviter Parochus, ſi non inſtruat rudes maxime in neceſſariis ad ſalutem, ad Sacramenta, ut oportet, ſuſcipienda, ad ducendam vitam Chriſtiano dignam: igitur tenetur concionari, & populum, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, docere. Licet autem *Trident.* determinaverit ſingulos dies dominicos & ſolemniores feſtivos, non eſt tamen præceptum rigoroſum, ut

(a) *Joan.* 21. *v.* 17.

ut conſuetudo interpretatur: ſi autem integro menſe, vel duobus in anno non fiat concio, peccat mortaliter; quia grave damnum infert populo. Interim parum ordinarie proſunt conciones oratoriæ: tenetur ergo ad exhortationes populo accomodatas, & præſertim ad catecheſes etiam pro adultis, qui vel non ſciverunt ſatis, vel obliti ſunt. Optime facit, ſi etiam pro concione facili modo ad captum, & ad emendationem populi exponat, quæ ſpectant ad fidem, ſpem, charitatem, vitam Chriſtianam, Sacramentorum ſuſceptionem; unde peccant, qui non attendunt, quid pro concione dicatur, modo ſatisfiat publico. Tenetur etiam convenire illos, qui ad Eccleſiam accedere non poſſunt, eo quod domum vel pecora cuſtodire debeant, vel aliter ſint impotentes; hi enim, cum plerumque inſtructi non ſint circa media ſalutis, ſunt in gravi neceſſitate, quam levare tenetur Parochus.

(23) *Reſ.* 4. Peccat graviter, ſi ſuis non ſit bono exemplo; quia alias eſt gravi ſcandalo, cum plebs putet ſe ſatis bonam, ſi non ſit pejor ſuo Paſtore, & perdit authoritatem, ſicque conciones, & admonitiones non ſunt efficaces. Hoc potiſſimum fit per immoderatas cum ſuis compotationes, ſi ægre deſerat conſortia convivantium, dum alio vocatur V. G. ad infirmum, ſi nimiam cum ſuis contrahat familiaritatem, & hoc præſertim cum altero ſexu, ſi ſpeciem det avaritiæ, ſi ſuſpicionem amoris impuri, ſi lites cum ſuis incipiat non omnino coactus, &c. Curare debet, ut apud ſuos authoritatem, & paternam gravitatem ſervet. Hinc ex una parte ambitionem fugiat, & ſuperbiam, plebeculam deſpiciendo, ex altera nimiam abjectionem, ſe quibuscunque obviis nimis familiarem exhibendo. Peccat autem duplici peccato, ſi ſuis det ſcandalum; de quo, ubi *de ſcandalo.*

(24) *Reſ.* 5. Peccat Parochus, ſi peccata ſuorum non impediat, ubi poteſt: peccatores maxime publicos, ut concubinarios, uſurarios, blaſphemos, ebrioſos, graviter diffidentes, impiorum aut ſuſpectorum hominum receptores tenetur omni poſſibili modo ad meliorem frugem reducere ſive privatis, ſive publicis inſtructionibus, adhortationibus, increpationibus & tandem delatione ad Ordinarios, tanquam rationem redditurus pro animabus ſibi commiſſis: hinc falluntur, qui putant ſatis eſſe, Miſſam populo legere, concionari, catechizare, miniſtrare Sacramenta; tenetur enim etiam alia adhibere media pro ſalute ſuorum, idque ſæpe cum gravi ſuo incommodo.

Reſ. 6. Parochus tenetur adminiſtrare Sacramenta, quoties neceſſe eſt, aut parochiani rationabiliter petunt; ideo volentibus ex ſola etiam devotione confiteri, aut communicare, tenetur ſervire ſub mortali, modo non nimis frequenter petant, & non ſit alius, qui præbeat, prout de facto facilis eſt aditus ad religioſos; ſi confeſſionem non quidem neget, oſtendat tamen ſe adeo difficilem vel moroſum, ut ſubditis præbeat occaſionem non petendi pro libitu, idem eſt, ac ſi neget. *Vid. part.* 4. de Sacramentis in genere Caſum de hac materia.

Reſ. 7. Graviſſime peccat Parochus, ſi ex ipſius negligentia infans ſine baptiſmo decedat: ideo tenetur inſtruere obſtetrices, ut ſciant in neceſſitate baptiſmum rite conferre.

Reſ. 8. Singularis eſt Parochi obligatio circa infirmos, non tantum circa Sacramenta adminiſtranda, ſed & circa illos ex poſt viſitandos, conſolandos &c. Cum enim vicinioribus morti major inſtet a dæmone tentatio, & ſalutis periculum, major corporis, & animi dejectio, tunc vel maxime tenetur Parochus eorum ſaluti conſulere; ergo peccat graviter, ſi circa hæc ſit notabiliter negligens.

Reſ.

Reſ. 9. Peccat graviter, ſi per negligentiam ipſius aliquis moriatur ſine Sacramentis, ut ſi ſciverit poſſe eſſe periculum probabile mortis, & vel longe abſit, vel per crapulam ſe ineptum reddiderit ad ſuccurrendum, vel voluerit ſurgere, ſicque infirmus mortuus eſt, aut periculum probabile fuit, ne ſine Sacramentis moreretur: nam anima ægri de ipſius manu requiretur, & graviſſimum ſuper caput ſuum accumulabit judicium. Caveat autem Paſtor, ne nimis fidat viribus infirmi, & differat præſertim pœnitentiæ Sacramentum; quia morbi, præſertim febres calidæ, mentem facile evertunt, ita ut infirmi aut plane non, aut minus, vel dubie apti ſint ad Sacramentum pœnitentiæ.

(25) *Reſ.* 10. Tempore peſtis, contagionis, belli, incurſus hoſtium tenetur Parochus ſuis miniſtrare Sacramenta cum periculo vitæ; quia ſicut miles pro prælio, ſic ille pro neceſſitate eſt conductus, & ex officio Paſtoris debet animam, ſive vitam pro ovibus ponere.

Reſ. 11. Si tempore contagionis ſit ſolus, & Succeſſorem ſtatim habere nequeat, non expedit Sacramenta minus neceſſaria, ut eſt communio, vel unctio, cum novo periculo adminiſtrare, ne ipſo deficiente ſubditi careant Sacramentis magis neceſſariis; unde oportet illum magna cautela, & continua præſervativa uti. Optima & facillima eſt, infectos non accedere jejuno ſtomacho, ſalivam in eorum præſentia non deglutire, inter ſe & infectum ponere ignem, carbones ardentes, vel ſaltem candelam accenſam, cavere vel maxime ab halitu infecti, ſi ſentiatur aliqua alteratio, provocandus eſt copioſus ſudor &c.

Reſ. 12. Tenetur Parochus pro ſuis orare, & ſacrificare, juxta illud ad Hæbr. 5, *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum; ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis:* & quidem ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis,

quibus Parochiani tenentur intereſſe ſacrificio, pro illis ipſum ſacrificium offerre, & fructum ſpecialem eis applicare.

Reſ. 13. Parochi etiam tantum actuales, ſeu deſervitores, vel Vicarii perpetui tenentur diebus Dominicis & Feſtivis, quibus populus tenetur intereſſe Miſſæ, quamvis poſtea liceat labor ſervilis, ſub mortali applicare Miſſam ſuis parochianis, nec poſſunt accipere ſtipendium. Ita habet *Conſt. Benedicti XIV. edita anno* 1744. *die* 19. *Aug.* Quod ſi reditus adeo ſint tenues, ut alioquin non poſſent convenienter ſuo ſtatui vivere, poſſunt de licentia Epiſcopi iſtis diebus ſtipendium oblatum acceptare, & Miſſam legere, attamen ſub onere totidem Miſſas per hebdomadam ſupplendi, *ut habet eadem Conſtit.* Hinc

Reſ. 14. Si quis ſimul ſit Paſtor, & Eccleſiæ ejusdem Collegiatæ Canonicus, debet diebus Dominicis & Feſtivis, ſi celebrare debeat Miſſam Conventualem qua Canonicus, curare celebrari parochialem per alium. Idem eſt, ſi aliunde ſit obligatus; quia Miſſa Conventualis ex ſtricta obligatione applicari debet benefactoribus & fundatoribus in genere; ergo cum per unam non poſſit ſatisfacere duplici obligationi juſtitiæ, debet pro ſingulis dici una, *ut habet eadem Conſtit.*

Reſ. 15. Culpandi valde hic ſunt aliqui Parochi, qui aliunde habent ſufficientes reditus: attamen pro pauperibus mortuis ſacrum funebre non celebrant, aut, ſi celebrent, ſtipendium a miſeris extorquent.

QUÆSTIO V.

(26) *Quid, & quotuplex ſit Simonia, & quale peccatum?*

D. 1. Simonia ſolet definiri: *ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi ſpirituale, vel ſpirituali annexum pretio temporali. Dr. ſtudioſa voluntas:* hoc eſt: deli-

deliberata volitio. *Dr. emendi, vel vendendi*, quo intelligitur omnis conventio vel pactum ſive explicitum, ſive implicitum ſaltem tale, vi cujus unus intendat alterum obligare ad dandum ſpirituale pro temporali, vel econtra. *Dr. ſpirituale*; per quod intelligitur res ſupernaturalis ad ſalutem ordinata, ſive ſit formaliter talis, ut V. G. gratia, dona Spiritus S., ſive cauſaliter, ut Sacramenta, preces: ſive ſit effectus, vel uſus poteſtatis ſpiritualis, ut collatio beneficii, diſpenſatio in voto &c. *Dr. vel ſpirituali annexum*, ſive antecedenter, ut jus patronatus reſpectu beneficii, ſive concomitanter, ut labor intrinſecus actioni ſacræ, hoc eſt, ſine quo actio ſacra fieri nequit, ut ſtare ad Altare, inſumere tempus pro legenda Miſſa &c. ſive conſequenter, ut jus ad reditus beneficii, qui dantur propter officium ſpirituale. *Dr. pretio temporali*; quod in jure vocatur munus, & eſt triplex: *munus a manu*, & eſt pecunia, ac quodvis aliud pecunia æſtimabile: *munus a lingua*, & eſt commendatio apud alium: *munus ab obſequio*, & eſt ſervitium, vel obſequium temporale.

(27) *D.* 2. Simonia alia eſt *juris naturalis, & divini*, quæ a DEO ob intrinſecam malitiam prohibita eſt, & hanc jam definivimus: alia *juris Eccleſiaſtici tantum*, quæ ſolo jure Eccleſiaſtico ex motivo religionis prohibita eſt, propter periculum, & ſpeciem ſimoniæ, ut eſt V.G. permutatio beneficiorum facta ſine authoritate Superioris.

D. 3. Simonia alia eſt *mentalis*, dum quis reipſa aliquid facit, vel dat temporale, ut alterum obliget, vel moveat ad dandum ex debito ſpirituale, aut econtra absque eo, quod exterius exprimat, aut pactum etiam implicitum interveniat. Alia eſt *Conventionalis*, & eſt pactio ſimoniaca mutua expreſſa, vel tacita, ſed ſine executione utrimque facta: eſtque vel *pura*, ſi ex neutra parte ſit expleta ſaltem partialiter, vel *mixta*, ſi

ex

ex una parte tantum ſit repleta. V. G. datum eſt jam temporale, ſed nondum ſpirituale, vel econtra: alia *realis*, ſi conventio ex utraque parte ſit completa ſaltem partialiter, ut ſi collatum ſit beneficium & ſaltem pars pretii ſoluta. Alia adhuc dicitur *Confidentialis*, ſiquis ſine expreſſa Papæ licentia alicui procuret, conferat, reſignet beneficium cum confidentia in pacto ſaltem tacito fundata, ut is, cui procuratur, illud aliquando reſignet procuranti, vel alteri, aut penſiones vel fructus præſtet, poteſtque eſſe *realis*, vel *pure mentalis*, ut de ſe patet. Obſervandum autem bene, per ſolam realem & confidentialem incurri pœnas ſimoniacis ſtatutas.

(28) *D.* 4. Simonia juris divini eſt peccatum ex toto genere mortale non admittens parvitatem materiæ, ſive ex parte rei ſpiritualis, (quia gravis irreverentia eſt rei ſpirituali etiam minimæ, quæ ſupra omne pretium eſt, temporalem æquiparare) ſive ex parte pretii, quo enim minus datur pro re ſpirituali, eo magis res ſpiritualis vilipenditur; ergo vilitas pretii pro ea oblati magis auget malitiam. Simonia juris humani videtur admittere parvitatem materiæ, ut ſiquis parum de fundo ſui beneficii propria authoritate permutaret.

Reſ. Graviter peccant, qui agnos DEI, ſcapularia, chordas, & alia hujusmodi benedicta carius vendunt propter benedictionem, ut dictum eſt ſupra; vel ut moveant per hæc ad dandum ex debito: pro quo

Reſ. ulterius: Qui alteri dat temporale non per modum pretii, ſed motivi in ordine ad impetrandum ſpirituale vel econtra, committit ſimoniam; ſic enim temporale non datur gratis, ſed velut pretium alicujus ſpiritualis: ſic & qui recipit temporale, & propter hoc movetur ad dandum beneficium, ſimoniam committit; patent hæc ex prop. 45. & 46ta ab Innoc. XI. dam-

damnatis: *dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpiritualia, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali aut econtra . . . & id quoque locum habet etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, imo etiam, ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.* Si tamen munus temporale ſit exigui momenti, aut leviter tantum moveat V.G. invitare ad prandium, non præſumitur ſimonia; quia non cenſetur retribuens ad hoc fuiſſe motus a munere, nec alter movere voluiſſe; ſi detur tantum, ut conciliet ſibi ejus amicitiam, benevolentiam, gratitudinem, ex qua ſine obligatione exſpectatur collatio beneficii, non eſt ſimonia; quia tunc motivum eſt amicitia vel gratitudo, cujus occaſionem dedit temporale. Valde tamen periculoſum eſt aliquid dare, dum agitur de conferendo beneficio; quia facile munus fiet motivum collationis.

QUÆSTIO VI.

(29) *Quando contingat Simonia?*

D. Semper eſt Simonia, dum aliquid recipitur, vel exigitur per modum pretii, motivi, aut debiti pro bono ſpirituali, vel huic annexo: non, ſi per modum ſtipendii pro ſuſtentatione, etſi aliunde quis habeat, de quo vivat. *Prima pars patet ex q. præced. ſecunda pars prob.* Æquum eſt, ſuſtentari aliquem ab iis, quorum utilitati deſervit; & qui miniſteriis ſpiritualibus incumbunt, privant ſe facultate vacandi aliis negotiis temporalibus, ex quibus ſibi neceſſaria compararent, idque in commodum populi; ergo populus tenetur illis neceſſaria miniſtrare, quod miniſterium æque exhibent divites ac pauperes. Non tamen fas eſt

Paro-

Parocho, ob negatum injuſte ſtipendium negare Sacramenta, ſed oportet, ut alia via jus ſuum proſequatur.

Reſ. 1. Titulo ſtipendii Canonici accipiunt diſtributiones, religioſi munera pro ſuis orationibus &c.: & quo major eſt labor, eo plus exigi poteſt; qui enim plus laborat, majore ſuſtentatione dignus eſt: nunquam tamen licet plus exigere, quam lex, aut conſuetudo permittat.

Reſ. 2. Simonia eſt pretium recipere pro labore intrinſeco; quia labor intrinſecus eſt unum moraliter, & quoad æſtimabilitatem cum ipſa actione ſacra; ergo cum hæc ſit invendibilis, etiam talis eſt labor: non eſt, ſi accipiatur pro labore extrinſeco; quia iſte labor eſt aliquid temporale pretio æſtimabile ſecundum ſe ſeorſim a re ſpirituali, nec ei ſic connexus, ſicut intrinſecus; hinc licite exigis pretium pro cantu Miſſæ, pro obligatione celebrandi tali hora, toties in hebdomada, &c. Quia talis obligatio eſt oneroſa, & pretio æſtimabilis ſeorſim a re ſpirituali: ſi tamen iſte labor, iſta obligatio pluris æſtimetur, quia eſt ad actionem ſacram, eſt Simonia.

(30) *Reſ.* 3. Simonia eſt, ſi detur temporale, ut ſit motivum conferendi ſpirituale, vel econtra ſpirituale, ut alter obligetur dare temporale ex gratitudine tantum; gratitudo enim non obligat ad aliquid determinate, minus ad aliquid temporale; ergo licet ſignate tantum aliquid intendatur, vel petatur ex gratitudine, virtualiter tamen intenditur ut pretium (a).

Reſ. 4. Qui Urbanitatis gratia dicit: non ero tibi ingratus, non committit Simoniam; ſecus ſi dicat ad movendum animum alterius, ut beneficium Eccleſiaſticum conferat; hinc ſi collatori dicas: Domine nil tibi

(a) *Vid. prop. damn. ſup. cit.*

tibi promitto, ſi tamen filio meo Canonicatum dederis, non ero ingratus, ſcio enim, quid virum honeſtum in ſimili decet, in praxi non es immunis a Simonia; quia phraſis illa hoc tempore continet virtualem promiſſionem, habeturque pro ingrato, ſi poſtea non det; nec opus eſt *Calepino*, ut hæ loquendi formulæ hodie tam uſitatæ intelligantur.

Reſ. 5. Si collator circa qualitatem perſonæ ante collationem inquirat, an is, qui beneficium petit, ſit vir honeſtus, vir gratus, an ſciat vivere &c. facile convincitur Simoniæ, & ficta eſt promiſſio gratuita.

Reſ. 6. Simonia non eſt poſt obtentum ſpirituale dare liberaliter aliquid temporale ad extinguendam obligationem gratitudinis. Similiter licet poſt acceptum temporale dare ſpirituale ad illam præciſe extinguendam, poteſtque collator V. G. beneficii dicere Clerico, ſe hoc illi conferre ex gratitudine propter obſequia ſibi ab ipſo vel ejus patre præſtita; quia cauſam, ob quam aliquid licite fit, non eſt illicitum exprimere, & quod ex gratitudine datur, gratis datur. Interim non cenſetur gratis dari, ſi multum præſertim a paupere detur.

(31) *Reſ.* 7. Non eſt Simonia, ſi ſpirituale vendatur ratione materiæ; ſic paſſim venduntur numismata, imagines, roſaria benedicta ſecundum materiam, ſumptibus, labore, cura, itinere, ſine quibus comparari non poſſunt, in pretium computatis, modo non augeatur pretium propter ordinem ad ſpirituale.

Reſ. 8. Eſt Simonia, ſi conferas beneficium eo pacto, ut te laudet, vel commendet apud Principem, ut impetret tibi, aut ad te pertinentibus aliquem favorem, ſi des aliquid familiaribus Collatoris pro interceſſione, vel commendatione ad beneficium, ſi hæc ſpe-

ctetur

ctetur præciſe, ut eſt medium ad beneficium obtinendum; quia ſic non eſt æſtimabilis, niſi æſtimabilitate beneficii; ſecus, ſi ſpectetur commendatio, ut eſt onerosa intercedenti ob laborem, expenſas, moleſtias in adeundo Collatore, & erga eum ſubeundo onus gratitudinis, & ſimilium de ſe independenter a beneficii conſecutione pretio æſtimabilium; ſicut nec ſi aliquid des V. G. domeſticis, ut per eos habeas aditum ad Collatorem; ſic enim non intendis directe beneficium, ſed tantum ut Collatori innoteſcant tua merita cum ſpe obtinendi beneficium.

Reſ. 9. Simonia eſt, ſi paciſcaris non commendare te ipſum, vel alium, ubi intenditur promotio tertii ad beneficium; quia per pecuniam paratur via ad beneficium. Idem eſt, ſi pactio fiat, ut quis non contradicat, ut deſiſtat a prætenſione juſta, ut ſe non ſiſtat ad concurſum &c.

Reſ. 10. Simonia eſt, ſi elocetur res ſacra, & pro uſu exigatur pretium; quia eſt vendere uſum rei ſacræ; poſſet tamen, ſi uſu atteratur, pro damno aliquid accipi.

Reſ. 11. Non eſt Simonia dare temporale pro doctione Theologiæ, pro reſolutione caſus etiam conſcientiæ; quia eſt ſcientia naturalis, licet per accidens ad finem ſupernaturalem referatur, & reſponſa ſimilia ſæpe ſine labore dari non poſſunt. Pro concione, catechiſmo, & ſimilibus non licet recipere pretium, ſed ſtipendium tantum; quia ex fine ſuo ordinantur ad excitandos affectus ſupernaturales.

(32) *Reſ.* 12. Eſt Simonia exigere aliquid pro admiſſione ad Religionem; quia ſtatus religioſus eſt ſpiritualis: ergo & receptio ad eum. Poteſt tamen exigi conveniens pro ſuſtentatione in novitiatu, imo & pro ea poſt profeſſionem, ſi monaſterium ſit inops, & inſtitutum non repugnet; quia onus ſuſtentandi per-

ſonam

ſonam religioſam, eique de omnibus neceſſariis providendi eſt temporale, non ſpirituale. Si autem monaſterium ſit ſatis fundatum, videtur non poſſe titulo ſuſtentationis; quia profeſſus ex mente fundatorum habet jus ad ſuſtentationem, ſicut beneficiatus ad fructus beneficii: poteſt tamen exigi aliquid ea conditione, ut renuntietur juri hæreditatis, & alterius cujuscunque juſtæ prætenſionis, ad quam monaſterium, facta profeſſione, ſuccedit loco filii, niſi aliter fuerit diſpoſitum, ſicque exigitur temporale pro temporali. Interim indubie eſt turpis ſaltem avaritia, ſi nimis ſollicite amplæ quærantur dotes, & magis attendatur ad pecunias, quam ſubjecti qualitates, ideoque pauperes digniores prætereantur, præſertim ubi monaſterio aliunde eſt ſatis proviſum.

(33) *Reſ.* 13. Non eſt Simonia promittere vel dare temporale ſub modo vel onere aut conditione operis ſpiritualis cedentis in utilitatem ſolius donatarii V. G dare centum infideli ſub conditione, ſi baptismum ſuſcipiat: promittere matrimonium hæreticæ, ſi convertatur, ſi Cajo beneficium, ſi temperate vivat; quia non eſt vera pactio, manetque alteri ſalva libertas: ſic DEUS promiſit bona temporalia ſervantibus mandata, non ut pretium, ſed ut præmium, in tellige hoc: modo temporale non detur per modum compenſationis; tunc enim eſt Simonia.

Reſ. 14. Eſt Simonia in functione ſpirituali principaliter intendere vel appetere temporalia, ſic S. Thomas (a) dicit Clericum eſſe Simoniacum, ſi propter diſtributiones tanquam finem operis Principalem in Eccleſiam veniat; poſſunt tamen diſtributiones eſſe conditio, ſine qua non ſurgeret Canonicus, & ad matutinum iret, modo finis principalis ſit cultus Dei.

Reſ.

(a) *Quodl.* 8. *q.* 6.

Reſ. 15. Eſt Simonia, ſi ſervias Epiſcopo V. G. eo pacto, ut loco mercedis conferat beneficium, ut ſolvat vel ſalarium, vel det beneficium, item ſi ſervias ea intentione primaria, ut beneficium accipias. Non eſt, ſi tantum intendas hac occaſione demonſtrare tuam capacitatem, te dignum altiori promotione, aut lucrari animum cum ſpe beneficii gratis dandi, quod minime improbandum eſt.

Reſ. 16. Eſt Simonia, ſi acceptes beneficium cum pacto inſtruendi juventutem; ſecus ſi hoc vel ſimile onus authoritate Superioris ſit adjunctum.

Reſ. 17. Non eſt, ſi detur beneficium intuitu amicitiæ, conſanguinitatis vel alterius affectus carnalis; quia nihil accipitur aut exigitur ſaltem pretio æſtimabile, quamvis aliunde ſæpe graviter peccetur: nec eſt, ſi detur, ut ſe honeſte ſuſtentare poſſit; ſecus, ſi detur, ut Collatorem vel alium ſuſtentet, juvet &c.

Reſ. 18. Eſt Simonia, ſi duo pactum ineant: elige tu meum nepotem ad hoc beneficium, & eligam tuum ad illud, vel: hac vice eligam, quem tu malueris, alia vice tu eliges, quem ego voluero; quia pactio eſt de ipſa promotione ad beneficium, & Eccleſia circa beneficia prohibuit omnes pactiones ſine conſenſu Superiorum, etſi ſpirituale detur pro ſpirituali. Idem eſt, ſiquis, ut obtineat beneficium, promittat aliquid dare ad fabricam V. G. vel reparationem Eccleſiæ.

Reſ. 19. Eſt Simonia, ſi dicas Cajo: ſi tu luſu viceris, conferam tibi beneficium, ſi autem ego vicero, dabis mihi 100. aureos. *Nec obſtat* licitum eſſe ſimile pactum; ſi tu viceris, dabo tibi florenum, ſi ego, leges Miſſam; quia licitum eſt pro Miſſa exigere ſtipendium ſuſtentationis, adeoque contra illud expo-

exponere pecuniam ; aſt pro collatione vel præſentatione nil poteſt exigi velut ſtipendium.

Reſ. 20. Si ficte promittas pecuniam patrono, & hic te præſentaverit ad beneficium, es Simoniacus; quia pro temporali obtinuiſti ſpirituale. *Nec juvat*, quod non intenderis dare temporale ; quia ſufficit, quod intenderis per temporale obtinere ſpirituale. Indubie es ſacrilege mentitus, & alterum induxiſti ad Simoniam. *Denique*

(34) *Reſ.* 21. Simonia juris humani eſt 1. omnis pactio facta in beneficiis authoritate propria circa onus beneficio antecedenter nec ex ſe, nec ex fundatione annexum. 2. Fundatio beneficii cum pacto, ut fundator fiat primus illius poſſeſſor ; poteſt tamen ſe offerre rogando, ut ſibi conferatur, vel etiam reſervare ſibi jus præſentandi, quem libuerit. 3. Permutatio beneficiorum facta absque authoritate Epiſcopi. 4. Omnis pactio non gratuita ad impediendam vel dirimendam litem beneficialem ; poteſt tamen fieri compoſitio inter litigantes per arbitros Eccleſiaſticos ab Ordinario deputatos, ita ut illi, cui adjudicatur beneficium, imponatur pendenda alteri ſumma pecuniæ, aut annua penſio ad vitam beneficiati, non in compenſationem juris, ſed ob bonum temporale pacis, & ut a lite etiam in temporalibus noxia recedatur. 5. Reſignatio in favorem facta aliter, quam in manus Papæ. *De his plura Canoniſtæ.*

Q. 1. Qualiter vexa redimi poſſit ?

(35) ℟. 1. Non eſt Simonia pretio redimere injuſtam vexam circa jus jam plene acquiſitum V. G. ut quis deſiſtat ab iniqua lite circa beneficium jam plene a te obtentum : quia non datur pro re aut jure aliquo ſpirituali, utpote quod jam ſupponitur eſſe acquiſitum, ſed pro tollenda vexa injuſta.

℟. 2. Eſt Simonia, ſi tantum habeas jus ad rem, utpote electus, ſed non confirmatus, aut ſaltem inveſtituram nondum aſſecutus, & inique vexatus des temporale iis, qui jus illud concedere poſſunt; quia tunc deſiſtere a vexa eſt re ipſa conferre jus ſpirituale; ergo illud virtualiter emis. Si autem obeſſe quidem, ſed prodeſſe non poſſint, ſive conferre aliquid ad obtinendum beneficium V. G. aliquis te diffamat, electores vel collatorem fraude impedit, quo minus te eligant, potes dare pretium, ut ceſſet; quia hoc eſt tantum redimere famam, & tollere vim ac fraudem, qua ſublata aliis manet liberum eligere, quem volunt.

(36) Q. 2. *Quæ ſint pœnæ ſimoniæ?*

℟. 1. Simoniace conferens aut accipiens beneficium excommunicatur ipſo facto, eſtque excommunicatio Papæ reſervata; ſi tamen delictum ſit occultum & ad forum contentioſum non deductum, abſolvunt mendicantes. 2. Collatio beneficii Simoniaca eſt nulla, & taliter proviſus tenetur dimittere beneficium, nec facit fructus ſuos, etſi ipſo ignorante commiſſa ſit Simonia, & alter reſtituere pretium, idque ante ſententiam judicis, etiamſi crimen ſit occultum. 3. Sic proviſus eſt inhabilis ad illud beneficium etiam ex diſpenſatione obtinendum; aliis tamen beneficiis rite obtentis ipſo jure non privatur, nec ad alia obtinenda fit inhabilis ante ſententiam Judicis. 4. Beneficia Simoniace obtenta vacant ipſo jure, & ſunt reſervata Papæ. 5. Si me nec volente, nec ſciente per alios mihi Simoniace procuratum ſit beneficium, teneor illud reſignare cum fructibus exſtantibus, non conſumptis, niſi in quantum factus ſum ditior; ſi autem inimicus meus, ut mihi noceret, fraudulenter dederit pecuniam, vel ſi ego Simoniæ a quovis committendæ expreſſe contradixerim, non teneor renuntiare, niſi ex poſt conſenſerim ſolvendo V. G. quod fuit promiſſum;

quia

quia tunc Eccleſia ſupplet defectum (a). 6. Pretium vel munus Simoniace acceptum pro beneficio Eccleſiaſtico ante omnem ſententiam eſt reſtituendum illi, qui dedit; quia non ſatis probatur ipſum eſſe re ſua privatum; poſt ſententiam debet dari Eccleſiæ, in qua eſt beneficium: ſi ante collationem ſolutum ſit pretium, beneficio nondum collato, certum eſt danti reſtituendum eſſe pretium; quia Simonia nondum eſt completa; ergo nec incurſæ pœnæ Eccleſiaſticæ, quia pœnæ præſertim graves ſunt ſtrictæ interpretationis, & intelliguntur de actu omnino completo. Fructus percepti, aut ex culpa non percepti reſtituendi ſunt ante omnem ſententiam Eccleſiæ beneficii, aut ſucceſſori, ſi illi injuria ſit facta; nunquam enim pertinuerunt ad Simoniace promotum.

QUÆSTIO ULTIMA.

(37) *De Immunitate Eccleſiaſtica.*

Immunitas Eccleſiaſtica, quæ eſt *exemptio a poteſtate laica*, eſt triplex, *Perſonalis*, quæ convenit perſonis Eccleſiaſticis, & maxime conſiſtit in privilegio fori & canonis, de quo *Vid. ubi de Ordinibus. Realis*, qua Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum bona exempta ſunt a tributis, aliiſque oneribus: & *Localis*, qua loca ſacra gaudent, tum ne actus profani reverentiam loci ſacri dedecentes ibi exerceantur, ut choreæ, convivia, contractus ſæculares &c.: tum proprie, ut rei illuc confugientes inde violenter extrahi non debeant, quod vocatur jus aſyli

(38) *D.* 1. Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ perſonæ (ſub quibus hic veniunt Clerici ſæculares & Regulares utriusque ſexus) quoad bona etiam titulo temporali acquiſita de jure immunes ſunt ab exactionibus & oneribus, quæ

(a) *Cap. ſicut tuis 33. de Simonia.*

quæ de novo imponuntur a Magiſtratibus laicis. Patet tum ex Bulla Cœnæ, tum ex C. *quanquam de cenſibus in 6. Ratio eſt: acceſſorium ſequitur ſuum principale* (a), ſed Eccleſiæ & perſonæ ſunt exemptæ a jurisdictione ſæcularium; ergo etiam res & bona ipſorum debent eſſe exempta acceſſorie ab oneribus ſeu exactionibus ſæcularium, cum jurisdictio immediate & principaliter, non in bona, ſed in perſonas exerceatur, eoquod a perſonis præſtanda ſint tributa & collectæ rebus impoſitæ.

Reſ. Sæculares tali onere gravantes Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas peccant non tantum contra Religionem & juſtitiam, ſed & incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam in Bulla *Cœnæ.*

Ob. Quotidie videmus practicari contrarium etiam quoad bona Eccleſiaſtica, ſed quis arguet illos culpæ gravis? Quis condemnabit excommunicationis? *Deinde* qui ſentit commodum a communitate, ſentire debet & onus, ſed Eccleſiaſtici ſentiunt commodum; ergo. ℞. Ad 1. conſuetudo hæc ſingulis annis revocatur per Bullam *Cœnæ*, & abſque ſpeciali & expreſſa licentia Romani Pontificis imponentes excommunicantur. Viderint illi, eorumque Confeſſarii, an ſpeciale a Papa privilegium obtinuerint. Ad. 2. ℞. *d*, ſi non adſit juſta cauſa, vel privilegium eximens ab onere, *c.* ſi adſit *n.* Etiam Sacerdotes Veteris Legis ſentiebant commodum, & tamen exempti erant ab oneribus. Exceptiones *Vid. de legibus* (b).

(39) *D.* 2. Jure aſyli gaudent omnes Eccleſiæ etiam nondum conſecratæ vel benedictæ, etiam pollutæ & interdictæ, Eccleſiæ atrium, turris, ſacriſtia ambitus, item cœmeterium legitime erectum, licet templo non contiguum: inſuper monaſteria & domus Religioſorum, & quidquid eſt intra ſepta monaſterii

ora

(a) *Cap.* 41. *de R. J. in* 6. (b) *n.* 9.

oratoria, & ſacella authoritate Epiſcopi cultui divino in perpetuum deputata, licet in privatis ædibus, hoſpitalia authoritate Epiſcopi erecta cum Altari ad celebrandum, imo & domus Parochorum; ut dicitur declaraſſe Congregatio Cardinalium; favores enim ſunt ampliandi: aliud eſt, ſi materia ſit odioſa, ut eſt V. G. violatio Eccleſiæ per effuſionem ſanguinis.

Reſ. Si Eccleſia ſit clauſa, ſufficit apprehendere januam, aut etiam muros; quia immunitas adhæret loco ſacro. Si reus confugiat ad portantem SS. Euchariſtiam in platea, imo ſi ſe immiſceat tantum concomitantibus, gaudet immunitate; ſic enim habet conſuetudo, & communis ſenſus in æquitate fundatus: quod non tenet, ſi in carcere confugiat ad Sacerdotem Euchariſtiam ad reum portantem. Si reus vinctus ducatur per cœmeterium V. G., non gaudet aſylo, niſi forte ſe e manibus ſatellitum extricaret, & ad aſylum provocaret; tum enim, non in priori, ad libertatem rediit.

(40) *D.* 3. Jure aſyli gaudent omnes ſaltem baptizati rei criminis, quod mortem, mutilationem, aliamque pœnam æquivalentem meretur, modo non ſit crimen exceptum; cum enim hæc immunitas ſit favorabilis, late interpretanda eſt. *Dixi: ſaltem baptizati;* quia Judæi & alii non baptizati, ſi ad Eccleſiam confugiant animo ſincero ſe convertendi, gaudent; hoc ſecluſo, adhuc probabiliter: quia non eſt tam perſonæ, quam loci privilegium.

Reſ. Religioſi gaudent hoc privilegio in tantum, ut ab Epiſcopis vel Judicibus Eccleſiaſticis extrahi nequeant e loco aſyli, ad quem confugerunt, non autem ut a ſuis Superioribus pœnis Eccleſiaſticis ſecundum canones puniendi; hæ enim ſunt ad correctionem, non vindictam.

D. 4. Ex Bulla Gregorii XIV. *Cum alias*, jure aſyli privantur 1. *Publici latrones*, ſeu qui in viis publicis rapinæ cauſa homines ex inſidiis aggrediuntur & occidunt. 2. *Viarum graſſatores*, qui ex inſidiis erumpentes vi ſpoliant viatores absque cæde; ſufficit autem una graſſatio, modo mors, vel membrorum mutilatio ſecuta fuerit, ut declaravit Benedictus XIII. (a). 3. *Notorii depopulatores agrorum*, ſeu ſegetes, vineas &c. devaſtantes ex propoſito. 4. *Occidentes; mutilantes in ipſis locis ſacris*, ſive tantum occiſus intra exiſtat, ſive ſolus occidens; idem eſt de mutilatione, ut declaravit idem Papa: ſecus ſi extra Eccleſiam ab exiſtente extra ſit læſus & in Eccleſiam curreret, ibique moreretur. Committentes alia crimina in loco ſacro, etiam furtum non privantur immunitate; hoc enim nullibi habetur, nec fieri debet extenſio ad crimina non excepta. 5. *Occidentes proditorie* nempe ſub ſpecie amicitiæ, vel ſaltem nulla præcedente inimicitia a tergo, de nocte per inſidias. Imo idem Benedictus conſtituit, ut aſylo careat, qui proximum occidit præmeditate & deliberate: interim diſputatur, an conſtitutio illa obliget in Germania & videri debet ex cujusvis Diœceſis obſervantia. 6. *Aſſaſinus*, qui pretio aliquem conducit ad occidendum, aut ſi conductus occidit. 7. *Hæretici ob crimen hæreſis.* 8. *Rei criminis læſæ majeſtatis in perſonam ipſius Principis*, ut ſi ſubditus Principem ſuum occidat, vulneret, hoſtiliter inſequatur, contra eum conjuret &c. ſecus ſi offendat Principis ſtatuam, ejus filios, legatos, &c. 9. Benedictus XIII. in ſua Conſtitutione etiam excluſit *conflantes, adulterantes aut tondentes quascunque monetas, vel eas expendentes.*

10. Be-

(a) *in Conſtit. Ex quo.*

10. Benedictus XIV. privavit jure aſyli omnes, *qui alterum in duello occidunt* (a).

(41) *Reſ.* 1. Benedictus XIV. (b) decrevit quemcunque homicidam ſive virum, ſive mulierem, ſive laicum, ſive Eccleſiaſticum ſæcularem aut cujusvis Ordinis Regularem, qui etiam baculo, aut ſaxo proximum ſuum occiderit, Eccleſiaſtici confugii beneficio minime gaudere, ubi ex delicti circumſtantiis dignoſcitur illius actum, quamvis in rixa commiſſum, non caſu aut ex neceſſaria defenſione, ſed ex odio & nocendi animo ac voluntate prodiiſſe.

(42) *Reſ.* 2. In dubio, an reus, qui ad aſylum confugit, illo gaudeat, imo dum certum eſt crimen eſſe exceptum, extradi vel extrahi non poteſt, niſi deſuper cognoſcat & pronuntiet Epiſcopus, ad quem hoc privative pertinet.

Reſ. 3. Si certum ſit crimen eſſe exceptum, aut pro hoc ſint indicia valde magna, & Judex ſæcularis extraditionem petat, debet reus caute cuſtodiri, adhibito etiam carcere, donec cauſa ab Epiſcopo decidatur, & ipſe extradendi licentiam det, & interveniat perſona Eccleſiaſtica ab Epiſcopo deſignanda. Addit Benedictus XIII. *ſupra*: ſi moraliter credibile eſt crimen eſſe exceptum, reus debet extradi Judici ſæculari exigenti, modo iſte in forma juris ſe obliget ad eum reſtituendum, ſi poſtea diluantur indicia, ex quibus delictum apparebat exceptum. Mandat denique Benedictus XIV. (c), ut percuſſore (homicida) ad Eccleſiam aliumve ſacrum aut Religioſum locum confugiente, ſi Chirurgi ad inſpiciendum vulnus acciti, grave vitæ periculum adeſſe retulerint, percuſſor ipſe e loco immuni ſervatis ſervandis, extractus carceribus mancipetur,

(a) *Vid. Pars* 2. *de Virt. Theol. n.* 84. *Reſ.* 3.
(b) *in Conſtit. Officii noſtri edita Anno* 1750. *Idibus Martii.* (c) *Ibid.*

petur, hac tamen lege, ut Eccleſiæ omnino reſtituatur, ubi is, qui vulneratus fuerit, ultra tempus a legibus conſtitutum ſuperſtes vivat, & quidem ſub iisdem pœnis, quibus ii ſubjiciuntur, qui delinquentem &c. indiciis ad torturam ſufficientibus ſibi traditum reſtituere recuſant, poſtquam in ſuis defenſionibus hujusmodi indicia diluerit.

Reſ. 4. Judex ſæcularis mandans extrahi aliquem ex aſylo, qui eo gaudet, miniſtri extrahentes, omnesque cooperantes, etiam non ſecuto effectu, peccant graviter contra religionem & juſtitiam, incurruntque excommunicationem latæ ſententiæ Papæ reſervatam juxta Bullam *Cœnæ*, a qua abſolvendi non ſunt, niſi extractum reſtituant loco, e quo extraxerunt, nec poteſt reus cedere huic juri; quia eſt principaliter cauſa Eccleſiæ. Omnes actus circa reum ſic extractum facti ſunt nulli.

Reſ. 5. Nequit prohiberi, quo minus ad reum neceſſarius victus & veſtitus deferatur; ſecus enim cogeretur exeundo ſe tradere: ideoque etiam, ſi aliter honeſto modo fieri non poſſit, eidem permitti debet egreſſus ad aliquot paſſus: V. G. ad exonerandam naturam & tunc capi non poteſt.

Reſ. 6. Non eſt prohibitum ponere cuſtodias circa Eccleſiam, ne reus libere effugiat, aut ut fugiens capi poſſit.

Reſ. 7. Rei ad aſylum fugientes recipiendi ſunt, neque excludi aut repelli poſſunt; quia Clerici præſertim Rectores Eccleſiarum tenentur harum jura tueri: hinc ſi neceſſaria vitæ a ſe vel ſuis non habeant, eisdem ut pauperibus ab Eccleſia ſunt ſubminiſtranda, pro quibus in commodum Eccleſiæ laborare tenentur; ſuntque tam diu retinendi, donec ſponte exeant, vel ad alium locum tuto transportari vel fugere valeant, quod tunc eis ſuaderi poteſt.

Reſ.

Reſ. 8. Si reus in aſylo ſuis inſolentiis turbaret communitatem, nec monitus ſe emendaret, poſſet expelli; quia eſt privilegium loci, *& quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum. R. J.* 61. *in* 6.

De Beneficiis, Simonia &c.

Caſus I. Titius jurato promiſit Cajo parochiam, proxime vacaturam: vacat; ſed quia pinguis eſt, ad preces armatas ad eam præſentat Nobilem, ſed idiotam, qui adepta parochia eligit ſibi cooperatorem idoneum, per quem omnia exercet, contentus, ſi ipſe Miſſas ſolemnes cantet. Q. 1. *An Titius vi promiſſionis ſaltem juratæ non teneretur Parochiam dare Cajo?* 2. *Qualiter peccaverit dando idiotæ?* 3. *quid dicendum de tali Parocho?*

℞. *Ad* 1. *Neg.* quia promiſſio beneficii proxime vacaturi, in quantum eſt collativa juris ad illud, prout hic ſumitur, non ſolum eſt irrita, ſed & illicita (a); ergo juramentum illi additum non valet; dum ergo promittitur beneficium vacans, ſpes datur; non jus. ℞. *Ad* 2. Peccavit graviter; quia ex *Trident.*, imo jure naturali ad beneficium curatum promoveri debent digniores; promotio indigni eſt invalida, ut docent communiſſime. ℞. *Ad* 3. Peccavit graviter acceptando, teneturque Parochiam dimittere, fructus reſtituere, cum non fecerit ſuos (b).

Obj. Conſuetudo etiam timoratorum habet, ut beneficia proxime vacatura promittantur: ipſe Papa dat exſpectantias, ergo non videtur illicitum.

℞. D. Si detur jus N. ſi tantum ſpes C. priori ſenſu eſt reprobata promiſſio.

Inſt.

(a) *Trid. Seſſ.* 24. *c.* 19. *de reform.*
(b) *Vid. Num.* 21.

Inſt. Saltem vi juramenti tenebitur, cum ut ſupponitur ſine peccato poſſit.

℞. N. aſſ. Jus Eccleſiaſticum reprobat has promiſſiones, quo jure non ligatur Papa, ideoque talis promiſſio, in quantum eſt collativa juris eſt peccatum, & juramentum nequit eſſe vinculum iniquitatis.

Caſus II. Titius ad beneficium quoddam aſpirat, ſed cum illi annexus ſit gradus Doctoris ſibique non fidat in hac Univerſitate prævio ſe ſiſtere tentamini, pergit ad aliam Univerſitatem, in qua amicorum favore doctoralem lauream obtinet. *Q. an peccet, & an beneficium ſic obtentum retinere poſſit?*

℞. Peccat, & dimittere tenetur, niſi poſſit brevi comparare Scientiam neceſſariam ad beneficii functiones exercendas, & gradui Doctoris convenientem: quia Eccleſia & Pontifices non aliam ob cauſam hunc gradum requirunt, quam ut ſolis doctis, non Doctoribus nominalibus, ea beneficia conferantur.

Caſus III. Cajus habens unum beneficium admittit ſecundum. Titius habet duo beneficia, ſed quia hæc nondum ad honeſtam ejus ſuſtentationem ſufficiunt, admittit tertium. *Q. an licite?*

℞. 1. Si beneficium Caji ſit inſufficiens ad competentem ſuſtentationem, poteſt ei conferri aliud ſufficiens ſine diſpenſatione, modo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat; ita *Trid.* An autem poſſit tunc ſimplex inſufficiens retinere diſputatur: plures affirmant, colligentes hoc ex *Trid.* dum dicit: *dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat.* Et cauſa eſſe poteſt, quia poſſidendo inſufficiens ſervivit Eccleſiæ, & ab ea ſuſtentationem non habuit, ergo decet, ut Eccleſia ſe liberalem in eum oſtendat.

Quodſi

Quodſi tam ſecundum quam primum eſſet inſufficiens, utrumque retinere poteſt, ſi non ſint incompatibilia quoad officium.

℞. 2. Si præhabitum Titii benficium ſufficiat ad ſuſtentationem, non poteſt admittere ſecundum etiam inſufficiens ſine diſpenſatione Papæ, quæ ut valide detur, requiritur juſta cauſa, *ut ſupra;* quam inordinata cupiditas ſæpe fingit, ideo requiritur judicium viri docti & conſcientioſi. Qui beneficia avide cumulant, notent illud S. Bernardi: *Qui non unus eſt in beneficiis, non unus, ſed plures erit in ſuppliciis,*

℞. 3. Titius ſine diſpenſatione Papæ non poteſt acceptare tertium ita Benedict. XIV. Inſtit. 91ma.

Caſus IV. Titius cuidam Nobili multa præſtat obſequia, ſub ſpe & intentione obtinendi ab eo, qua Patrono, paſtoratum, dumque proxime vacabit ſat pinguis, ſciens illum egere pecunia nullo interveniente pacto, tantum ut Patronum ſibi magis devinciat, dat ei 200. florenos, accipit paſtoratum, ſed mox Cajus illi movet litigia: hinc, ut ſe ab illo liberet, offert ejus nepoti reſignationem beneficii ſimplicis. Q. 1. *Quid ſit ſimonia, quotuplex, & quale peccatum? 2. An & per quid eam commiſerit Titius?*

℞. 1. Eſt *ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi ſpirituale vel ſpirituali annexum pretio temporali:* alia *mentalis*, alia *conventionalis: confidentialis* &c. Peccatum ex toto genere mortale (a). ℞. 2. Quod ſub hac ſpe ſervierit, nil eſt mali. Quantum ad intentionem, ſi per obſequia principaliter intenderit conſequi paſtoratum; eſt ſimonia: ſi autem illa exhibuerit, ut amicitiam ejus demereretur, cum ſpe mediante hoc accipiendi, gratis, non eſt ſimonia, nec malum (b).

℞. 3.

(a) *Vid. Num.* 26. & 27. 28. (b) *Vid. Num.* 33.

℞. 3. Dando 200. florenos commiſit ſimoniam; non enim cenſetur dediſſe gratis, ſed ut moveret. ℞. 4. Offerendo beneficium pro redimenda vexa, licet injuſta commiſit ſimoniam; quia offert ſpirituale pro temporali, quale eſt illa vexa. Qualiter autem liceat vexam redimere, *vide ſupra* (a).

Caſus V. Titius dum vota pro novi Parochi nominatione colligerentur, dicit concivibus ſimul votantibus: ſi in meum filium contuleritis vota, faciet ſuis ſumptibus eleganter pingi Eccleſiæ parietes, deaurari Altaria, chorumque reparari. *Q. An ſit Simonia?*

℞. *In* 1. & 2. Eſt: quia temporale offert erga rem ſpiritualem, ad quod aliunde etiam qua Paſtor non obligatur. *In* 3. Videtur non eſſe, ſi Paſtor aliunde ad hoc obligetur; quia licite me obligo ad faciendum id, quod poſtulat officium vel beneficium meum. *La Croix L.* 3. *P. I. n.* 101.

Caſus VI. Cajus ante aliquot annos accepit Parochiam, modo audit patrem ſuum Patrono obtuliſſe 100. aureos ex gratitudine dandos, quos & dedit putans licere. *Q.* 1. *An proviſio fuerit valida?* 2. *An Parochiam teneatur dimittere?* 3. *Quid ſi ſimonia fuerit tantum materialis? Aut* 4. *de hoc dubitetur?* 5. *Qui fructus reſtituendi, dum proviſio fuit invalida?* 6. *An liceat refundere pretium ſe inſcio datum?*

℞. *Ad* 1. Collatio fuit nulla, ideo tenetur in conſcientia Parochiam dimittere, vel diſpenſationem petere; niſi forte metuens ſimoniam contradixerit, & *dein*, depoſita ſuſpicione, bona fide aſſumpſerit Parochiam (b). ℞. *Ad* 2. Si per triennium cum ignorantia inculpabili pacifice poſſederit, poteſt retinere bene-

(a) *Vid. Num.* 35. (b) *Vid. Num.* 36.

beneficium (a); multi tamen requirunt novam proviſionem in S. Pœnitentiaria impetrandam, nec difficulter obtinendam, quod tutius. Poteſt retinere fructus per triennium poſſeſſos, utpote præſcriptos. *Ad* 3. Si ex parte neutrius fuerit ſimonia formalis, ſed materialis tantum, proviſio fuit valida; quia pœnæ ſtatutæ ſunt in odium delicti; ergo ubi nullum eſt delictum, nec pœna incurritur: ſufficit autem delictum unius cooperantis. ℟. *Ad* 4. In dubio poteſt præſumi non intercurriſſe ſimoniam formalem; quia delicta non præſumuntur. ℟. *Ad* 5. Non ſunt reſtituendi fructus bona fide conſumpti, nec diſtributiones pro præſentia, jura ſtolæ, & alii miniſterio correſpondentes (b). ℟. *Ad* 6. Si refundat ante obtentum beneficium, conſentit in ſimoniam, adeoque invalida eſt proviſio: ſi poſt valide obtentum ratificet factum, peccat, ſed non invalidatur: ſi tantum, ne videatur ingratus, non peccat.

Caſus VII. Cajus caro pretio emit prædium, cui annexum eſt jus patronatus, in quod ſe cum ſuis recipit; ut autem ſibi ſuisque proſpiciat, religioſis prope habitantibus dat certam peccuniæ ſummam pro obligatione ſuorum audiendi confeſſiones, iisque legendi miſſam, quando ſibi placuerit. Inſuper in eorum Eccleſia emit jus ſepulturæ. *Q. An hæc careant labe Simoniæ?*

℟. *Ad* 1. Jus Patronatus vendi non poteſt, & ſi ideo prædium carius emat, eſt ſimonia: quia pretii exceſſum dat pro illo jure, quod eſt ſpirituale; & in pœnam illud jus amittit. Si pretium non excedat valorem prædii per ſe ſpectati, non eſt ſimonia; quia nil datur pro ſpirituali. *Ad* 2. Pro adminiſtratione

(a) *Num.* 15. (b) *Vid. C. ſicut tuis* 33. *de ſim. & AA. a Janſen. cit. Caſ.* 66. *Num.* 36.

tione Sacramentorum poteſt aliquid exigi per modum ſtipendii ; pro obligatione tamen adminiſtrandi Sacramenta aliquid exigere, eſt ſimonia, quia obligatio talis connectitur cum ſpirituali tanquam fine: ideo titulo ſuſtentationis recipi debet temporale. *Ad* 3. Eſt ſimonia emere jus vel actum ſepulturæ in loco ſacro: quia pretium daretur pro re ſacra ; poteſt tamen aliquid exigi pro obligatione non ſepeliendi alios, quam certæ familæ defunctos in tali loco; quia privatio libertatis eſt pretio æſtimabilis: item aliquid applicandum fabricæ pro fundo loci, modo in his abſit turpis exactio & ſpecies avaritiæ ; ſicut & ſi jam exſtructum ſit juxta valorem expenſarum in ejus exſtructione factarum.

Caſus VIII. Titius exponit ſe publice audiendis confeſſionibus conſiderans lucra advenientia ; ideo potentiorum piſcatur amicitiam, pauperes & ruſticos declinat, dure tractando a ſe quaſi repellit, divitibus eſt blandus &c. *Q. An ſit Simoniacus?*

℞. Indubie peccat, & videtur eſſe ſimoniacus, ſi lucrum temporale, æſtimationem, favorem ex adminiſtratione Sacramenti principaliter intendat, quod convincitur facere ex diverſo modo tractandi: idem eſto judicium de Parochis, ſacellanis & confeſſariis diligentiſſime divites, negligenter pauperes infirmos viſitantibus ; ex quorum agendi modo facillime colligitur, non animas, ſed pecunias curari.

Caſus IX. Parochus per aliquem Agentem obtinuit Roma indulgentias, timet autem ipſi aliquid dare, ne committat ſimoniam, maxime cum in Brevi habeatur ; volumus, ut, ſi pro impetratione, admiſſione &c. aliquid minimum detur, aut ſpon-

ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint. Item: gratis pro Deo & Scriptura. *Q. An juſte timeat?* ℞. Pro ipſis indulgentiis, ſive ipſarum impetratione, præſentatione, publicatione nihil offerri, aut recipi poteſt: attamen illi, qui easdem procuravit, pro curſitationibus, aut labore, pro expenſis poſtæ moderatum aliquod ſine ullo periculo dari poteſt, imo debet. Interim multi nimium petunt cum damno Eccleſiarum. Caveant quoque parochi, ne nimium offerant ex Eccleſiæ reditibus, quorum non ſunt domini ſed adminiſtratores.

Caſus X. Titius emit vinum, ut autem acciſiam non ſolvat, rogat amicum Canonicum, ut teſtetur hoc vinum eſſe pro ſe emptum. Judex ſæcularis novit hunc Canonicum vivere in concubinatu; hinc de nocte cum apparitoribus in ipſius ædes irruit, concubinam extrahit, per menſem in cuſtodia detinet, Canonicum ad ſe citat, ab eoque expenſas factas requirit. *Quid ad hoc reſpondebit Theologus?*

℞. 1. Canonicus juvando fraudulenter ſæcularem non exemptum ad defraudandam acciſiam juſtam peccat cum onere reſtitutionis in defectu ſæcularis. ℞. 2. Judex peccat 1. irruendo in ædes Canonici; quia eſt violenta uſurpatio contra Eccleſiaſticos: 2. citando juridice Canonicum; eſt enim contra privilegium Clerici (a) vi cujus nec poteſt Clericus comparere coram Judice ſæculari, niſi qua actor contra laicum in cauſa temporali; nam actor ſequi debet forum Rei (b) peccat 3. condemnando eum in expenſas; ſic enim ſaltem indirecte judicium fert de crimine Clerici: concubinam tamen extractam licite traxit ad

(a) *Vid. Num.* 37. (b) *Cap. ſi Clericus* 5. *de foro comp.*

ad ſuum tribunal; quia (a) *ſocius criminis non gaudet privilegio ſocii;* deinde delictum licet phyſice unum, moraliter eſt duplicatum: accedit praxis communis.

Caſus XI. Veſperi importune pulſat ad monaſterium homo ignotus dicens, ſe occidiſſe hominem, ideoque petere aſylum, quem portarius repellit: interim irrepit miles deſertor, quem qua notum recipit, ſed mane repetitur ab Officiali. *Q. An bene factum fuerit, & quid fieri debuerit?*

℞. 1. Simpliciter repellendo per ſe peccavit graviter contra religionem & juſtitiam, & incurrit excommunicationem latæ ſententiæ (b).

℞. 2. Primum oportebat bene examinare; ſæpe enim fingunt, & occaſionem furandi quærunt. Si res erat ſuſpecta, non debebat mox repelli, ſed cuſtodiri, usque dum conſtaret de veritate; ſi occiſio fuerit præmeditata, ita ut non gauderet aſylo (c), debebat ipſi indicari, quod non ſit ſecurus, ideo mox fuga ſibi conſulat, antequam a Judice petatur.

℞. 3. Superior audiens injuſte excluſum & captum tenebatur ipſum repetere, eratque reſtituendus; fuit enim ſpoliatus jure acquiſito; ergo qui detinet, continuat moraliter injuriam.

℞. 4. Si miles repetatur in ordine ad pœnam mortis vel æquivalentem, non debet extradi, idque licet officialis impunitatem promittat, ſi reus huic non fidens nolit. Si præciſe ad militandum, ad quod ſe adſtrinxit, debet extradi; debet enim ſervus reddi domi-

(a) *L. ſi quis uxori, ff. de furtis in princ.*
(b) *Vid. Num.* 42. (c) *Num.* 41.

domino (a) modo officiales juramentum præſtent de immunitate ſaltem a pœna corporali gravi.

℞. 5. Si Dux V. G. acatholicus exigat militem gaudentem aſylo, & nolit promittere impunitatem, ſimulque timeantur gravia incommoda, poteſt ſuperior facta proteſtatione contra injuriam Eccleſiæ inferendam permittere violentam extractionem; non enim tenetur cum tanto incommodo tueri Eccleſiæ jura.

(a) *Cap. inter alia de immun. Eccleſi.*

INDEX
ALPHABETICUS
RERUM ET MATERIARUM IN HAC PARTE PRIMA CONTENTARUM.

In quo Numerus paginam, Littera V. Vide denotat.

A.

Abortus cauſatus num in dubio de animatione fœtus inducat irregularitatem 241. ex ſaltu exceſſivo ſecutus an matri culpabilis 13. ex uxoris percuſſione ſecutus an marito voluntarius 55. ſeq.

Abrogare legem quis poſſit 125. ſeq.

Abrogatio legis quid 127 quot modis fiat 126.

Abſentes an teneantur legibus ſui territorii 84. 180. an & qua pœna puniri poſſint 85. V. *Peregrini.*

Abſolutio ex metu data an valida 57. ſeq.

Abſtinentia quos obliget 161. 178 V. *Jejunium.*

Acceptatio an requiratur ad Legem 69. ſeq. V. *Lex.*

Accedia quid, quotuplex & quale peccatum 326. Remedia contra illam 327.

Actio

Actio hominis quomodo differat ab actu humano 2. V. *Actus humanus*.

Actus humanus in communi quid 1. magis proprie quid 2. 52. moralis quis 2. quotuplex ibid. qualis ad eum requiratur libertas 3. an poſſit eſſe ſimul bonus & malus 39. an habere diverſas malitias 258. indifferens in individuo an ſit poſſibilis 45 ſeq. externus an ſpecialem addat malitiam interno 40 ſeq. an in confeſſione explicandus & quando 41. indeliberate factus an & quando retineat malitiam objectivam 43. ſeq. quotupliciter poſſit ſe habere ad omiſſionem 271. illi conjunctus an & qualem habeat malitiam 332. eodem an poſſint impleri diverſa præcepta 101 ſeq. 182 ſeq. internus an poſſit eſſe materia legis 90 ſeq. 182. an & qua pœna puniri 92. juxtam conſcientiam erroneam invincibilem an honeſtus 203.

Actus Judicialis in die feſto celebratus an validus & licitus 149. V. *Labor, Opus ſervile*.

Adoptatus an & quando veniat nomine filii 137. V. *Interpretatio*.

Advertentia ad peccatum requiſita & ſufficiens 250.

Adulterium quid, & quale peccatum, & quot modis contingat. 304 ſeq.

Advocatus num poſſit tueri cauſam minus probabilem 345 ſeq. quid ſi apareat injuſta ibid.

Ætas qualis ad obligationem Jejunii requiratur 161. 179. quæ ad beneficium eccleſiaſticum. 429. V. *Abſtinentia*, *Beneficium*, *Jejunium*.

Ambitio quid 296.

Amentes quibus teneantur legibus 78. ſeq. eos an liceat incitare ad blaſphemias 43. 79. 179. an ad labo-

laborem 79. an carnes eis apponere diebus vetitis ibid. an vinum præbere, quo inebriantur ibid.

Affectus malus quotupliciter poſſit afficere actum 40.

Affiliationis fructus qui 51 ſeq. V. *Meritum.*

Aliena peccata quæ dicantur 254.

Amplexus libidinoſi qualia ſint peccata 313.

Ancillæ an poſſint diebus feſtis ſibi laborare 151. num omittere miſſam 190.

Apprehendens peccatum in genere quomodo peccet agendo 200. 224 ſeq.

Apoſtata ab ordine quis & quæ ejus pœnæ 407.

Aqua an ſub gravi miſcenda vino conſecrando & quæ hujus mixtionis ſignificatio 96. V. *Lex.*

Archiepiſcopus an poſſit abſolvere a cenſuris ab Epiſcopo ſibi ſubjecto latis 350. V. *Cenſura.*

Ariſtocraticus ſtatus quis 76. V. *Lex.*

Aſpectus rerum turpium an & quale peccatum 312 ſeq. quid de aſpiciente mulierem formoſam 313. aut ſtatuas obſcænas ibid. 54 ſeq.

Aſyli jus quid 453. quibus locis competat 454. quibus perſonis 455. quibus non 456. in dubio, an reus gaudeat aſylo num extradi vel extrahi poſſit. 457. Judex extrahi mandans, extrahentes an & quomodo peccent, & ad quid teneantur 458. Rei ad aſylum confugientes num poſſint re - vel expelli 458. quid de victu vel veſtitu ad illos deferendo vel cuſtodia ponenda 458. quid ſi reus injuſte ſit excluſus & captus ibid. 466. V. *Immunitas.*

Avaritia quid & quale peccatum 299. 337 ſeq. ejus filiæ 299. Remedia contra illam ibid.

B. *Baptiſ-*

B.

Baptiſmus ex metu ſuſceptus an validus 57. ſeq. illum conferens qualem debeat ſequi opinionem 216.

Barbitonſores num die feſto licite tondeant 152. an excuſentur a lege jejunii 165. V. *Labor. Jejunium.*

Beneficiatus ad quid obligetur 434. prævidens impedimentum an teneatur mane recitare veſperas 171. habens plura beneficia an ſatisfaciat una recitatione horarum 102. V. *Beneficium. Reſidentia.*

Beneficium eccleſiaſticum quid 412. quotuplex ibid. ſeq. quot & quibus modis acquiratur 416. quibus conferri poſſit valide 428. & debeat 432. num liceat plura ſimul habere 433. V. *Papa.*

Beſtialitas quid 308.

Bibere ob ſolam delectationem an licitum 47 ſeq. V. *Actus humanus.*

Bigamia quotuplex 375. V. *Irregularitas.*

Bonitas moralis quid 28. ex quibus adveniat actui 29. unde eſſentialis 30. unde accidentalis ibid. quomodo debeat eſſe volita 31. an explicite & reflexe intenta ibid.

C.

Canonicatus quid 414.

Canonicus an & quamdiu poſſit abeſſe a ſua eccleſia 434. recitans horas cum intentione non ſatisfaciendi an teneatur repetere 101.

Capellania num veniat nomine beneficii 413.

Carnes an liceat comedere inter hæreticos 57 ſeq. in earum eſu an detur parvitas materiæ 161. an ad

eas comedendas liceat adire locum ubi non eſt obligatio jejunii 87. an liceat eas diſpenſato in quadrageſima condire oſtreis 163. V. *Abſtinentia*, *Jejunium*.

Caſtitas quid & quotuplex 175. eam an teneatur ſervare ordinatus ex metu 57 ſeq. quid de eo, qui poſt diſpentationem in Voto caſtitatis peccat contra illam 186. ſeq. ad quid obliget Religioſum 401. V. *Religioſi*, *Ordines*.

Catechumeni quibus obligentur legibus 78. V. *Lex*.

Catholici an poſſint famulari acatholicis 190.

Caupo num peccet promendo vinum ſeſe inebriaturis 13.

Cauſæ excuſantes ab auditione miſſæ 156 ſeq. 190. a jejunio 162 ſeq. 192.

Cenſura quid 343. 381. quæ ejus ſpecies 346. quænam ab ea excuſent 347 ſeq. a quo ferri poſſit 349. 381. in quos 343. 381. num in peregrinos 345. num in abſentes 85. 382. lata an obliget extra territorium ferentis 346. contra facientes lata num incurratur a mandantibus 345. ſeq. a quo tolli poſſit. 350. an una ſine alia 351. aut ſi cenſuratus ſit abſens ibid. quot modis poſſit eſſe injuſta 348. V. *Abſentes*, *Archiepiſcopus*, *Pueri*.

Ceſſatio a divinis num ſit cenſura 344.

Charitas an requiratur ad impletionem legis 99.

Chirurgus num in partibus verecundis mederi poſſit cum periculo pollutionis 12. 55 ſeq. 310. qualia adhibere debeat medicamenta 218. amputans manum medendi cauſa num fiat irregularis 376. num incurrat ſi artem non intelligat, aut negligat 373.

Circumſtantia quid 31 ſeq. quotuplex 32. quando notabiliter aggravet ibid. quando ſpeciem mutet ibid. an & qualem tribuat actui moralitatem 35.

Circumſtantiæ quot 33. quid ſi non ſint cognitæ 36 ſeq.

Clauſuræ ingreſſus quibus, quomodo, & ſub quibus pœnis prohibitus 402. ſeq. 405.

Clerici an & quomodo obligentur legibus civilibus 77. 179. an a laicis puniri poſſint 77. quando de bonis ſuis contribuere debeant ibid. ſeq. abſentes an citari & cenſurari poſſint 85. bibendo in popina quando graviter peccent 97. in quibus veniant nomine civium 137. an poſſint comparere coram judice ſæculari 446. quali gaudeant immunitate 434. quid de clerico conſentiente in ſui percuſſionem 364. V. *Lex. Immunitas.*

Coactum quid 3. coactus implens legem an ſatis faciat 99.

Coitus cum dæmone quale peccatum 308.

Collatio beneficii quid 416. legitima quid requirat 421.

Collatiuncula veſpertina qualis licita in die jejunii 162. exceſſus in illa quis gravis 96. 191.

Commiſſionis peccatum quid 252.

Communicatio in divinis cum excommunicato vitando quale peccatum 106. 356. 383. ſeq. V. *Excommunicati.*

Communio paſchalis quos obliget 169. quid de ſacrilega 172. an & quando debeat præveniri 170 ſeq. 194. an poſſit tempus ejus prorogari 195. V. *Licentia.*

Complacentia ſimplex. V. *Delectatio.*

Complex Luxuriæ quis dicatur 138 in quibus ibid. ſeq. an poſſit abſolvi a confeſſario complice & quando ibid. ſeq. quid ſi tempore peccati commiſſi confeſſarius nondum fuiſſet ſacerdos 140. V. *Confeſſarius.*

Concilium generale quid, & quodnam legitimum 73. an poſſit ferre leges ibid. quid de aliis conciliis particularibus ibid. V. *Lex. Obligatio.*

Concubinatus quid. 302.

Concupiſcentia quid & quotuplex 25. an tollat voluntarium 26.

Confeſſarius quid ſcire debeat 25. quomodo procedere debeat cum conſuetudinario in peccato mollitiei 59. ſeq. quomodo cum ignorante legem naturæ 117. quomodo cum ſcrupuloſo 224 ſeq. quando teneatur inſtruere pœnitentem 208. 237 ſeq. quid ſi dubitet an monitio ſit profutura 211. an debeat anxius eſſe quoad numerum peccatorum 269. in mortali plures abſolvens quot peccata committat 266. peccans cum filia confeſſionis an ſpecialem contrahat malitiam 301. complicem abſolvens quam pœnam incurrat 139. num poſſit diſpenſare in jejunio 162.

Confeſſio ſacramentalis quos & quoties obliget 166. ſeq. 193. an eum qui mera habet venialia 167. an hæreticos ibid. cui facienda. ibid. quid de ſacrilega. ibid. num una pro multis neglectis ſuppleat 169. quæ pœnæ contra omittentes eam. ibid.

Conjuges ſodomitici quomodo peccent 305.

Conjux cum extranea conjuge adulterans quot peccata committat 267.

Con-

Conſcientia quid 195. 234. quotuplex 196 ſeq. an debeat eſſe certa 198 ſeq. quomodo obliget 199 ſeq. *Recta & invincibiliter erronea* ad quid obliget 202. 235. ad quid *Erronea vincibilis* 204. an & quando licitum eam ſequi. ibid. ſeq. an gravius peccatum agere contra hanc conſcientiam, vel eam ſequi 205. quomodo deponenda ibid. ſeq. *dubia* quid 198. 211. qualiter obliget 213. V. *Dubium. Perplexa* quid 198. 237. V. *Perplexio. Probabilis* quid 216.

Conſenſus ad peccatum mortale requiſitus 276. ſigna imperfecti 278. V. *Deliberatio.*

Conſuetudinarius advertenter malam conſuetudinem contrahens quomodo peccet, & ad quid teneatur 27. an & quando abſolvendus. ibid. 59. quid de actibus conſuetudinem retractatam ſubſequentibus 27 ſeq. 250.

Conſuetudo quid & quotuplex 141. quando habeat vim legis 142. 187. quando & quam legem abrogare poſſit. 143 ſeq. 187. quanto tempore debeat eſſe continuata 144. contra jus naturæ vel divinum an valeat. ibid. an revocetur revocatis privilegiis ibid. ſeq.

Contemptus legislatoris quotuplex, & quale peccatum 283 ſeq.

Contentio quid. 297.

Converſatio cum altero ſexu quæ licita, & quæ prohibita V. *Oſcula, Tactus.*

Copula Carnalis num cum actibus antecedentibus & ſubſequentibus faciat unum peccatum 262. 38. 61. eam abrumpens quando & quomodo peccet. 302. eam deſiderans cum muliere indeterminata quomodo peccet 60. quid ſi hanc habuerit ſub ſpe diſpenſationis 134. V. *Peccatum.*

Cor-

Corporis defectus quis inducat irregularitatem 373. V. *Irregularitas.*

Crapula quale peccatum 341.

Culpa quotuplex 105.

Cuſtodes pecorum num excuſentur ab auditione miſſæ 157.

D.

Decalogus quid 172. ejus præcepta ibid. ſeqq.

Decanus Ruralis qualem habeat jurisdictionem in Capitulares ſuæ Chriſtianitatis 180.

Declarationes Cardinalium an habeant vim legis 74 ſeq. legum an debeant promulgari 68. 178.

Degradatio, V. *Depoſitio.*

Defloratio Virginis an diſtinguatur ſpecie a ſimplici fornicatione 301.

Delectatio moroſa quid 287. 335. an & quale peccatum 288. 335. cujus ſpeciei 289. de effectu bono ex peccatis ſecuto an mala ibid. aut de modo actionis malæ ibid. de malis ſub conditione an licita 290. aut de malo ſine culpa facto ibid. an & qualem contrahat malitiam ex circumſtantiis 35 ſeq. 61. 294. 335 ſeq. V. *Senſitiva*, *Venerea.*

Deliberans num velit conſentire in mortale quomodo peccet 278.

Deliberatio quotuplex 276. qualis requiratur & ſufficiat ad peccatum mortale ibid. 332. ſigna deliberationis imperfectæ 278.

Democraticus ſtatus quis 76.

Depoſitio & *Degradatio* quid 367. num ſint cenſuræ 345.

Derogatio legis quid 127.

Deſiderare filiam alterius in uxorem num ſit peccatum 176.

Deſiderium objecti mali quam contrahat malitiam 293. 60. conditionatum, V. *Delectatio.*

Deſperans de emendatione quomodo erigendus 59 ſeq.

Detrahens aliis quomodo examinandus 62. 265. eodem actu uni in diverſis materiis quot peccata committat 265 ſeq.

Diligentia quæ ad tollendam ignorantiam adhibenda 21.

Diſcedens e loco, ubi eſt præceptum, ad locum, ubi non eſt præceptum, an obligetur 86 ſeq. 180 ſeq. an ante diſceſſum in loco ſuo debeat audire miſſam 88. V. *Carnes.*

Diſcordia quid 297.

Diſpenſare in lege quis poſſit 127 ſeq. 185. inferior an in lege ſuperioris 127. an confeſſarius 186. quis in irregularitate 377. 387. v. *Epiſcopi, Papa, Parochus, Prælati, Regulares.*

Diſpenſatio quid 126 ſeq. ſine cauſa data an valeat 129. hac ceſſante an ceſſet 130. 186. quid ſi fuerint allegata falſa 131. quid ſi de cauſæ ſufficientia dubitetur 132. 186. ob- & ſubreptitia quæ & an valida ibid. ſeq. obtenta ſemel an exprimenda in petitione ſecundæ 134. an exſpiret morte concedentis 135. an ſufficiat præſumpta aut tacita 136.

Diſtans ab eccleſia num excuſetur a miſſa 157.

Diſtantia graduum conſanguinitatis an debeat exprimi in ſupplica diſpenſationis 133. V. *Diſpenſatio.*

Diſtractus tempore miſſæ an ſatisfaciat præcepto 154.

Divul-

Divulgatio legis quomodo differat a promulgatione 66.

Domicilium, vel quaſi domicilium quis acquirat 80 ſeq. illud habens quando obligetur legibus 81.

Dominica Dies quomodo ſanctificanda 148. 173.

Dubiis internis vexatus quomodo juvandus 230 ſeq. V. *Scrupuloſus*.

Dubitans ad quid teneatur 213 ſeq. in fide an ſit hæreticus 211 ſeq. de homicidio an irregularis 372. V. *Homicidium*.

Dubium quid 211. quotuplex 212. 240. practicum & ſpeculativum quid 212. 240. cum practico an liceat agere 213. 240. num in dubio ſit melior conditio poſſidentis 240 ſeq. V. *Conſcientia*, *Poſſeſſio*, *Poſſidentis*.

E.

Ebrietas quid & quale peccatum 320 ſeq. 341. quando ſit perfecta 321. num licita ſanitatis vel mortis evitandæ cauſa 322. an tollat voluntarium 11. 55 ſeq. quid de illo, qui prævidet ſe inebriandum dum exit in aerem 323. quando & quomodo quis peccet alium provocando ad potum ibid. quæ contra ebrietatem remedia 325.

Ebrius an teneatur legibus 79. aſſiſtens Miſſæ an ſatisfaciat 154. 179. eum an liceat incitare ad Blasphemias 43.

Eccleſiæ præceptum primum ad quid obliget 146. ad quid ſecundum 152 ſeqq. ad quid tertium 158 ſeqq. ad quid quartum 166. ſeqq. ad quid quintum 169 ſeqq.

Edere ob ſolam delectationem an licitum 47. ad ſatietatem 319.

Electio medii unde ſumat ſuam moralitatem 37 ſeq. bona an vitietur per intentionem malam 39. quid ſi media habent diſtinctas malitias 37 ſeq. V. *Copula.*

Electio ad beneficium quid 416. quot modis fieri poſſit 419. valida quid requirat ibid. ſeq. abſens electioni an poſſit mittere votum ſuum 420.

Electuaria conſervativa an frangant jejunium 160 ſeq.

Eleemoſyna ob vanam gloriam data an & qualis ſit actus miſericordiæ 39.

Emens rem cum dubio an furtiva qualiter peccet. V. *Dubium.*

Epiſcopi an teneantur leges pontificias in ſuis diœceſibus promulgare 71. eorum poteſtas legislativa 73. 78. diſpenſativa 128.

Epikia quid & quando ſubſiſtat 140 ſeq.

Euchariſtiam in ſtatu disgratiæ diſpenſans quot committat peccata 266 ſeq.

Error in petenda diſpenſatione ignoranter vel ex incuria ſcriptoris in reſcripto commiſſus an vitiet diſpenſationem 135.

Excommunicati qui ſint vitandi 352. in quibus 355 ſeq. quid. ſi quis non vitaret 356. V. *Communicatio.*

Excommunicatio quid 358. quotuplex ibid. ſeq. effectus minoris 352. effectus majoris 357. quid de excommunicatione lata contra hæreticos 357. legentes libros hæreticos ibid. ſeq. 384. vel prohibitos 360. quid de ea, quæ lata eſt contra percuſſorem clerici 361 ſeqq. 382 ſeq. an hanc incurrat qui clericum injurioſis verbis afficeret 363. contra il-

lum

lum ſe defenderet ibid. V. *Hæretici*, *Legens*, *Percuſſor*.

Exercitia ſpiritualia quomodo fructuoſe ſervanda 182.

F.

Factum num in dubio præſumatur 241.

Famulæ & *famuli* an excuſentur a jejunio 165. eos abſtrahens a famulitio dominorum quomodo peccet 176. V. *Ancillæ*, *Catholici*.

Filius an & quando licite gaudeat de morte patris aut eam deſideret 44. poſt hujus mortem an obligetur præcepto patris 177. quomodo peccet & parentibus inobediens 174. aut illis imprecans 61. ſeq. num ingrediendo Religionem, ſi hi ipſius ſubſidio egeant 392. V. *Parentes*.

Finis actus quid & quotuplex 29. extrinſecus quando det primam ſpeciem 34. 37. quando in confeſſione explicandus 37 ſeq. honeſtus an debeat præfigi omni actui 45.

Finis legis quotuplex, & quot modis ceſſare poſſit 123. an illo ceſſante lex ceſſet 124. V. *Lex*.

Fornicatio quid & quale peccatum 300. Fidelis cum infideli an ſpeciale peccatum 302. quid de eo, qui dicit ſe ter fornicatum 62.

Franciſcanus ante annum 21mum num teneatur ad jejunia Eccleſiæ & ordinis 161. quomodo peccet non jejunans feria ſexta 4 temporum 259.

Fruges quando licite invehantur Diebus feſtis 152. V. *Labor*.

Furta minuta an coaleſcant 286.

Fur-

Furtum an contrahat malitiam ſpecialem ob circumſtantiam loci 34. 60. quid ſi res ablata ex loco ſacro fuiſſet profana 255. V. *Circumſtantiæ, Locus.*

G.

Gaudium de pollutione vel tactu turpi involuntarie habitis an licitum 43 ſeq. V. *Delectatio.*

Gratia quæ & quomodo cadat ſub merito 49 ſeq. V. *Juſtus, Meritum.*

Gregem ovium abigens quot peccata committat 268.

Gula quid & quale peccatum 319. effectus ejus 320.

H.

Hæretici an teneantur legibus eccleſiæ 78. 188. an poſſint ſepeliri in loco ſacro 379 ſeq. eorum pœna 357. an gaudeant jure aſyli 456. V. *Confeſſio, Excommunicatio, Lex, Sepultura.*

Homicidæ quinam non gaudeant jure aſyli 178. 456. V. *Aſyli jus.*

Homicidium an admittat parvitatem materiæ 271. quale inducat irregularitatem ex delicto 371. quid. in dubio facti de homicidio 372.

Hypocriſis quid 396.

I.

Jactans ſe cum detrimento aliorum quomodo peccet 297. quid de illo, qui ſe jactat de opere malo ibid. ſeq.

Jactantia quid 296.

Jejunare qui teneantur 161. V. *Ætas, Famulæ, Sexagenarii.*

Jejunium quotuplex 158. ad eccleſiaſticum quæ requirantur ibid. de illius fractione ſe accuſans quomodo examinandus 191 ſeq. quæ ab illo excuſent 162 ſeq. 192. in eo quis diſpenſare poſſit 162. V. *Carnes, Cauſæ, Collatiuncula, Confeſſarius, Infirmitas, Papa, Parochus, Refectio.*

Ignorans jejunium an peccet comedendo carnes 58 ſeq. quid de illo, qui ignoravit aliquid eſſe peccatum 22 ſeq.

Ignorantia quid & quotuplex 19 ſeq. 58 an cauſet involuntarium & excuſet a peccato 21 ſeq. 58 ſeq. 115 ſeq. an ab irregularitate, reſtitutione 22. 58. an in lege irritante 112 ſeq. concomitans num excuſet ab excommunicatione 22. an & quando ſit ſpeciale peccatum 24 quando ſit culpabilis 20. 58. quando vincibilis 20. 24. quænam invincibiliter ignorari poſſint 115 ſeq. V. *Principia.*

Illegitimi qui dicantur 374.

Immunitas eccleſiaſtica quid & quotuplex 453. quibus competat ibid. V. *Clerici.*

Impedimentum an & quando liceat ponere legi 121 ſeq. poſitum an ſit removendum 122.

Imperfectio moralis quid 328.

Impotentia quotuplex 119. an excuſet ab obſervatione legis ibid. 184 ſeq. an ab auditione miſſæ 156. quid ſi inſtante hac apprehendatur obligatio illam audiendi 201 ſeq. quid de eo, qui non poteſt implere totam legem 119 ſeq. V. *Cauſæ.*

Imprecationes quale ſint peccatum 52. quid de uxore filiis aut marito imprecante ibid. 59.

Inceſtus quid & quale peccatum 305. an omnes ſint ejusdem ſpeciei ibid. ſeq. quid de eo, qui in conſanguinitate diſpenſatus peccat carnaliter cum ſponſa 186 ſeq.

Infamia quotuplex & an inducat irregularitatem 374 ſeq. quomodo tollatur 377.

Infantes an & quibus teneantur legibus 78 ſeq. ex poſiti an ſint irregulares 374.

Infideles quibus teneantur legibus 78.

Infirmitas an excuſet a jejunio 98. 163. an ab integritate confeſſionis 184 ſeq. an ab auditione miſſæ 156. V. *Cauſæ*, *Impotentia*, *Jejunium*.

Infirmo qualis danda ſit medicina 218.

Inobedientia quotuplex 259 formalis an poſſit eſſe ſine contemptu formali 284.

Intentio an & qualis requiratur ad implendam legem 98 ſeq. 183. num intentio ſatisfaciendi 100. 183. aut referens actum ad finem extrinſecum legislatoris 101. bona an vitietur per electionem malam 38.

Interdictum quid & quotuplex 367. an & quando liget innocentes 368. quæ ſacramenta tempore interdicti adminiſtrari poſſint 369.

Interpretatio legis quid & quotuplex 136 quænam in illa obſervanda 137. quis poſſit legem interpretari ibid. V. *Senſus Verborum*.

Interruptio moralis quotuplex 260 ſeq.

Intruſus in beneficium quis dicatur 430.

Invidentia fraternæ caritatis quid 318.

Invidia quid & quale peccatum 317. 340. ejus filiæ 318. remedia contra illam ibid. ſeq.

Involuntarium quid & quotuplex 14.

Ira quid & quale peccatum 325 ſeq. ejus filiæ & remedia contra illam 326. V. *Vindictæ appetitus.*

Irregularitas quid 369. 386. ejus effectus 370. quotuplex ibid. an ſit cenſura 344. unde oriatur ex delicto 386. 370. unde ex defectu 373. quid de Clerico reum accuſante in judicio 376. eundem ad progrediendum adhortante 377. quomodo tollatur ibid. ſeq. V. *Homicidium*, *Ignorantia*, *Mutilatio*, *Regulares*, *Chirurgus.*

Irreverentia quando irrogetur divino nomini 173.

Irritatio actus unde colligatur 111. V. *Lex*, *Modus.*

Judæus ex metu Baptizatus an ſubjiciatur eccleſiæ 57. V. *Baptiſmus.*

Judex in ferenda ſententia quam opinionem ſequi debeat 217. 244 ſeq. an ſi rationes utrinque ſint æquales poſſit adjudicare rem cui voluerit 245. an peccet inebriando reum ad fatendum crimen 323. V. *Ebrietas.*

Jurisdictio dubia an ſufficiat ad abſolvendum, V. *Confeſſarius.* An præſumpta vel vacita 7.

Jus gentium quid 145.

Juſtus quid mereatur 49 ſeq. V. *Gratia*, *Meritum.*

L.

Labor excuſans a jejunio 164. 192. *Servilis* quis dicatur 148.

Laborans die feſto quomodo peccet 150. 188.

Lacticinia an licita in quadrageſima 159. V. *Abſtinentia.*

Laicus an ſit capax beneficii eccleſiaſtici 428. 413. an juris ad illud eligendi 420. V. *Beneficium*, *Electio.*

Lau-

Laudans alium de opere malo quomodo peccet 289.

Legens hiſtorias cum prævifione delectationis de objecto turpi ſecuturæ quomodo peccet 54 ſeq. quid de legentibus libros hæreticorum, V. *Irregularitas.*

Lex quid ſit 62. 177. quæ ejus materia 63. 89. 181 ſeq. quotuplex 63 ſeq. 177. an & quomodo promulganda 65 ſeq. 178. promulgata an ſtatim obliget 67. 178. an debeat acceptari 69. quid ſi ſubditi habeant juſtam cauſam non acceptandi 72. eam quis ferre poſſit ibid. ſeq. quos obliget 75. ſeqq. 179. an legislatorem 76. num ceſſet ceſſante cauſa finali 123 ſeqq. quo tempore implenda 102. *Divina* num ſemper obliget cum vitæ periculo. 18. 185. *Vetus* continebat triplicis generis præcepta 64. *Humana* quid 65. quotuplex ibid. an obliget in conſcientia 181 ſeq. vel cum periculo vitæ aut alterius damni 97 ſeq. 18 ſeq. quos actus præcipere poſſit 89. 181. ſeq. quando obliget ſub gravi 93 ſeq. 181 ſeq. an materiam levem præcipere poſſit ſub gravi 97. aut gravem ſub levi 94. an legislator peccet ſic præcipiendo 95. an obliget ex ea virtute, quam legislator intendit 103. *Pœnalis* quotuplex 104. num obliget ſub culpa & ad quid 105. 184. quid ſi imponatur pœna excommunicationis 106. num ante ſententiam ibid. ſeq. *Irritans* quid 109. quot modis actum irritare poſſit ibid. num obliget in conſcientia 110. quando cenſeatur irritare actum 111. quid de lege fundata in præſumptione 113. V. *Abrogare*, *Acceptatio*, *Actus humanus*, *Amentes*, *Conſuetudo*, *Diſpenſare*, *Epykia*, *Ignorantia*, *Impedimentum*, *Impotentia*, *Intentio*, *Interpretatio*, *Irritatio*, *Modus*, *Pœna.*

Libertas quotuplex 3. ſeq.

Liberum arbitrium quid, & an detur in ſtatu naturæ lapſæ 4.

Licentia præſumpta an & quando honeſtet actum 7. præſumpta *Parochi* an ſufficiat ad aſſiſtendum matrimonio ibid. 53. an in paſchate ad communicandum extra parochiam 170. an & quando Religioſo in materia paupertatis 400. V. *Diſpenſatio*, *Juriſdictio.*

Litteræ Amatoriæ num peccaminoſæ 314.

Locus ſacer quis & per quid talis 35. qualis circumſtantia 32. 60.

Loqui turpia an & quale peccatum 311 ſeq. V. *Sermones.*

Luctus funebris an excuſet in labore die feſto ſartorem 152.

Ludens qui vovit abſtinentiam a ludo quomodo peccet 333 ſeq. quid de eo, qui ludit cum alio, qui nondum audivit miſſam 273.

Luxuria quid, & quæ ejus ſpecies 300. remedia contra illam 316.

M.

Mala imprecans quot peccata committat 266.

Malitia moralis quid 28. quotuplex 28. ſeq. unde adveniat actui 29. an maneat in actu externo indeliberate facto 43. qualiter in actu malo intendatur 31. V. *Actus humanus*, *Electio*, *Intentio.*

Martyr in effectu an plus mereatur, quam talis in affectu 41.

Mater num licite aſſumat prolem ſecum ad lectum 52 ſeq.

Materia Legis, V. *Lex.* Gravis quæ 95. 181 ſeq. 281.

Materiæ parvitas in quibus peccatis detur 281. in quibus non 279. ſeq. V. *Homicidium*, *Mollities*, *Perjurium.*

Matrimonium cum impedimento apprehenſo contractum an validum 236 ſeq. quid de matrimonio in locis ubi Tridentinum non eſt receptum 87. 180 ſeq.

Medicus qualia remedia adhibere poſſit, & debeat 218.

Mendacium an ratione conſcientiæ quandoque ſit grave peccatum 200. an quandoque obligatorium 202. an meritorium 203 ſeq. indeliberate factum an maneat objective malum 43. quid de illo qui mendaci promiſſione matrimonii ſeducit puellam 38. V. *Actus humanus*, *Conſcientia.*

Mercator an licite deſideret mercium penuriam 176. quid de praxi mercatorum ad ſe, ut dicunt, indemnizandos 187 ſeq.

Mercatus in diebus feſtis an licitus 149 ſeq.

Meritum quid, quotuplex, & quas requirat conditiones 48 ſeq. quæ cadant ſub merito 49 ſeq.

Metus quid & quotuplex 16. 57. an & quale cauſet in voluntarium 17. 57. an & in quibus præceptis excuſet a peccato 18. 57 ſeq.

Miles an teneatur cum periculo vitæ manere in ſtatione 19. dubitans de juſtitia belli an poſſit militare. V. *Dubium.*

Miniſter Sacramenti qualem debeat ſequi ſententiam 216.

Miniſtri Juſtitiæ qui ſint irregulares 376.

Miſſa quoties, & a quibus audienda 152 ſeq. 190 ubi 153. in nativitate Domini an tres 153. 142. num in die cinerum & animarum 153. qualis ad illam requiratur at - & intentio 154 ſeq. quid de dormientibus, confabulantibus, recitantibus horas vel ſacramentaliter confitentibus ſub illa 154 ſeq. quid de miniſtrante ſi parum recedat 155. quid de audiente ſucceſſive duas medias 156. quid de ſero venientibus ibid. 189. 333 ſeq. quid ſi non poſſit audiri tota 189. quænam ab illa excuſent 156 ſeq. V. *Cauſæ*, *Impotentia*, *Infirmitas.*

Modus actui præſcriptus quando cenſeatur ſubſtantialis 111.

Molere num licitum die feſto 149.

Mollities quale peccatum. V. *Pollutio.*

Moniales quomodo obligentur ad clauſuram 403. eam egredientes quomodo peccent 404. 95. quam pœnam incurrant 404. quid ſi clauſuram non fuerint profeſſæ 403. 70.

Moribundus ſenſibus deſtitutus an & quando abſolvendus 184 ſeq.

Mortale peccatum quid 253. per quid differat a veniali 276. quænam ad illud requirantur ibid. ſeq. 332. ſeq. quotuplex 278. quibus modis fiat veniale 279. 332. ſeq. V. *Materiæ parvitas.*

Motus primo primi num voluntarii 5.

Motus turpes ex delectatione orti an exprimendi in confeſſione 295.

Motus vitioſi quando peccaminoſi 26 ſeq.

Mulier vi oppreſſa ad quid teneatur 15 ſeq. 56 ſeq. quomodo peccet nimio utens ornatu 297. aut incedens

dens pectore nudo 13 ſeq. quid de illa, quæ advertit ſe turpiter amari a ſponſo 334 ſeq.

Mutilatio qualis inducat irregularitatem ex delicto 371. 372. 387. quid in dubio mutilationis 372.

N.

Neceſſarium quid 14.

Novitius an gaudeat privilegio canonis 362. an privilegiis ſuæ religionis 84. 137. 395. an obligetur ejus ſtatutis ibid. an poſſit confiteri confeſſario ſæculari 395 ſeq. quomodo de bonis ſuis ante profeſſionem diſponere 396. Novitiatum quando cenſeatur interrumpere 393. num peccet ſcienter ante annum 16tum profeſſionem emittens 110.

O.

Obedientiæ votum ad quid obliget Religioſum 401 ſeq. 411.

Objectum actus quid 29. qualem actui tribuat moralitatem ibid. ſeq. V. *Bonitas*, *Malitia.*

Obligatio legis quid 63. quotuplex 75.

Obligationibus pluribus num poſſit ſatisfieri eodem actu 101. 183. num eodem tempore 102. V. *Actus humanus*, *Beneficiatus.*

Oblivio naturalis an cauſet in voluntarium 21 ſeq.

Occidens plures eodem actu quomodo peccet 265.

Omiſſio alicujus quando voluntaria & culpabilis 9. ſeq. 273 ſeq. in ſomno contingens an peccaminoſa 274.

Omiſſionis peccatum quid 252.

Opera forenſia an licita diebus feſtis 149. V. *Actus judicialis.*

Opifices quinam excuſentur a jejunio 164 ſeq.

Opinio quid 216. ex ea ut quis operetur quænam obſervandæ regulæ 215. probabilis in quibus materiis ſpecialiter reprobata ſit 216 ſeq. Medicus an in aliquo caſu eam ſequi poſſit ibid. rationes pro ſententia negante licitum eſſe ſequi probabilem afferuntur 219 ſeq. item pro affirmante 220 ſeq. an ſaltem per accidens quandoque ſit licitum ſequi probabilem 221. quibus limitibus opinionis probabilis propugnator circumſcribendus ſit 222. tutior an ſemper eligenda 214. an per accidens quandoque ibid. V. *Advocatus*, *Chirurgus*, *Confeſſarius*, *Medicus*, *Miniſter Sacramenti*, *Judex.*

Opus ſervile an, & quando licitum diebus feſtis 150. ſeq. 188.

Ordinatus in ſacris an committat ſacrilegium peccando contra caſtitatem, ſi eam non voverit 306 ſeq.

Originale peccatum quid 252.

Oſcula quando ſint licita 310. quando illicita 313. 315. quid de ea, quæ confitetur ſe oſculum accepiſſe 52 ſeq.

Oſtentatio quid 296.

P.

Papa an & quales poſſit condere leges 73. 75. an obligetur legibus eccleſiaſticis 76. an præcepto confeſſionis 167. in quibus diſpenſare poſſit 127 ſeq. num in pluralitate beneficiorum 433. an principibus ſæcularibus licentiam dare aliquid exigendi de bonis

bonis clericorum 78. quot modis conferat beneficia 421. V. *Lex, Beneficium.*

Parentes quomodo honorandi 174. horum nomine qui veniant 173 ſeq. imprecantes filiis quomodo peccent 52. 59.

Parochus ad quid obligetur 436. quamdiu poſſit abeſſe a ſua parochia ibid. quæ ſacramenta cum periculo vitæ miniſtrare debeat 185. indoctus ad quid teneatur 235 ſeq. an ſatisfaciat ſua peragendo per alios 437. an poſſit impedire ſepulturas in eccleſiis regularium 388. in quibus diſpenſet 150. num in Jejunio 162. quid de illo qui ſine licentia copulat ſubditum alterius parochiæ 385.

Patronatus quid 417. quot modis jus hoc acquiratur ibid. an poſſit vendi ibid. ſeq.

Patronus quale ſubjectum ad beneficium præſentare debeat 418. quid ſi præſentaverit indignum ibid., intra quod tempus præſentare debeat ibid. ſeq.

Pauperes an licite utantur pinguedine diebus jejunii 158 ſeq. num excuſentur a jejunio 164.

Paupertas ad quid obliget religioſum 397 ſeq. ficta num vitiet diſpenſationem 134. V. *Diſpenſatio, Religioſi.*

Peccatum quid 249. an detur pure philoſophicum 251. an inadvertentiæ vel ignorantiæ ibid. quotuplex 252 ſeqq. unde diſtinguatur ſpecie 255 ſeqq. 329. unde numero 258. 330. quæ & quot ſint peccata capitalia 295.

Penſio quid 413. 425. an ſit beneficium 413. an & quando ex beneficiis licite habeatur 425 ſeq.

Percuſſor Clerici quis, & quando incurrat excommunicationem 361 ſeq. 382 ſeq. quid ad hoc requiratur

ratur 363. quid ſi dubitetur utrum percuſſio fuerit enormis 140 aut an fuerit clericus 240. aut ſi ad ſui defenſionem 363. a quo poſſit abſolvi 364. quid de percutiente Eremitam 362. 383.

Peregrini an & qualiter teneantur legibus locorum 82. 181. V. *Abſentes*, *Lex.*

Periculo peccati ſe exponens quomodo peccet 213.

Perjurium an admittat parvitatem materiæ 279.

Permutatio beneficiorum quid? an & quando licita 427.

Perplexo quid agendum 207 ſeq. 237 ſeq.

Perſonæ circumſtantia an mutet ſpeciem 33. in delectatione moroſa an exprimenda perſona circa quam 61. 294. V. *Delectatio.*

Pertinacia quid 296.

Pingere an licitum die feſto 188.

Pœna quotuplicis generis 104. an ſubeundæ ante ſententiam judicis V. *Lex.*

Pœnitentia injuncta in confeſſione qua intentione perſolvenda 100. 182 ſeq. V. *Intentio.*

Pollutio quid & quale peccatum 309. in ſommo habita an peccaminoſa 53 ſeq. 332 ſeq. an in confeſſione explicanda 311. indirecte volita an & quale peccatum 309 ſeq. hujus malitiam ignorans quomodo examinandus 117 ſeq. quid de equitante cum periculo pollutionis 12. quid de illo, qui confitetur ſe decies habuiſſe pollutionem 339. eodem concupiſcentiæ motu ſe pluries polluens quot peccata committat 268.

Poma an frangant jejunium 161.

Poſtu-

Poſtulatio quid 416. Legitima quid requirat 420 ſeq.

Potus an & qualis frangat jejunium 160. 191.

Præcepta quando formaliter diverſa 256 ſeq. num exſpirent morte præcipientis 63. 177. quæ dicantur primæ, quæ ſecundæ tabulæ 172.

Prælati Regulares an poſſint abſolvere ſuos a percuſſione Clerici 364 an diſpenſare in irregularitate 378. an cenſurare 349. an extraneis concedere communionem orationum 51. an præcipere actus mere internos 93. an licentiam dare in - & egrediendi clauſuram & quando 404. 406.

Præſentatio quid 416. V. *Patronatus.*

Prandium in Die jejunii an interrumpi, & quamdiu protrahi poſſit 160.

Principia morum an quæ ignorari poſſint 115 ſeq.

Privilegium quid, & quotuplex 145. quis concedere poſſit 146. quando ceſſet ibid. num exſpiret morte concedentis ibid. num quis eo uti teneatur ibid. aut uti poſſit extra territorium concedentis 147.

Privatio officiorum, vocis activæ & paſſivæ an incurratur ante ſententiam 108. V. *Pœnæ*, *Lex.*

Probabiliſmus. V. *Opinio.*

Prodigialitas quid 299.

Profeſſio religioſa ut ſit valida quæ requirat 393. quos habeat effectus 396. ſeq. ante completum novitiatum quando & quomodo valeat 394. ſi fuerit nulla, an & quomodo ratificanda ibid. ſeq. V. *Religioſi.*

Profeſſus ad quid teneatur 391. an poſſit de uno ordine tranſire ad alium, & quid ad hoc requiratur 396. invalide profeſſus an poſt quinquennium diſcedere 114 ſeq.

Promiſſio beneficii vacaturi an valida 451.

Promulgatio, V. *Lex.*

Pueri num teneantur legibus eccleſiæ & civilibus 79. ſeq. an præcepto abſtinentiæ 80. 179. num præcepto confeſſionis 80. 166. 180. an poſſint intromitti in clauſuram 80. 405. an & quas cenſuras incurrant 80. 345.

Puſillanimitas quid 298.

Q.

Qualitas & quantitas quando cenſeantur notabiliter aggravare vel minuere malitiam actus 32.

Quantitas materiæ quænam cenſeatur gravis 333 ſeq.

R.

Rancor quid & quale peccatum 327.

Raptus quid 303.

Refectio quotuplex licita in die jejunii 158. diſpenſato in eſu carnium num licita duplex 163. quid de anticipante eam, aut extra illam ſæpius quid modicum ſummente 160. V. *Jejunium.*

Regula moralitatis quotuplex 28.

Regulares an poſſint diſpenſare in irregularitate 387. an & quos abſolvere a caſibus Papæ reſervatis 378.

extra conventum mortui ubi ſepeliendi 388 ſeq. quid de ſepultura commenſalium ibid.

Religioſi an obligentur legibus civilibus 77. an & in quibus ſubjiciantur Epiſcopo 78. 408 ſeq. an obligentur ad jejunia ab Epiſcopo indicta 161. ad quid ex voto paupertatis 397. ſeq. an peccent ſi dominium apud donantem relinquant, ipſi vero re utantur 398. aut pecuniam ſibi oblatam apud amicum ſuperiore inſcio deponant 411. quomodo peccent, ſi aliquid retineant ex bonis conventus 398. 410. quid ſi plura modica recipiant in conſulto ſuperiore 399. aut eſculenta vel poculenta ibid. an miſſam offerre, manuſcripta, picturam &c. donare poſſint 401. ad quid obligentur vi voti caſtitatis ibid. ad quid ex voto obedientiæ ibid. ſeq. 411.

Reſidentia quid 434. quomodo obliget beneficiatos ibid. ſeq.

Reſignatio quid 422. quot modis fieri poſſit ibid. in favorem tertii an requirat conſenſum patroni 423. quid ſi reſignans ante tempus ſtatutum moreretur 424. an poſſit fieri cum reſervatione penſionis 425.

Revelatio exiſtimata an ſufficiat ad actum fidei 203. 235 ſeq.

Reus an teneatur poſt ſententiam pœnam ſubire, & quando eam per ſe exequi 108 ſeq. num poſſit effringere carcerem 184. aut alter ad hoc cooperari ibid.

S.

Sacerdos concedens alteri miſſam applicandam an poſſit retinere partem ſtipendii 178 ſeq.

Sacramentum ex fine venialiter malo ſuſceptum an caulet gratiam 40.

Sacrilegium carnale quid 306. *perſonale* quando contingat ibid. 401. *locale* quando 307. quando *reale* ibid.

Sartores an licite laborent ultra mediam noctem ante diem feſtum 152. an excuſentur a jejunio 165.

Scientia qualis requiratur & ſufficiat in judice vel Confeſſario 23.

Scrupuloſus a quo & unde cognoſcendus 224 ſeq. 247. quomodo tractandus 224 ſeq. quæ remedia illi præſcribenda 226. ſeqq. 247. ſeq. privilegia ejusdem 229. quid ſi ante hac vixerit in conſuetudine peccandi ibid. ſeq. quid agendum cum illo, qui ſcrupuloſe ſemper timet, ne cum dubio operetur 232. ſeq.

Scribere an ſit opus ſervile 148.

Scrupulus quid 198. 222. contra eum an liceat agere 223. ſcrupuli unde oriantur 225.

Secreta an licite revelentur 175.

Senſitiva Delectatio quid 291. an & quando peccaminoſa 291. ſeq.

Senſus verborum in interpretatione legum quis ſervandus 137.

Sepultura num libere eligi poſſit 379. 388. quid ſi defunctus non elegerit ibid. eccleſiaſtica ſepultura quibus deneganda 379. 169.

Sermones obſcœni an & quando peccaminoſi 311 ſeq. de illis ſe accuſans in confeſſione quomodo examinandus 339 ſeq.

Sexagenarii an excuſentur a jejunio 161. 165 ſeq.

Simonia quid & quotuplex 442 ſeq. quale peccatum 444. 461. an admittat parvitatem materiæ ibid. 279. quando & in quibus contingat 445. ſeq. quid de illo, qui per ſimoniam accepit parochiam 446 ſeq. quid de vexa redimenda 451. quæ pœnæ ſimoniacorum 452.

Simulatio Sacramenti quale, peccatum 280.

Sodomia quotuplex 308. quæ ejus pœnæ ibid.

Sollicitatio ad copulam an ſpecialiter in confeſſione explicanda 301 ſeq.

Soluti qui dicantur 300.

Speculari de venereis an & quando licitum 292.

Sponſus an licite complaceat in copula futura 336 ſeq. quid de ſponſa quæ advertit ſponſum venere incenſum. V. *Mulier.*

Stuprum quid & quale peccatum 302 ſeq. quando contingat 303.

Subditus an quandoque teneatur non obedire 206. an teneatur ſi dubitet de honeſtate materiæ præceptæ 207.

Subreptionis defectus quando in reſcripto cenſeatur ſuppleri 135.

Superbia quid 295. 337. quotuplex & quale peccatum 296. ejus filiæ ibid. ſeq. Remedia contra illam 298.

Superiorum contemptus quale peccatum 282 ſeq.

Suſpenſio quid & quotuplex 364. ſeq. num impediatur per appellationem 366. per quæ incurratur 385.

Suſpenſus quibus privetur 365 ſeq. an & quando poſſit peragere divina 98.

Suſurratio quid 318.

Synterеſis quid 195.

Synodus Diœceſana 73.

T.

Tacens quando conſentire videatur 8.

Tactus quando & quale peccatum 313. 314 ſeq.

Temporis circumſtantia quid faciat ad moralitatem actus 34 ſeq. an quandoque det primam ſpeciem actui 35.

Tempus unde denominetur ſacrum 35.

Titulus ordinationis an & quomodo reſignari poſſit 423.

Torpor in obſervatione præceptorum quale peccatum 327.

Turpia audire, legere &c. quale peccatum 311 ſeq.

Tutior pars an ſemper eligenda 214. quando eligenda ibid.

V.

Vagus quis 81. an teneatur legibus loci, ubi moratur ibid. ſeq. ubi in paſchate communicare 170.

Vana gloria quid 296. quotuplex & quale peccatum ibid.

Vectigalia defraudans quomodo peccet 183 ſeq.

Venatio an licita die feſto 149. an excuſet a jejunio 165.

Vendere ultra taxam quandonam licitum 187 ſeq.

Vene-

Venerea delectatio quid & quale peccatum 291. num admittat parvitatem materiæ 281. ſi exurgat quid agendum 292. ſeq. quæ circumſtantiæ illius explicandæ. V. *Delectatio.*

Veniale peccatum quid 253. veniale ex genere & ex accidente 279. an minuat gratiam 253. quibus modis fiat mortale 282. ſeq. 334 ſeq. an ratione numeri multiplicati 284 ſeq.

Veſtium novitates inducentes quomodo peccent 297.

Vindictæ appetitus an & quale peccatum 325 ſeq.

Violentia quid & an tollat voluntarium 14 ſeq. 56.

Voluntarium quid 4. quotuplex 5 ſeq.

Vovens abſtinentiam a luſu & vino quomodo peccet ludendo, & bibendo. 333 ſeq.

Uvæ num frangant jejunium 161.

Acc 3221
Sasserath,
240
S17
Sasserath, P. Rainer
AUTHOR
Philologia Moralis
TITLE